




**DUE TO THE NATURE OF THE BINDING
THIS BOOK CANNOT CIRCULATE,**

IT CAN BE PHOTOCOPIED.

PLEASE PHOTOCOPY CAREFULLY.

THANK YOU





COMPENDIUM
THEOLOGIÆ MORALIS

TOMUS PRIMUS

Tout exemplaire non revêtu de la signature de l'auteur sera réputé contrefait.

J. Guay

COMPENDIUM
THEOLOGICÆ MORALIS

JEAN PIERRE
P. JOANNIS PETRI GURY, S. J.

MULTIS CORRECTIONIBUS AUCTUM
ET RECENTIORIBUS ACTIS SANCTÆ SEDIS
MAXIME CONSTITUTIONI SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPE PII IX
SUPER CENSURIS LATÆ SENTENTIÆ
ACCOMMODATUM

A
R. P. HENRICO DUMAS

EJUSDEM SOCIETATIS
APUD FACULTATES CATHOLICAS LUGDUNENSES THEOLOGICÆ MORALIS
ET JURIS CANONICI ORDINARIO PROFESSORE

Henricus Dumas
EDITIO QUINTA

Ars actuum regimen animarum.
S. Greg., Reg. Pastor. offic. c. 1.

—————
TOMUS PRIMUS
—————



LUGDUNI

APUD DELHOMME ET BRIGUET


VIA DICTA « AVENUE DE L'ARCHEVÊCHE, 3 »

PARISIIS

APUD VICTOR LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA « BONAPARTE, 90 »

BX
1758
G8
1890
v.1



APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI DD. MEIGNAN, ARCHIEPISCOPI TURONENSIS

Egregium P. GURY, S. J., *Compendium Theologiæ moralis*, a R. P. HENRICO DUMAS, ex eadem Societate, recognitum, auctum nec non recentioribus Sedis Apostolicæ decisionibus accommodatum, iterum typis mandari libentissime permittimus, atque animarum pastoribus enixe commendamus.

Datum Turonibus, 4 septembris 1890.

† GUILLELMUS RENATUS,
ARCHIEPISC. TURONENSIS.

LETTRE

DE SON ÉMINENCE LE CARDINAL ARCHEVÊQUE DE LYON

AU R. P. DUMAS

MON RÉVÉREND PÈRE,

J'apprends que vous vous disposez à publier une nouvelle édition des deux ouvrages du R. P. Gury, le *Compendium Theologiæ moralis* et les *Casus conscientiæ*. Les œuvres du savant professeur ne sont plus de celles qui ont besoin d'être recommandées : on les trouve dans les mains de tous ceux qui se livrent à l'étude de la théologie, et, fort justement, elles sont à leurs yeux un des guides les plus utiles et les plus sûrs. Aussi les membres du clergé vous sauront-ils gré du zèle avec lequel vous vous attachez non seulement à les conserver, mais encore à les compléter et à les perfectionner. Je suis heureux, pour ma part, de vous en féliciter et de vous en remercier.

Recevez, mon Révérend Père, l'expression de mes sentiments aussi affectueux que dévoués.

Lyon, 4 octobre 1881.

† L.-M. CARD. CAVEROT,

ARCH. DE LYON.

MONITUM EDITORIS

Succedit hæc nova editio *Compendii Theologiæ moralis* Lugdunensibus editionibus, quæ solæ inter innumeras alias variis in locis vulgatas, ab Auctore ipso probatæ ac recognitæ in lucem prodierunt. Quippe voluerunt ii, ad quos per leges illud jus nunc unice pertinet, ut deficientibus jam veteribus exemplaribus, typis denuo mandaretur eximius P. J. P. Gury liber, correctus tamen atque expolitus, et ad nova præsertim Acta S. Sedis accommodatus. Cum autem hoc suum consilium mihi exsequendum commendassent, magna me diligentia, ut par erat, ad laborem accinxi, omnemque curam adhibui, ut eorum desiderio, quantum poteram, plene satisfacerem. Utrum e sententia rem gesserim, judicabis, benevole lector. Certe id imprimis habui in animo, ut quam paucissima de meo obtruderem, quam plurima de commendatissimo Auctoris opere tibi integra et intacta restituerem. Quædam tamen, voluerim noluerim, mutanda fuere, ne penitus aberrasse a fine proposito viderer. Definitiones non paucas ad meliorem atque exactiorem formam redigere necesse fuit; doctrina quibusdam in locis clarius uberiusque fuit explicanda, aut etiam validioribus firmanda argumentis; quæstiones ultimis hisce temporibus a Theologis agitatæ accuratius fuerunt exponendæ; oportuit denique ut plura quæ de censuris, sive passim, sive proprio loco dicenda occurrebant, ad normam recentioris Constitutionis *Apostolicæ*

Sedis omnino exigerentur. Anceps quidem aliquandiu hæsi, utrum hæc adjectis in fine singularum paginarum notis facerem, an insertis potius in ipso contextu additamentis : at sapientium virorum monita secutus, methodum hanc posteriorem alteri præferendam censi : planior enim est et brevior, et legentibus multo minus tædium affert. Cum igitur, ut ita agerem, jus non deerat, ratio quoque aderat et opportunitas. Cæterum hunc quantulumcumque laborem meum, quem, ut verum fatear, non sine molestia aliqua ad exitum perducere potui, si probes ac libenter accipias, neque eum suscepisse aliquando, neque pro virili parte perfecisse me unquam pœnitebit. Vale.

PRÆFATIO P. GURY

AD LECTOREM

Habes, humanissime Lector, in hoc exiguo libello brevem illam quidem, at integram, nisi fallor, rei moralis theologicæ tractationem, ex probatissimorum Doctorum tum veterum, tum recentiorum doctrina concinnatam. Cum autem ex supremo S. Sedis judicio præclarum huic scientiæ lumen proxima hac ætate affuderit S. ALPHONSUS DE LIGORIO, nil potius certiusque visum mihi est, quam ut egregium hunc ducem sequerer, ejusque doctrinam nova quadam forma ac ordine digestam exhiberem.

Quoad methodum vero, quæ planior visa est, hanc libentissime secutus sum. Itaque in ipsis cujusvis tractationis exordiis rei definitionem ac circumscriptionem habebis; utque ea accuratissima esset ac bene in rem quadraret, omnem operam collocavi. Hinc varias reperies subjectæ materiæ divisiones, seu diversas veluti facies, quas variis ex partibus spectata res offert. Re ita in medio constituta gradus fiet ad principia, quibus tanquam totidem cardinibus tota versatur quæstionum solutio. Hæc non multa quidem erunt, sed ea tamen, quæ totam in se vim contineant, quæque a gravioribus Theologis prolata, communi suffragio sanciri meruerint. His constitutis, facilis erit et disputatio, et ad consecutaria descensus, id est ad solutionem quæstionum, qui in re morali finis immediatus est. At quoniam in hisce consecutariis pauca reperias argumenta, in quibus vel ipsi inter se Doctores consentientes sint, locus erit opportunus controversiis dirimendis, quod ad modum quæstionum præstabo oppositas inter se sententias committens, quamque præstabiliorem aut vere proba-

bilem arbitror, subindicans. Hæc via, hic ordo totius propemodum tractationis. Desiderabis aliquando uberiores rationum copiam, majorem auctoritatum numerum, pleniorum etiam alicubi explicationem. Tunc vero non abs re fuerit meminisse, hoc nil aliud quam *Compendium* esse, in quo si quid desit ex iis, quæ suis rem numeris absolutam redderent, desiderabitur profecto illud quod Compendio deesse omnino debet.

Ad scribendi rationem quod attinet, in ea brevitate pro rerum natura invenies, siccitatem non raro procul dubio reprehendes. Ad brevitate quod spectat, ut hujuscemodi opus postulabat, eam quam maxime sectatus sum : ita tamen ut ne, dum *brevis esse laboro, obscurus* fiam. Itaque nec vi verborum obrueris, nec in tenebris unquam, ut spero, versaberis. Ad siccitatem vero quod pertinet, illud mihi semper certum persuasumque fuit, lepores veneresque dictionum ab hisce rebus esse vehementer alienas. Igitur dummodo res perspicua sit, etsi minus venusta ac compta appareat, non admodum sollicitus sum. Clavem thesauro hujus scientiæ recludendo parem tibi præbere mens mea est. At tua, inquires, clavis ferrea est. Esto; modo aperiat, satis erit. Experire usum, etsi thesaurum moralium disciplinarum reserare valeat, nihil aliud mihi in votis est. Amplam laboris mei mercedem recipiam, si hoc Opusculum in majorem Dei gloriam tuamque utilitatem cedat. Unum restat, ut te orem, humanissime Lector, benevolo sis animo; et si quando venia aliqua danda sit, benignus impertiaris rogo. Vale.

INDEX SCRIPTORUM

QUEM EDITIONI RATISBONENSI (1846) THEOLOGIÆ MORALIS S. ALPHONSI
PRÆMITTEBAT R. P. MICHAEL HARINGER, CONG. SS. REDEMPTORIS

Titulos operum et quosdam scriptores addidit
R. P. Ant. Ballerini, S. J.

MONITUM P. HARINGER. — Ne lector sola nomina habeat, sed etiam de ipsorum meritis et auctoritate judicare possit, semper, ubi apud S. Alphonsum judicium de illis invenimus, hoc adjectis signis notavimus: quare advertendum, quod per asteriscon unicum * notetur auctor propter scientiam laudatus saltem ut doctus, vel etiam ut gravis et classicus; per duo asterisca ** signatur auctor gravis et probabilista; per signum † notatur doctor gravis probabiliorista, per † * vero auctor rigidus; mitiores semper specialiter nominantur.

A

* *Abbas* (Nicolaus de Tudeschis) Benedictinus, *Abbas Monacensis*, archiepiscopus *Panormitanus*, quo utroque nomine citatur (*Scriptis Commentaria in libros Decretalium, Consilia, Quæstiones, Practica*), natus 1370, mortuus est 1443.

** *Abelly* Ludovicus, Gallus, episc. Ruthenensis et familiaris S. Vincentii a Paulo, cujus vitam conscripsit (*Medulla Theologica*), n. 1604, m. 1691.

** *Adrianus VI*, Papa, Belga, scripsit antea varias epistolas in quartum sententiarum, m. 1523.

Ægidius Romanus, ex ordine S. Augustini, *Doctor fundatissimus*, S. Thomæ discipulus, m. 1316.

Albertus Magnus, Germanus (*ex ordine S. Dominici, Arch. Ratisbonensis, S. Thomæ præceptor*), n. 1193, m. 1280.

Albitius Franciscus, Italus, Card. (*De inconstantia in Fide, de Inconstantia in Judiciis, De Jurisdictione Cardinalium in suis titulis*), n. 1623, m. 1684.

Aleensis sive Alex. de Ales, Anglus, ord. S. Francisci (*S. Thomæ, S. Bonaventuræ, et Scoti præceptor; hinc dictus Doctor Doctorum*), m. 1245.

** *Alvarez* Didacus, Hisp., Dominicanus, professor theologiæ in patria, tum Romæ, postea Archiepisc. Tranensis, vir celeberrimus (ait S. Alph.) propter disputationes ab illo propugnatas pro gratia prædeterminante, m. 1640.

** *Amicus* Franciscus, Italus, S. J., docuit Neapoli, Aquileiæ et Græcii theologiam, ibique cancellarius universitatis factus est; m. 1651.

** *Amori* Eusebius, Germanus, canonicus regularis Pollingæ et S. Joannis Lateranensis, theologus episc. Augustani, a S. Alphonso sæpius laudatus ut vir pro suis variis et doctis operibus undequaque perspectus. Suam theol. moralem et scholasticam non nisi prius a Benedicto XIV recognitam typis mandavit. Egrege defendit probabilismum, sed in quæstionibus practicis multo severior quam S. Alphonsus extitit; n. 1692, m. 1775.

Anacletus. Vide *Reiffenstuel*.

† *Andegavenses Collationes*. Notis ab Em. Gousset auctæ prodierunt Parisiis 1829.

** *Angelus* Joan. de Clavasio, ordinis fratrum minorum, auctor Summæ angelicæ, m. 1495.

** *Angles* Jos., Hispanus, ord. S. Francisci, episc. Bosanus in Sardinia, circa finem sæc. xvi.

†* *Antoine* Paulus Gabriel, S. J., auctor valde rigidæ sententiæ (hom. ap. XVI 108, th. lib. VI, n. 505), n. 1679, m. 1743.

** *Antoninus* sanctus, ord. S. Dominici, archiep. Florentinus (*Veronæ recentius recusi sunt ejus opera Balleriniorum studio. Num exartius ac fidelius, quam antea? Alii viderint. Ita Fr. Ant. Zacharias*), n. 1389, m. 1459.

** *Aravius* vel *Araucxus* Franciscus, Hisp., Dominicanus, docuit per 20 annos theologiam Salmanticae, et subinde archiepiscopus Segoviæ electus est, ubi in odore sanctitatis m. 1664.

Armilla. Vide *Fumus*.

** *Arragonius* Petrus, Hisp., ordo. S. Augustini, m. circa 1600.

** *Arriaga* (Rodericus de), Hisp., S. J., missus est in Bohemiam 1624, fuit cancellarius universitatis Pragensis, ibique m. 1667.

** *Arsarkin* Ricardus, Hibernus, S. J., docuit theologiam Lovanii et Antverpiæ, et scripsit post medium sæc. xvii.

Astesanus, Italus, ord. minorum, scripsit circa 1330.

Aurcolus Petrus, Gallus, Franciscanus, Card. et archiepisc. Aquensis, doctor *Facundus* et *Elegans*, m. circa 1323.

Avendano (Didacus de), Hisp., S. J., docuit theologiam Limæ in America, m. circa 1670.

** *Aversa* Raphael, Neapolitanus, cleric. reg. minorum, propter insignia merita quinquies præpositus generalis ordinis electus est. Innocentius X obtulit ei ecclesiam episcopalem Nucerinam, et Alexander VII Mardonensem; at ipse constanter recusavit: m. 1657.

** *Azorius* Joan., S. J., linguarum peritia, ingenio et theologiae scientia, vitæ integritate et simplicitate, animi candore et hilaritate conspicuus. Societatem Jesu longa ætate decoravit, et tandem laboribus fractus Romæ m. 1607.

B

Babenstuber Ludovicus, Germanus, Benedictinus, xviii sæc.

** *Bail* Ludovicus, Gallus, doctor Sorbonicus et pœnitentiarius Parisiensis, xvii sæc.

** *Baldellus* Nicolaus, Italus, S. J., pœnitentiarius in ecclesia Vaticana (*Disputationes ex Theologia Morali*), n. 1572, m. 1655.

† *Ballerini* Petrus, Veronensis, n. 1690, m. 1764.

† *Ballerini* Hieronymus, ejusdem frater: appellantur a S. Alphonso rigidæ sententiæ moderati sectatores: n. 1702, m. 1764.

- ** *Bancelius* Ludovicus, Dominicanus et decanus facultatis Avenionensis, m. 1685.
- ** *Bannez* Dominicus, Hisp., Dominicanus, professor theologiæ Compluti, Vallisoleti et Salmanticæ. S. Theresiam in opere reformationis plurimum adiuvit, et ipsius fuit confessarius et dux spiritualis; n. 1527, m. 1604.
- ** *Barbosa* Augustinus, episcopus Uxentinus, ceber canonista (*De officio Episcopi, De officio Parochi, De Jure Ecclesiastico*), m. 1648.
- ** *Barbosa* Petrus, Lusitanus, doctor utriusque juris, m. 1638.
- ** *Bardus* Franciscus, Siculus, S. J., m. 1661.
- †* *Baronius* Vincentius, Dominicanus. Ipsius theologia moralis nimis rigida in indicem relata est. Scripsit Lovanii, circa 1670.
- Bartholomæus* a S. *Fausto*, Cisterciensis (*Thesaurus Religiosorum, Speculum Confessariorum*), xvii sæc.
- ** *Bassæus* Eligius, Gallus, Capuccinus (*Flores totius Theologiæ practicæ*), m. circa 1650.
- Baumgartner Reinhardus*, Germanus, S. J., (*Conclusiones ex quinque libris Decretalium deductæ, etc. Romæ, 1759.*)
- Báuny* Stephanus, Gallus, S. J., (*Summa casuum conscientiæ*), m. 1649.
- ** *Beatus* Gabriel, S. J. (*Quæstiones Morales, Romæ, 1663.*)
- ** *Becanus* Martinus, Belga. S. J., docuit per 22 annos theologiam Herbipoli, Moguntia, Viennæ in Austria, cum magna admiratione; n. 1561, m. 1624.
- Beia* (Ludovicus de), Lusitanus, Augustinianus, scripsit (*Responsiones casuum*) circa 1587.
- Benaglio* Joseph, Comes (*Dell' Attrizione, 1846.*)
- Bernal* Augustinus, Hisp., S. J., vir eximie eruditionis et pietatis (*De Sacram. in genere, Eucharistia et Ordine*), m. 1642.
- ** *Berteaut* Bartolus, Doctor Parisiensis, scripsit (*Regula prudentis et pii confessarii, etc.*) circa 1637.
- †* *Berti* Laurentius, Italus (*De theologicis Disciplinis*), n. 1696, m. 1766.
- * *Biel* Gabriel, Germanus, ord. cleric. regul. vitæ communis, Tubingæ professor, m. 1495.
- Billuart* Carolus, Belga, n. 1685, m. 1757.
- Binctus* Stephanus, Gallus, S. J., scripsit sub ficto nomine Francisci Fontani, n. 1569, m. 1639.
- Binsfeldius* Petrus, Germanus, suffraganeus Trevirensis (*De Confessionibus maleficorum et sagarum, Pustorale, De usuris*), m. 1606.
- ** *Bissus* Bernardus, Benedictinus, scripsit nomine totius academici Cassinensis contra Thyrsus Gonzalez, 1694.
- ** *Blanchis* Paulus, Venetus, Dominicanus, scripsit circa 1623.
- Bona* Joan., Card., (*De sacrificio Missæ, Manuductio ad cælum, etc.*), n. 1609, m. 1674.
- ** *Bonacina* Martinus, doctor Mediolan., episcopus et nuntius Urbani VIII apud aulam Austriacam (*Opera Moralia*), m. 1631.
- ** *Bonæspei* Franciscus, Carmelita, scripsit 1659.
- Bonagrati*a Habsensis, Capuccinus (*Summula QQ. Regularium*), fl. 1664.
- Bonartius* Oliverius, Belga, S. J. (*De Hæresibus canonicis*), m. 1655.
- Bonaventura* sanctus, ord. minorum, Cardinalis et Episcopus Albanensis doctor Seraphicus, n. 1221, m. 1274.
- ** *Bordonus* Franciscus, Italus, ordinis S. Francisci.
- ** *Bosco* (Joan. a), Batavus, Franciscanus (*Theologia sacramentalis*) circa 1665.
- ** *Bossius* Joan., Barnabita, sui ordinis præpositus generalis, m. 1665.
- Boudewins* Michael, Belga, scripsit (*Ventilabrum medico-theologicum*) 1666.

** *Bouvier* Jo. Bap., episc. Cenomanensis (*Institutiones theologicæ in usum Seminariorum*), m. 1855.

** *Bresserus* Mart., Belga, S. J., rector collegii Brugensis, m. 1635.

Burghaber Adamus, Bavarus, S. J., (*Tres centuriæ casuum*), n. 1608 m. 1668.

** *Busembaum* Hermanus, Germanus. S. J., rector collegii Hildesiensis m. 1668.

C

† *Cabassutius* Joan., Gallus, congregationis Oratorii (*Juris canonici theoria et praxis*), n. 1604, m. 1685.

* *Cajetanus* (Thomas de Vio), præpositus generalis ordinis S. Dominici, Cardinalis et archiepiscopus Panormi (*In S. Th. Summam, Summa casuum, Opuscula*), n. 1469, m. 1534.

†* *Camargo* (Ignatius de), S. J. (*Regula honestatis moralis*), m. 1702.

** *Candidus* Vincentius, Dominicanus, magister sacri Palatii sub Innocentio X, qui ipsum ut sapientum ducem et magistrum solidæ pietatis æstimavit; m. 1654.

* *Canus* Melchior, Hisp., Dominicanus, episcopus Canariensis, theologus clarissimus, interfuit concilio Tridentino. S. Alphonsus vocat eum auctorem doctissimum, eruditissimum et classicum (*Loci communes theologici, etc.*): n. 1523, m. 1566.

Capreolus Joan., Gallus, ex ordine S. Dominici, m. 1415.

Caramuel (Joan. de Lobkowitz), Cisterciensis, abbas Mesrosensis, episcop. Vigevanensis in Italia. Hunc S. Alphonsus principem laxistarum vocat (*Theologia fundamentalis, moralis, Theologia regularis*): n. 1602, m. 1649.

** *Cardenas* (Joan. de), Hisp. S. J. (*Crisis theologica*), circa 1700.

† *Carrière* Josephus, Gallus, Congr. S. Sulpitii (*Prælectiones theologicæ majores, de Contractibus, et de Matrimonio*), m. 1864.

** *Caspensis* Ludovicus, ord. S. Francisci, circa 1635.

* *Castropalaus* (Palaus) Ferdinandus, S. J., jam a pueris ingenio et pietate conspicuus, ab æqualibus in quæstionibus theologicis ut oraculum veneratus est. De instante morte monitus, insolitæ lætitiæ signa edidit, ingenue fassus, se nullius lethalis culpæ in anteacta vita argui a conscientia: sic placidissime in Domino obdormivit (*Opus Morale*), 1633.

** *Catalani* Petrus, S. J. (*Theologia moralis*), 1728.

Chapeauville Joan., Belga, n. 1551, m. 1617.

Chokier (Erasmus a), Belga, canonicus Leodiensis, scripsit (*De Jurisdictione Ordinarii, etc.*), 1621.

Clericatus Joan., præpositus Patavinus.

Cocq Florentinus, canonicus ord. Præmonstratensis (*Theologia moralis*), m. 1626.

† *Collet* Petrus, Gallus, continuator Tournely, n. 1697, m. 1770.

** *Comitolus* Paulus, Italus, S. J. (*Consilia seu responsa moralia*), per calumniam a Nicolio inter probabilissimi adversarios recensitus, n. 1546, m. 1626.

†* *Concina* Daniel, Italus, auctor rigidissimus vocatus a S. Alphonso, n. 1686, m. 1756.

** *Coninchius* (Koninch) Ægidius, Belga, S. J., magni Lessii non impar discipulus, docuit Lovanii (*De Act. humanis, Fide, Spe, Caritate, Sacramentis, Censuris*), n. 1571, m. 1633.

Contensonius Vincentius, Gallus, Dominicanus, auctor rigidissimus juxta S. Alphonsum, m. 1674.

Continuator Sporerii. Vide *Katzenberger*.

Corduba (Antonius de), Hispanus, Franciscanus, scripsit 1553.

Coriolanus (Franciscus a Coriolano), Capuccinus (*De Casibus reservatis*), fl. 1618.

Corneius Petrus, Hisp., ord. Carmelitarum, Salmanticae theologiam tradidit, m. 1618.

** *Corradus* Pyrrhus, canonicus Neapolitanus (*Praxis dispensationum*), xvii sæc.

* *Covarruvias* Didacus, Hispanus, discipulus celeberrimus Mart. Navarri, insignis jurisconsultus, episcopus Segobiensis, n. 1512, m. 1577.

** *Croix* (Claudius La-Croix) Belga, S. J., docuit theologiam in universitate Coloniensi, n. 1652, m. 1714.

Cruæ (Joan. de la), Italus, Dominicanus, m. 1613.

†* *Cuniliati* Fulgentius, Italus, n. 1685, m. 1759.

Curiel Joan. Alphons., doctor Salmanticensis, m. 1609.

D

De Justis Vincentius, nobilis Lucensis (*De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*), fl. 1691.

** *Delbene* Thomas, Italus, clericus regularis; scripsit (*De Immunitate Ecclesiastica, etc.*), 1649.

Delrio Martinus Antonius, Belga, S. J. (*Disquisitiones magicæ*), n. 1551, m. 1608.

Diana Antoninus, clericus regularis (Theatinus), consultor sacri officii in Sicilia, auctor valde benignus, n. 1585, m. 1663. — A nota laxitatis Dianam, virum alioquin scientia et eruditione perinsignem, vindicavit Franc. Antonius Zacharia.

** *Dicastillus* Joan., Neapolitanus, S. J., docuit theologiam in universitate Murciensi et Toletana, tum Ingolstadii. Fuit non minus pius ac doctus (*De Sacramentis, Juramento, et Censuris. De Justitia et Jure, etc.*); n. 1585, m. 1653.

Dionysius Carthusianus, Belga, n. 1402, m. 1471.

Dript Laurentius, Benedictinus (*Speculum archidiaconale, an. 1646*).

Duarte Didacus, ord. S. Francisci (*Brevis Expositio Propositionum damnatarum*, Romæ, 1712).

** *Duarte* Franciscus, Hisp., S. J., n. 1559, m. 1601.

** *Du Hamel* Joan. Bapt., professor Parisiensis (*Theologia speculatrix et practica*), n. 1624, m. 1706.

Dupinius Ludovicus, Gallus, Jansenianus, n. 1657, m. 1719.

Durandus de S. Portiano, Dominicanus, Magister S. Palatii, et Episcopus, 1320.

** *Duwallius* Andreas, professor regius in Sorbona et decanus facultatis theologice. Fuit amicus et dux spiritualis S. Vincentii de Paulo (*In S. Thomam, de potestate Pontificis*), n. 1554, m. 1633.

E

** *Ehrentreich* Adamus, Germanus, S. J. (*Principiorum de usu opinionis probabilis declaratio*, Romæ, 1699).

** *Elbel* Benjamin, Germanus, ordinis fratrum minorum, theologiæ lector et examinatus synodalis, episc. Passaviensis, m. post 1750.

- †* *Elizalde* (Mich. de), Hispanus, S. J., scripsit (*facto nomine Antonii Celadeus: Recta Doctrina morum*), circa 1690.
Engel Ludovicus, Benedictinus (*Collegium universi Juris Canonici*, 1688).
 ** *Escobar* (Antonius de), Vallisolanus, S. J. (*Universa Theologia moralis*), n. 1589, m. 1669.
 ** *Esparsa* Mart., Hisp., S. J. (*Cursus theologicus*), circa 1666.
Eugenius Lombardus. V. *Sfrondrati* Card.

F

- †* *Fagnanus* Prosper, per multos annos sacræ Congreg. Concilii secretarius, auctorum rigidorum (juxta S. Alph.) facile princeps (*In libros Decretalium*); n. 1598, m. 1678.
 ** *Fagundes* Stephanus, Lusitanus, S. J., docuit theol. Ulisipone (*In Præcepta Decalogi et Ecclesiæ. De Justitia et Contractibus*), n. 1577, m. 1645.
 ** *Farinaccius* Prosper, jurisconsultus Romanus (*Decisiones Rotæ romanæ*), m. 1618.
Felinus. Vide *Sandæus*.
 ** *Fenek* Joannes Lucas, Romæ Parochus (*Flores casuum conscientiæ*).
 ** *Ferraris* Lucius, Italus, ord. minorum, consultor sacri officii (*Bibliotheca juridica, canonica, etc.*), m. post 1760.
 ** *Filliuccius* Vincentius, Italus, S. J., fuit professor theologiæ in Collegio romano, tum responsor quæstionum conscientiæ et pœnitentiarius Papæ (*moral. Quæst. Cursus, etc.*); n. 1556, m. 1622.
 ** *Fragosa* Joan. Bapt., Lusitanus, S. J., m. 1639.
 ** *Francolinus* Balh., Italus, S. J., (*Clericus romanus. De dolore ad Sacram Pœnitentiæ requisito, etc.*), xviii sæc.
 †* *Franzoia* Angelus, Patavinus, rigidior adhuc, ait S. Alph., Patre Concina.
Frasen Claudius, Gallus, ord. minorum, n. 1620, m. 1711.
 ** *Fumus* Bartholomæus, Italus, Dominicanus et inquisitor generalis. Dicitur etiam *Armilla* ab ipsius summa sic dicta: m. 1545.

G

- ** *Gallego* Barnabas, Hisp., ord. S. Dominici, m. circa 1661.
 ** *Gamachæus* Philippus, doctor et professor sorbonicus, abbas S. Juliani Turonensis, n. 1568, m. 1625.
Gandavensis Henricus, professor sorbonicus, tum archidiaconus Tornacensis, doctor Solemnis, n. 1219, m. 1295.
 ** *Garcias* Nicolaus, Hisp., professor juris civilis et canonici, canonicus Abulensis (*De Beneficiis. De Dispensationibus*), xvii sæc.
Gavantus Bartholomæus, Italus, clericus regularis S. Pauli, Barnabita (*In rubricas Missalis et Breviarii*), m. 1640.
 †* *Genettus* Franciscus, Gallus, episc. Vasionensis, n. 1640, m. 1702.
Gerson (Joan. Charlier), cancellarius universitatis Parisiensis, n. 1363, m. 1429.
 ** *Gesualdus* de Bononiis, Franciscanus, professor theologiæ et qualificator sacri Officii in regno Siciliæ, pietate et doctrina pariter egregius, xvi sæc.

** *Gibertus* Joan. Petrus, Gallus, n. 1660, m. 1736.

Gigas Hieronymus, Italus, jurisperitus, floruit circa 1548.

Giraldi Ubaldi, e Cler. regul. schol. Piar. (*Expositio Juris Pontificii*), 1769.

Giribaldus Sebastianus, Italus, clericus regularis S. Pauli, scripsit an. 1700.

Gisbertus Joan., Gallus, S. J., n. 1639, m. 1711.

Gobat Georgius, Germanus, S. J., docuit theologiam Friburgi in Helvetia et Constantiæ. Auctor multum eruditus et experientia abundans, sed satis benignus (*Experientiæ Sacramentales. Quinarium Tractatum*), n. 1600, m. 1679. —

A laxitatis nota Gobatum alii vindicarunt. Vid. infr. V. *Vindicix*.

Gomes Antonius, Hisp., jurisconsultus Salmanticensis, scripsit circa 1550.

†* *Gonet* Joan. Bapt., Gallus, Dominicanus, n. 1616, m. 1681.

Gonzalez Tellez Emmanuel. *In libros Decretalium*.

Gonzalez Hieronymus (*Glossema ad regulam S. Cancellariæ*), 1569.

†* *Gonzalez* Thyrsus, Hispanus, prius professor theologiæ, tum præpositus generalis societatis Jesu. Illic multam operam dedit, ut in scholis S. J. probabiliorismus traderetur, et hac de causa probabilioristas ex Hispania Romam vocavit; ipse etiam opus de recto usu opinionum probabilium edidit, ubi opinionem probabilem definiens dicit eam esse probabilem, quæ omnibus inspectis operanti vera apparet. Nescio (ait S. Alphonsus) quomodo præfati auctores (ubi loquitur de Gonzalez, Habert, Fagnani, etc.) asserendo quod non licet uti ad agendum nisi sententiis moraliter certis, cum sic revera penitus usum opinionum probabilium reprobent, quamvis in verbis videantur admittere; nescio, dico, quomodo excusari possint a propositione damnata, quæ dicebat: Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam: m. 1705.

Gordonus Jac., Scotus, S. J., confessarius Ludovici XIII, regis Galliæ, n. 1552, m. 1641.

Gormaz Joan. Bapt., Hispanus, S. J. (*Cursus theologicus*.)

* *Gotti* Vincentius, Bononiensis, Dominicanus, Bononiæ et Salmanticæ studiis vacavit, tum ipse Romæ theologiam docuit, temporis successu prior provincialis et inquisitor ordinis electus est, tandem ob insignia merita et raram scientiam patriarcha Hierosolymitanus et Cardinalis creatus est a Benedicto XIII; n. 1664, m. 1742.

** *Graffius* vel Jacobus de Graffis, abbas Cassinensis, scripsit 1693.

** *Granadus* Jac., Hisp., S. J., scientia ac pietate pariter enituit, et apud omnes in summa æstimatione habitus est, n. 1562, m. 1632.

Gratianus Bononiensis, Benedictinus, compilerator decreti sive primæ partis juris canonici, medio sæculo XII.

** *Gravina* Dominicus, Neapolitanus, Dominicanus, fuit successu temporum professor theologiæ Romæ, vicarius generalis suæ congregationis, et procurator generalis totius ordinis, m. 1643.

** *Gravina* Josephus Maria, Neapolitanus, S. J. (*Tractatus Apolog. De probabilismo*, 1755.)

Gregorius Ariminensis, Augustinianus, *Doctor excellentissimus*, m. 1358.

** *Gutierrez* Joan., Hispanus jurisconsultus, circa 1580.

H

†* *Habert* Ludovicus, Gallus, doctor sorbonicus rigidissimus (cf. Gonzalez). Hic cæterum, ait S. Alphonsus, non dubitavit illam secundum Bellarminum omnino erroneam opinionem asserere, Papam etiam ex cathedra definientem tam in materia fidei quam morum errare posse: forte, quia hæc falsissima, et a

nostris auctoribus communiter rejecta, sententia ipsis Gallis moraliter certa et a formidine immunis videtur : n. 1635, m. 1717.

** *Hacquetus* Joan. Bapt., Hibernus, Dominicanus, docuit theologiam Mediolani, Neapoli et Romæ, m. circa 1685.

Harduinus Joan., Gallus, S. J., vir perdoctus, sed in sententiis suis plane singularis, n. 1646, m. 1729.

Havnoldus Christophorus, Bavarus, S. J. (*De Contractibus*), m. 1630.

** *Hauzeur* Matthias, Flandrus, ord. fratrum minorum definitor et provincialis, m. 1650.

†* *Henno* Franciscus, Belga, ord. S. Francisci, xvii sæc.

†* *Henricus* a S. Ignatio, Belga, Carmelita (*Ethica amoris*, quod opus damnatum est), m. 1720.

** *Henriquez* Henricus, Lusitanus, S. J., docuit theologiam Cordubæ et Salmanticae, ubi celebrem P. Suarez discipulum habuit (*Summa Theologiæ moralis*); n. 1536, m. 1608.

** *Herinx* Guillelmus, Belga, Franciscanus, propter merita sua episcopus Yprensis electus est, n. 1536, m. 1608.

** *Holzmann*, Germanus, sæc. xviii.

Homobonus de Bonis, ordinis clericorum regularium S. Pauli (*Moralis*).

Hostiensis (Henricus de Segusia), episcopus Hostiensis (unde nomen) et Cardinalis, celeberrimus juris utriusque doctor (*Aurea Summa*), m. 1271.

** *Humbertus* præpositus generalis ordinis S. Dominici, m. 1277.

** *Hurtadus* Gasparus, Hisp., S. J., docuit theologiam Compluti, ibique decanus facultatis electus est (*De Sacramentis*); n. 1575, m. 1646.

Hurtadus Petrus, de Mendoza, Hisp., S. J. (*De Fide, Spe, Caritate, Justitia, etc.*), n. 1578, m. 1651.

Hurtadus Thomas, Hisp., clericus regularis minorum (*De Residentia, etc.*), m. 1659.

†* *Huygens* Gomarus, doctor Lovaniensis, Quesnellii familiaris, n. 1631, m. 1702.

I

** *Ildephonsus* Joan. Bapt., Hisp., Dominicanus, rector collegii Cæsaraugustani (*Opus suum edidit ex formali præcepto et decreto Capituli generalis Dominicanorum Romæ celebrato*), m. 1639.

Illung Jacobus, Germanus, S. J., docuit Ingolstadii (*Theologia practica universa*), 1693.

** *Isambertus* Nicolaus, Gallus, doctor sorbonicus, amicus S. Vincentii de Paulo, m. 1642.

J

Joannes Major, professor Parisiensis, circa 1528.

** *Joannes* a S. Thoma, Lusitanus, ord. S. Dominici, m. circa 1664.

** *Josephus* a S. Januario (*Quæst. select.*), xvii sæc.

K

Katzenberger Kilianus, Germanus, ord. minorum, continuator Sporerii, xviii sæc.

Kercene Simon, S. J. (*In quartum Decretalium*, 1713.)

Krimer Ferdinandus, Germanus, S. J. (*Quæst. Canon. in 5 libros Decretalium*), XVIII sæc.

Kugler Joannes, Germanus, S. J., cancellarius universitatis Wratislaviensis, scripsit de matrimonio et sponsalibus circa 1712.

L

Lambertini Prosper, Cardinalis, postea Papa Bened. XIV, n. 1675, m. 1758.

Lancelloti Joan. Paulus, Italus, jurisperitus celeberrimus, n. 1511, m. 1591.

** *Lanfrancus* Nicolaus, Polonus, S. J., vir sapientia et virtute clarissimus, n. 1575, m. 1652.

** *Lao* Andreas, Dominicanus, XVII sæc.

†* *Launoïus* Joannes, Gallus, doctor sorbonicus, apostolicæ Sedi multum infestus, n. 1603, m. 1678.

Laurentius Augustinus, S. J. (*Syntagma theologica. etc.*, an. 1692.)

** *Laymannus* Paulus Germanus, S. J., natus Eniponti, docuit philosophiam, theologiam moralem et jus canonicum, cujus fuit peritissimus, Ingolstadii, Monachii et Dilingæ. Vir profunde doctus, et, quod rarum est, modestissimus et humillimus. In jure canonico, quod etiam commentariis illustravit, tanti fiebat, ut ejus dictata aliarum academiarum doctores sæculares etiam pretio sibi describi curaverint. Consulebatur passim ex remotissimis locis super difficillimis rebus tanquam oraculum. Doli videbatur expers, patiens laborum, animo extra spem metumque posito, paratus omnibus obsequi et sui despectu infra omnes se abiciens. Ad extremum Constantiæ peste contactus est; qua ne forte alium inficeret, in separatum locum statim se abdidit, debortando alios, ne sua causa periculo contagionis se exponerent: et in hac animi demissione mortales deseruit. Est doctor classicus, apud quem parem cognitionem S. Scripturæ, SS. Patrum et canonum Ecclesiæ atque theologorum moralium invenimus: quare Muzzarelli ait, quod nulli aut fere nulli theologo morali fuerit secundus: n. 1576, n. 1625.

Leander a SS. Sacramento, Gallus, ord. SS. Trinitatis, auctor nimis benignus (*Summa novem partium*), m. 1667.

Le Dent, Belga, S. J. (*De Attritione ex metu gehennæ*), 1667.

** *Ledesma* (Bartholomæus de), Hisp., ord. S. Dominici, episcopus Antequeranus in America, m. 1604.

** *Ledesma* Petrus, Hispanus, Dominicanus, m. 1616.

† *Le Drou* Petrus Lambertus (*De Contritione et Attritione*), 1708.

** *Lessius* Leonardus, Belga, inter maxima decora S. J. numerandus est, et ipsum laudare vix sufficimus. A juvenili ætate usque ad exitum semper ægrotrans et doloribus confractus, sine carne vitam trahere videbatur; quare mirandum est, quomodo tantum scribere et in omnibus doctrinis sacris atque profanis tam singulariter excellere potuerit. Sapientissimi sui ævi viri, ut Suarez, Vasquez, Molina alique, in gravissimis scientiarum negotiis ipsius judicium exquirebant. Nihil sibi tristius quam sui laudes audire. Inter dolores tamen semper hilaris alios consolabatur. Quid dicam de ejus austeritate erga seipsum et singulari devotione erga B. V. Mariam, de qua pendere aiebat perseverantiam in vocatione? Angelicæ puritatis fuit æmulator insignis, et ipse aliquando, cum de peccatis luxuriæ tractasset, ingenue fassus est, se ne primos

quidem carnis motus sensisse. Ut paucis dicam, omnium virtutum erat exemplar. Summi Pontifices Paulus V et Sixtus V eum summi æstimabant; sanctus vero Franciscus Salesius ipsi pro opere suo De Justitia cæterisque virtutibus cardinalibus gratias egit; S. Carolus Borromæus ejus opera confessariis commendavit; S. Alphonsus vero pariter eum inter doctores classicos numerat (*De Justitia et jure, Auctarium ad 1. 2., in quo varii casus conscientiæ*); n. 1534, m. 1623.

Leurenus Petrus, Germanus, S. J. (*Forum beneficiale*), n. 1534, m. 1623.

** *Lezana* Joan. Bapt., Hisp. Carmelita, docuit theologiam Toleti, Compluti et Romæ. Summi pontifices Urbanus VIII, Innocentius X et Alexander VII eum magni æstimabant et in rebus gravissimis ipsum adhibebant. Fuit consultor congregationis Indicis et Rituum, assistens sex generalium, et sui ordinis procurator generalis (*Summa Quæst. Regularium, Mare magnum, Consulta moralia*); n. 1586, m. 1659.

** *Ligorio* (De) S. Alphonsus, Episcopus S. Agathæ Gothorum, et Fundator Congregationis SS. Redemptoris. (*Theologia moralis. Homo apostolicus, etc.*) Ejus doctrinam posse quemque tuto sequi S. Pœnitentia declaravit, cumque universalis Ecclesiæ doctorem S. P. Pius IX an. 1875 renuntiavit; m. 1787.

Lohner Tobias, Bavarus, S. J. (*Instructiones pro Confessariis, De Missa, divino officio, etc.*), n. 1619, m. circa 1680.

** *Longus* Franciscus a Coriolano, Italus, Capuccinus, xvii sæc.

** *Lopez* Ludovicus, Hisp., ordinis S. Dominici, m. 1596.

** *Lorca* (Petrus de) Hisp., Cisterciensis, m. 1602.

** *Lott* Lud. Bertrandus, Dominicanus, m. 1653.

Lotterius Melchior, Italus, jurisconsultus (*De re beneficiaria*).

Luca (Joan. Bapt. de), Italus, Cardinalis (*Theatrum veritatis et justitiæ*), n. 1617, m. 1683.

** *Lugo* (Franciscus de), Hisp., S. J., fuit professor theologiæ, tum missionarius apud Indos; sed Romam revocatus librorum a Societate edendorum censor factus est. Verum cum æstimationem sibi ex præsentia fratris tunc Cardinalis ferre non posset, in Hispaniam remeavit, ibique cum odore sanctitatis vitam finivit. Majorem partem operum, quæ conscripserat, naufragio perierunt; quæ supersunt, magni æstimantur (*De Deo, De Sacramentis*); n. 1580, m. 1652.

** *Lugo* (Joan. de) Hisp., frater Francisci de Lugo, annis minor, sed laude adhuc præstantior, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, societatis Jesu singulare decus. Tantæ erat indolis tantique ingenii, ut trium annorum puer libros legeret, et decimo quarto ætatis suæ anno theses ex logica publice defenderet. Exemplo fratris motus, licet invito patre, S. J. amplexus est. Absolutis studiis, tradidit philosophiam et theologiam Vallisoleti per 10, et Romæ per 20 annos. Vasta sapientia et profunda humilitate conspicuus et ab omnibus æstimatus, ipse honores sollicite fugit: sed fugientem honores subsequuntur. Cum, nihil tale suspicatus, ab Urbano VIII Cardinalis creatus esset, summum Pontificem adiit et submisse quæsit, an Sanctitas sua in virtute sacre obedientiæ id ipsi præciperet, respondit Pontifex: Ita omnino præceptum formale et formalissimum tibi imponimus: quo dicto, humilis pater obedienter acquiescens caput Sanctissimo rubrum pileum imponenti, reverenter submitit. Cardinalis factus non tamen immutavit vitam religiosam. Sacramentis a cardinali Sforza Pallavicino, suo olim in theologia dilectissimo discipulo, rite provisus et benedictione pontificia munitus, animam Deo reddidit. Ait S. Alphonsus (I. III, 532), quod Lugo post S. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps dici possit (*De Jure et justitia, De Fide, Sacramentis in genere, Eucharistia, Pœnitentia, Responsa moralia*); n. 1583, m. 1660.

** *Lupus Christianus*, Flandrus, ord. S. Augustini. Clemens IX eum magni æstimavit et ad episcopatum evehere voluit; ipse vero Lovanii manere maluit, ubi professor et decanus facultatis fuit; n. 1612, m. 1681.

Lyranus (Nicolaus de Lyra), Gallus, ord. S. Francisci, m. 1349.

M

Machado de Chaves Joan., archidiaconus Limanus in America, m. 1653.

Major Joan., Scotus, professor Parisiensis, n. 1478, m. 1548.

** *Malderus Joan.*, Belga episcopus Antverpiensis, m. 1633.

Malionatus Joan. Hispanus, S. J. Evangeliorum celeberrimus commentator, propter ingentem eruditionem ad novam Septuaginta editionem comparandam a Gregorio XIII Romam vocatus est, ibique vitam finivit, n. 1534, m. 1583.

** *Maletus Carolus*, doctor sorbonicus, n. 1608, m. 1628.

Mangionus Valentinus, Italus, S. J. (*De religiosa paupertate*), m. 1660.

Mansi Joan. Dominicus, Italus, ceber collector conciliorum, n. 1692, m. 1769.

Marchantius Jacobus, decanus Couvensis, scripsit (*Hortus Pastorum*) circa 1630.

** *Marchantius Petrus*, Belga, Franciscanus, fungebatur primis officiis sui ordinis (*Tribunal Sacramentale*), n. 1585, m. 1661.

Martinez Gregorius, Hispanus, Dominicanus, provincialis sui ordinis, m. 1668.

Martinon Joan., Gallus, S. J. m. 1662.

Mascardus Jos., Italus, jurisconsultus (*De probationibus*), m. 1595.

** *Mastrius Bartholomæus*, Italus, ord. minorum, m. 1669.

Maurus Sylvester, Italus, S. J. (*Quæstiones theologicæ*), n. 1619, m. 1672.

** *Mazzotta Nicolaus*, Neapolitanus, S. J. (*Theologia Moralis*), m. 1748.

** *Medina Bartholomæus*, Hisp., Dominicanus, ceber professor Salmanticensis, qui primus doctrinam de opinionibus probabilibus in systema redegit (*Expositiones in S. Thom.*); n. 1528, m. 1581.

** *Medina Joan.*, Hisp., theologus Complutensis, n. 1490, m. 1546.

Megala Marcellus (*Praxis criminalis canonica. Resolutiones morales canonicæ, etc.*).

Mendo Andreas, S. J. (*Statera opinionum*).

Menochius Jacobus, Italus, ceber jurisconsultus (*De Probationibus*), n. 1532, m. 1607.

Merati Cajetanus Maria, clericus regularis, n. 1668.

Merati Ludovicus, Gallus, S. J., m. 1664.

†* *Merbes Bonus* (*Summa christiana. Baianismum olet*).

†* *Mercorus Julius*, Dominicanus, acerrimus rigidæ sententiæ propugnator, m. 1658.

†* *Merenda Antonius*, Italus (*opus ipsius damnatum fuit*), n. 1578, m. 1657.

Merolla Franciscus Neapolitanus, ex congregatione Oratorii (*Theologia moralis*), XVII sæc.

Michel Augustinus, Germanus, n. 1661, m. 1751.

** *Milante*, Neapolitanus, episcopus, m. 1749.

Molfesius Andreas, Italus, Theatinus, circa 1613.

* *Molina Ludovicus*, Hisp., S. J., celeberrimus auctor operis *de justitia et jure*, et alterius, *de concordia gratiæ et liberi arbitrii*, n. 1555, m. 1600.

Monacellus Franciscus (*De Regulis Cancellariæ*).

Montesinos Ludovicus, Hispanus, S. J. Ipsius quæstiones morales, teste Ressler, ut nimis benignæ Romæ prohibitæ igni traditæ sunt; sed postea cor-

rectæ prodierunt Colonix cum approbatione superiorum (*Quæstiones selectæ morales*): m. post 1672.

Muniessa Thomas, Hispanus, S. J. (*Stimulus conscientix*, 1698.)

N

** *Naldus* Antonius, Italus, Clericus regularis, doctor utriusque juris, circa 1600.

†* *Natalis* Alexander, Gallus, ord. S. Dominici, in doctrinis moralibus rigidus, n. 1639, m. 1724.

* *Navarrus* (Martinus Azpilcueta de Navarra), Hispanus, canonicus regularis ob magnam in theologia et jure canonico scientiam Romam vocatus et pœnitentiarius factus est. Præcelluit in illo præ ceteris virtutibus maxime liberalitas erga egenos (*Comment. in Jus Canon. Enchiridion seu Manuale, etc.*). Nonaginta duos annos natus, m. 1586.

* *Navarrus* Petrus (vel Navarettus), Hisp., Dominicanus (*De Restitutione, etc.*), circa 1590.

Navarrus Tiburtius, Hisp., ord. minorum, xvii sæc.

Nazarius Joan. Paulus, Italus, Dominicanus, a Clemente VIII multum æstimatus et cum nuntio apostolico ad extirpandas hæreses in Bohemiam missus est: m. 1645.

Neusser Bruno, Gallus, professor theologiæ et provincialis fratrum Recollectorum Colonix, scripsit (*Absolutissima Polyanthea theologo-moralis-canonica*) 1680.

†* *Nicole* Petrus, Gallus, Jansenianus, n. 1625, m. 1695.

Noceti Carolus S. J. (*Veritas vindicata*, Romæ, 1753).

Novo-Castro Andreas, Franciscanus, *Doctor ingeniosissimus*.

** *Nugnus* Didacus, Hispanus, Dominicanus, xvii sæc.

O

Ochagavius Petrus, Hispan., xvii sæc.

Onnate (Petrus de), Hisp., S. J.; missionarius in provincia Peruana, postea provincialis Paraquariæ (*De Contractibus*), n. 1567, m. 1646.

†* *Opstraedt* Joannes (*Dissertatio theologica de praxi administrandi sacramentum Pœnitentiæ, etc.*). In indicem libr. prohibitorum relatus.

* *Oviedo* (Franciscus de), Hispanus, S. J. (*In S. Thom. 1. 2. Item de Fide, Spe et Charitate*), n. 1602, m. 1651.

P

Palacius Michael, Hisp., xvi sæc.

Palau. Vide *Castropalaus*.

Pallavicinus Sforza, S. J., Cardinalis, celeberrimus auctor historiæ concilii Trid. (*De universa theologia Assertiones*), n. 1607, m. 1667.

* *Paludanus* (Petrus de Palude), Gallus, Dominicanus, patriarcha Hierosolymitanus, m. 1342.

Panormitanus. Vide *Abbas*.

Pardus Emmanuel, Hisp., S. J., 1664.

Parisius Flaminius, jurisconsultus (*De resignatione beneficiorum*).

Pasqualigo Zacharias, Italus, clericus regularis Theatinus, auctor nimis benignus (*De Sacrificio novæ legis*), 1630.

- Passerinus* Petrus Maria, Dominicanus (*De Electione canonica*), 1694.
- †* *Patulius* Vincentius, Italus, Dominicanus, acerbus adversarius S. Alphonsi, auctor theologiæ moralis; n. 1700. m. 1769.
- †* *Pavone* Jos. Maria, Neapolitanus, congregationis SS. Redemptoris in fine XVIII sæc.
- Pæx* Jordanus, episc. et canonista.
- ** *Pelbartus* de Temeswar, ord. S. Francisci.
- Pellizarius* Franciscus, Italus, S. J. (*Manuale Regularium. De Monialibus.*) Opus ejus utrumque in Indicem relatum est. *Tractatio* tamen *de Monialibus* correctæ juxta editionem romanam anni 1755 permittitur; m. 1651.
- ** *Perez* Antonius, Hisp., S. J., n. 1583, m. 1649.
- Perez* Martinus, Hisp., S. J., simul pietate et ingenio præstantissimus (*De matrimonio, an. 1656.*)
- Pesantius* Alexander, Romanus, theologiæ et juris utriusque doctor, 1617.
- Petra* Vincentius, Card. (*Comment. in Constit. Apostolicas.*)
- †* *Petrocorensis*, theologus anonymus, qui theologiæ moralem pro usu seminarii Petrocorensis edidit.
- Pestchacher* Benedictus, Benedictinus (*De Restitutione an. 1676.*)
- Peyrinis* (Laurentius de), ordinis Minimorum (*De Privilegiis Regularium, etc.*), m. circa 1620.
- Phæbeus* Franc., Italus., S. J. (*Institutiones Juris Canonici*); m. 1706.
- Piacesius* Paulus, Polonus, juris utriusque doctor, archidiaconus Warsaviensis (*Præcis Episcopalis et ecclesiastica*), circa 1665.
- ** *Pichler* Vitus, Germanus, S. J., professor Ingolstadiensis (*Jus canonicum. Quæstiones Canonicæ*), m. 1750.
- Pignatellus* Jacobus, Italus (*Consultationes Canonicæ*), circa 1645.
- Pirhing* Henricus, Bavarus, S. J., ceber canonista (*Juris Canonici methodus, etc.*), m. circa 1760.
- Pittonius* Franciscus Maria, episcopus Imeriæ; canonista.
- Platelius* Jacobus, Belga, S. J. (*Synopsis cursus theologici*), n. 1608, m. 1681.
- Polancus* Joan., S. J. (*Directorium Confessarii. Methodus adjuvandi moribundos*), 1617.
- †* *Pontas* Joannes, Gallus (*Dictionarium Casuum conscientiæ*), n. 1638, m. 1728.
- ** *Pontius* Basilius, Hisp. Augustinianus (*De Matrimonio*), m. 1629.
- ** *Pontius* Joannes, Hispanus, Franciscanus (*Cursus theologicus*), circa 1644.
- Portel* Laurentius, Lusitanus, ord. S. Francisci, theologus pius et sapiens (*Responsa Moralia. Dubia Regularium*), m. circa 1640.
- ** *Possevinus* Antonius, Italus, S. J. nuntius apostolicus in Polonia, Russia et Suecia. Fuit Confessarius S. Francisci Salesii, cum is Patavii studiis vacaret; n. 1534, m. 1611.
- Potestas* Felix, Italus, ordinis minorum (*Examen Ecclesiasticum*).
- ** *Prado* (Martinus de), Hisp., Dominicanus, m. 1668.
- ** *Præpositus* Joan., Belga, S. J., vir sinceræ pietatis, n. 1571, m. 1634.

Q

- Quaranta* Stephanus, Italus, juris utriusque doctor, XVII sæc.
- Quarti* Paulus Maria, Italus, ex congregatione clericorum regularium (*In rubricas Missæ*), 1655.
- Quintanadvenas* (Antonius de), Hisp., S. J. (*Singularia Theologiæ moralis*), m. 1651.

R

- Raymundus* de Pennafort (sanctus), n. 1175, m. 1275.
- Raynaudus* Theophilus, Gallus, S. J. (*Opera varia moralia*), n. 1583, m. 1663.
- Rebellus* Ferdinandus, Lusitanus, S. J. (*De obligationibus justitiæ, religionis, et caritatis*), n. 1547, m. 1608.
- Rebuffus* Petrus, Gallus, jurisconsultus Parisiensis (*Praxis Beneficiorum, etc.*), 1610.
- Reding Augustinus, Benedictinus* (*Theologia Scholastica*), 1667.
- Redoanus Guillelmus* (*De Spoliis ecclesiasticis. De Simonia*), 1570.
- ** *Reginaldus* Valerius, Gallus, S. J., discipulus Maldonati. Fuit vir non minus doctus quam sanctus, et imprimis devotissimus erga sanctissimum Sacramentum. S. Franciscus Salesius et S. Carolus Borromæus ejus opera clero commendabant; S. Alphonsus vero pariter eum inter doctores classicos numerat (*Praxis fori pœnitentiarii. De prudentia Confessarii*); m. 1623.
- ** *Reiffenstuel* Anacletus, Bavarus, ord. min. S. Francisci, celeber canonista, citatur sæpius sub nomine *Anacleti* (*Jus Canonic. — Theologia Moralis*), xvii sæc.
- ** *Reuter* Joannes, Romanus, S. J., doctrinæ soliditate, concinnitate et ordine rerum insignis (*Theologia Moralis*), m. 1762.
- Rhodes* (Georgius de), Gallus, S. J. (*Theologia Scholastica*), m. 1661.
- Riccus* Aloysius, canonicus Neapolitanus (*Praxis aurea fori ecclesiastici*), 1674.
- ** *Rodriguez* Emmanuel, Lusitanus, ord. S. Francisci (*Summa Casuum, Quæstiones Regulares et Canonicæ*), n. 1551, m. 1619.
- ** *Roncaglia* Constantinus, Italus, congregationis Matris Dei (*Theologia Moralis*), xviii sæc.
- Rosa* (Thomas de) (*De executoribus litterarum Apostolicarum*, 1683).
- Rosell* Joseph, Carthusianus (*Praxis deponendi conscientiam dubiam et scrupulos*), 1656. Opus a S. Cong. Indicis prohibitum.
- Rosella*. Vide *Trovamala*.
- Rosmer* Paulus, Belga, S. J. (*De Act. hum. De Jure et Justitia. De Pœnitentia*), m. 1664.

S

- ** *Sa* Emmanuel, Lusitanus, S. J. Sanctus Pius V eum magni æstimabat et in nova editione Bibliorum sacrorum adhibuit (*Aphorismi Confessariorum*), n. 1530, m. 1596.
- ** *Sabinus* Franciscus, Bononiensis, ordinis Minorum, xvii sæc.
- † *Sættler* Gasparus, Doctor Argentinensis (*Theologia moralis universa*), sæc. xviii.
- ** *Salas* (Joan. de), Hisp., S. J. (*In 2. 2. S. Thomæ. De Contractibus*), m. 1613.
- ** *Salmanticenses*, patres Carmelitæ discalceati, civitatis Salmanticæ (*Cursum Theologicum*), xvii sæc.
- Salmeron* Alphonsus, Hisp., S. J., S. Ignatii socius, interfuit concilio Tridentino.
- ** *Salonius* Mich., Hisp., ordinis S. Augustini (*De Jure et justitia, etc.*), xvii sæc.

** Sanchez Thomas, Hisp., S. J. (*Opus morale in Decalogum. De Matrimonio*), n. 1551, m. 1610.

Sancius (Sanchez) Joan., Hisp., doctor utriusque juris, auctor nimis benignus (*Disputationes selectæ*), circa 1620.

** Santarellus Antonius, Italus, S. J., n. 1569, m. 1649.

** Sayrus Gregorius, Anglus, Benedictinus de Monte Cassino (*Clavis Regia. De Censuris*), m. 1602.

Sbroccius Jacobus (*De Vicario Episcopi*).

Schiara Anton. Thomas, clericus regularis (*Theologia Bellica*), 1707.

** Schildere (Ludovicus de), Belga, S. J. (*De principiis formandæ conscientiæ*), n. 1606, m. 1657.

Schmalzgrueber, Franciscus, S. J. (*Jus ecclesiasticum universum*); n. 1663, m. 1735.

Scotus Joan. Duns, Franciscanus, doctor *Subtilis*, m. 1308.

** Serra Joan. Angelus, Italus, m. 1775.

** Sfondratus Cælestinus, Benedictinus, docuit jus canon. Salisburgi, tunc abbas monasterii S. Galli, demum Cardinalis creatus est; n. 1649, m. 1696.

* Silvester (Prierias), Italus, magister sacri Palatii et præpositus generalis ordinis S. Dominici (*Summa Silvestrina*), m. 1523.

Simanchus Jacobus, Italus, episcopus Pacensis.

Simonet Edmundus, Gallus, n. 1662, m. 1733.

†* Sinnichius Joan., Hibernus, doctor Lovaniensis, Jansenii propugnator, qui non dubitavit asserere: « Non potest damnari Jansenius nisi ridente Pelagio, plorante Augustino. » Idem est auctor propositionis damnatæ, quæ aiebat, non esse licitum inter opiniones probabiles sequi probabilissimam; m. 1666.

Sorbo (Hieronymus de), Capuccinus.

** Sotus Dominicus, Hisp., ord. S. Dominici, docuit theologiam per 30 annos in universitate Salmanticensi et interfuit concilio Tridentino (*In 4 libr. Sententiarum. De Justitia et jure*); n. 1494, m. 1560.

Sotus Petrus, Hispanus, ord. S. Dominici (*De institutione Sacerdotum*), m. 1563.

Spe Fridericus, Germanus, S. J. (*Cautio criminalis*), m. 1635.

Sperellus Alexander, Italus, episcopus Eugubinus (*Decisiones fori ecclesiastici*), circa 1638.

** Sporer Patricius, Germanus, Passaviensis, ord. S. Francisci, definator sui ordinis. De hoc auctore ait S. Alphonsus, quod fuit in suis sententiis satis æquus et forte aliquando plus, quam par est, benignus (*Theol. Moralis, etc.*); m. post 1700.

Stephanus a S. Paulo, Carmelita (*Theologia moralis*).

** Stoz Matthæus, Germanus, S. J. (*Tribunal pœnitentiale*), n. 1614, m. 1678.

** Struggl Marcus M., egregius ex ord. Serv. B. M. V. Theologus (*Theologia moralis juxta S. Canones et probatos auctores, etc.*), 1758.

** Suarez Franciscus, Hisp., S. J., vir fundatissimæ scientiæ et profundæ humilitatis. Docuit theologiam cum summa laude Compluti, Salmanticæ et Romæ, et 23 tomos in folio præter manuscripta reliquit. Benedictus XIV ipsum luminare theologiæ nuncupavit. Bossuetus eum imprimis quasi doctorem omnigenæ scientiæ laudat, S. Alphonsus vero doctoribus classicis annumerat. Tali fuit vitæ sanctitate, ut moriens præ dulci jubilo exclamare posset, se non putasse tam facilem esse exitum. Multi opinati sunt scientias illi divinitus infusas fuisse; n. 1548, m. 1617.

Suarez Joan., Lusitanus, ord. S. Augustini; episcopus Conimbricensis, interfuit concilio Tridentino; m. 1580.

** *Sylvius* Franciscus, Belga, canonicus et decanus sancti Amati Duaci, ubi plus quam 30 annos theologiam docuit. Vir simul doctus et sanctus, n. 1581, m. 1649.

T

†* *Taberna* Joan. Bapt., Belga, S. J. (*Synopsis Theologiæ practicæ*), c. 1700. Fuerunt qui Tabernam laxitatis incusarunt. Quam notam alii deinceps ab eo depulerunt. Vid. infr. V. *Vindiciæ*.

Tamburini Ascanius, cong. Vallumbrosanæ (*De jure Abbatum.*)

Tamburini Thomas, Siculus, S. J., docuit 24 annos theologiam, et subinde librorum censor ac consultor sacri Officii factus est. Auctor nimis benignus (*In Decalogum, etc.*), n. 1591, m. 1675.

Tancredus Vincentius, Italus, S. J. (*Quæstiones morales, De Matrimonio, De virtute Religionis*), n. 1599, m. 1659.

** *Tanner* Adam, Germanus, S. J., natus Ceniponti, docuit theologiam Ingolstadii et Monachii 20 annos; sed crescente fama, Matthias imperator eum Viennam accersivit, ut pro Martino Becano theologiam explicaret: Ferdinandus vero II universitati Pragensi cancellarium dedit, quando eam Societati Jesu commisit. Demum adversante valetudine et Gustavo Adolpho Bavariam incurstante, in Tirolim regressus, in ipso itinere extinctus est. Variarum linguarum peritus, historiæ ecclesiasticæ amator, sanctorum Patrum indefessus peruestigator, magna auctoritate pollebat, quam virtutes religiosæ adhuc augebant: n. 1572, m. 1632.

** *Terillus* Antonius, Anglus, S. J., doctor et professor Lovaniensis eruditissimus, probabilistarum antesignanus, ut ait Amort (*De conscientia probabili, regula morum*), c. 1668.

Thesaurus Carolus, S. J. (*De Pænis ecclesiasticis*).

Thomas Aquinas sanctus, doctor Angelicus, n. 1227; m. 1274.

Thomassinus Ludovicus, Gallus, congregationis Oratorii (*Vetus et nova Disciplina Ecclesiæ circa beneficia, etc.*), n. 1619, m. 1695.

Tiraquellus Andreas, Gallus, celeberrimus jurisperitus (*De privilegiis piæ causæ*), m. 1558.

** *Toletus* Franciscus, Hisp., fuit singulare decus Societatis Jesu, et cum Bellarmino, Lugone, Pallavicino dignus habitus est, qui in sacrum collegium Cardinalium assumeretur. Summam scientiam cum profunda humilitate et devotione ita egregie conjunxit, ut multi dubitarent, num potius sanctitatem an doctrinam mirarentur. Ipsius instructio sacerdotum cum summa laude christiani orbis excepta, et a S. Francisco Salesio ut tutam doctrinam continens clero commendata est. Cabassutius, quamvis antiprobabilista, non dubitavit dicere, quod plura sæcula virum tanti meriti vix visura sint, nec ulla laudes sufficere pro Card. Tolet: n. 1532, m. 1596.

Tonduti (Petrus Franciscus de) (*Quæstiones et resolutiones canonicæ, etc.*).

Trovamala (Joan. Bapt. de), Italus, ordinis minorum, auctor summæ quæ dicitur *Rosella*, xv sæc.

** *Trullenchus* Joan., Hisp. (*Praxis Sacramentorum*), m. 1633.

Tuccius Stephanus, Italus, S. J., xvi sæc.

Turrecremata (Joan. de), Hispanus, ordinis S. Dominici, Cardinalis, episcopus Sabinensis, n. 1388, m. 1468.

Turrianus Aloysius, Hisp., S. J. (*In 1. 2. S. Thomæ. De Pœnitentia, De virtutibus et vitiis*), n. 1562, m. 1635.

Tuschus, Dominicus, Cardinalis (*Practicæ Conclusiones juris*), m. 1620.

U

Ubaldis (Petrus de), Italus, celeberrimus jurisconsultus, m. 1400.

Ugolinus Bartholomæus, Italus, ordinis eremitarum S. Augustini (*De Censuris et irregularitatibus*), xvi sæc.

Urbanus ab Ascensione, Carmelita, 1648.

Ursaya Dominicus, jurisconsultus Romanus.

V

Valente Franciscus, Lusitanus, S. J. (*Concordia juris Pontificii cum Cæsareo*), m. 1662.

** *Valentia* (Gregorius a), Hisp., S. J., docuit philosophiam et theologiam Romæ, Ingolstadii et Dilingæ (*Comment. theolog. in Quæstiones S. Thomæ, etc.*); n. 1543, m. 1603.

Valentin, Gallus, scripsit gallice de Præceptis, Sacramentis, et sacerdotali Officio; m. 1847.

Van-Espen (Zegerus Bernardus), Belga, vir apostolicæ Sedi infensissimus, n. 1646, m. 1728.

** *Vasquez* Gabriel, Hisp., S. J., docuit 30 annos theologiam Romæ et Compluti. In illo virtus cum doctrina, obedientia cum ingenio, pietas cum sapientia certare videbatur. Benedictus XIV eum et Suarez duo luminaria theologiæ nominavit; n. 1551, m. 1604.

Vega Alphonsus, Hisp., ord. minorum, c. 1596.

Vega Andreas, Franciscanus, vir doctrina eximius et Tridentini Concilii theologus.

** *Velasco* Achatius, Hisp., ordinis S. Dominici, episcopus Oriolensis, m. 1765.

Velasquez Joan. Ant. Hisp., S. J., n. 1585, m. 1669.

Ventriglia Joan. Bapt., Italus, episcopus Casertinus.

Vetracrus Alphonsus, Hisp., xvi sæc.

Vericellus Angelus Maria, Italus, clericus regularis (*De Apostolicis Missionibus*), xvii sæc.

** *Victoria* (Franciscus de), Hisp., Dominicanus, habuit celeberrimos discipulos, Dominicum Sotum, Bartholomæum Medinam et Melchiorem Canum, qui ipsum summum theologiæ præceptorem ducemque optimum appellavit; m. 1549.

** *Vidal* Marcus, Italus, clericus regularis et professor theologiæ, xvi sæc.

Vieumontius Claudius, Parisiensis (*Salutaris Pœnitentia peccatoris*), 1595.

** *Villalobos* (Henricus de), Hisp., Franciscanus (*Candelabrum aureum, de Sacramentis et Censuris*), c. 1620.

** *Villar* Thomas, Hisp., ord. S. Dominici, c. 1650.

Vindiciæ Gobatianæ, sive examen propositionum, quas ex operibus P. Gobat damnavit Episcopus Atrebatensis, 1706.

Vindiciæ Tabernæ, sive Auctor Anonymus, qui Tabernam defendit contra damnationem Episcopi Atrebatensis, 1706.

** *Viva* Dominicus, Italus, S. J., docuit 30 annos theologiam Neapoli; Benedictus XIV eum cum laude memorat (*Damnatæ Theses. Cursus Theol. moral.*), m. circa 1710.

Vivaldus Martinus Alphonsus, Italus, canonicus regularis congregationis SS. Salvatoris, c. 1590.

Vogler Josephus, Germanus, S. J. (*Juris cultor Theologus circa obligationes restitutionis*), sæc. XVIII.

** Voit Edmundus, Germanus, S. J. (*Theologia moralis practica*), m. ad fin. sæc. XVIII.

Volpiliere (Philippus de) (*Theologia speculativa et practica*), 1590.

W

Wadingus Petrus, Hibernus, S. J. (*De Contractibus*), n. 1586, m. 1644.

Wagnereck, Bavarus, S. J. (*Commentarius exegeticus in Decretales*), 1665.

Waldensis Thomas, Anglus, m. 1430.

†* Wendrochius Guillelmus, Jansenianus rigidissimus, cujus liber de probabilismo damnatus et flammis traditus est, xvii sæc.

Wex Jacobus, Germanus, S. J. (*Ariadne Carolino-Canonica*), xvii sæc.

Wiestner Jacobus, Germanus, S. J. (*Institutiones Canonice*), xvii sæc.

†* Wigandt Martinus, Germanus, Dominicanus, professor theologiæ in universitate Viennensi, xvi sæc.

Wiggers Joan., Belga, doctor Lovaniensis, vir valde doctus, et pius, n. 1571, m. 1639.

† Witassus Carolus, Gallus, doctor Sorbonicus, n. 1660, m. 1716.

Z

Zabarella Paulus, Cardinalis, Patavinus, Augustinianus.

** Zacharia Franciscus Anton., Italus, S. J., n. 1712, m. 1796.

Zacchias Paulus, medicus Romanus (*Quæstiones medico-legales*), sæc. xvii.

Zambranus Melchior, Hisp. (*Aureæ Decisiones casuum conscientie*), circa 1604.

Zanardus Michael, Italus, auctor nimis benignus, n. 1570, m. 1641.

Zecchius Lælius, jurisconsultus canonicus, Brixiensis (*De Republica ecclesiastica, etc.*), c. 1580.

Zechius Franc. Xav., Germanus, S. J., professor Ingolstadiensis, m. c. 1750.

** Zerola Thomas, Italus, episcopus Minoricensis (*Praxis Episcopalis. Praxis sacramenti Pœnitentiæ*), m. 1663.

Zoesius Henricus, J. U. D. Lovanii (*In Jus Canonicum universum*), 1627.

Zumel Franciscus, Hisp., ordinis de Mercede, m. 1706.

Zypus Franciscus, jurisc., vicarius generalis Antverpiæ (*Responsa de Jure Canonico. De Jurisdictione ecclesiastica. Jus Pontificium novum*).

SERIES CHRONOLOGICA

PROPOSITIONUM DAMNATARUM

AB ANNO 1418 CONTRA JOANNEM WICLEFFUM, AD ANNUM 1864
CONTRA RECENTIORES ERRORES

NUM. I

*Articuli 45, Joannis Wicleffi, damnati in Concilio Constantiensi,
Sessione XLV, anno 1418.*

1. Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.
2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.
3. Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter propria præsentia corporali.
4. Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat; non consecrat, non conficit, non baptizat.
5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.
6. Deus debet obedire diabolo.
7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua et inutilis.
8. Si Papa sit præscitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.
9. Post Urbanum VI non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.
10. Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.
11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo : et qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus vel excommunicatus.
12. Prælatus excommunicans clericum qui appellavit ad regem vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni.
13. Illi qui dimittunt prædicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei iudicio traditores habebuntur.
14. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis apostolicæ sive Episcopi catholici.

15. Nullus est dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes, applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem quam generales, cæteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio præsciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservatur Papæ et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

29. Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt Ecclesiæ sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papæ vel cujuscumque Prælati non est timenda: quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra: et ingredientiæ sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Sylvester Papa et Constantinus imperator errarunt, Ecclesiam dotando.

34. Omnes ordines mendicantium sunt hæretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

35. Ingrediens religionem, aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum cælorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessiones habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habeant, et consentientes eis, omnes, videlicet domini sæculares et cæteri laici.

37. Ecclesia Romana est synagoga satanæ, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.

38. Decretales epistolæ sunt apocryphæ, et seducunt a Fide Christi: et clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator et domini sæculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus, a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

42. Fatuum est credere indulgentiis Papæ et Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quod habuerunt possessiones, et instituerunt et intraverunt religiones : et sic, a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt hæretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

NUM. II.

Articuli 30, Joannis Hus, damnati ut supra.

1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, Divinitas et Humanitas, sunt unus Christus.

5. Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ : et prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum, sive fuerint in gratia sive non, secundum præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus Fidei.

7. Petrus non est nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, Sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis et sacris rebus Ecclesiæ, veneratione reliquiarum, indulgentiis, et Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæsare inolevit, et Papæ perfectio et institutio a Cæsaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio quod esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11. Non oportet credere quod iste, quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus : cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem : quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus et manifestus successor apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro : et si quærit avaritiam, tunc est vicarius Judæ Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores Collegii aliorum apostolorum Christi, nisi vixerint more apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Jesu Christi.

14. Doctores ponentes quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas, et pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in

omnibus, dicentes *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari iudicio tradiderunt : et quod talès sint homicidæ graviores quam Pilatus.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa : quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose : et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose : quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, et habentes Scripturæ notitiam, et affectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obstante prætensa excommunicatione. Quod si Papa vel aliquis Prælatus mandat sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit : et illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam protegit, et viam præparat Antichristo. Signum autem evidens est quod ab Antichristo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus, et præsertim si est præscitus, tunc ut Judas apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa vel Prælatus malus et præscitus est æquivoce pastor, et vere fur et latro.

23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium : quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et præcones dicerentur sancti : imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam : nam Judas Iscariothes rite et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio 45 art. Joannis Wicleffi, per doctores facta, est irrationalis, et iniqua, et malefacta; ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quod electores vel major pars eorum consenserint viva voce secundum ritum hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor vel vicarius Petri apostoli vel alterius apostoli in officio ecclesiastico : unde, sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere : nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum : sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem iudicii.

30. Nullus est dominus civilis, nullus est Prælatas, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

NUM. III

Propositiones 9, Magistri Petri Oxomensis, damnatæ in Congregatione Complutensi, et deinde a Sixto IV, anno 1479.

1. Peccata mortalia, quantum ad culpam et pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiæ, non de jure divino.

3. Prævæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta.

6. Papa non potest indulgere alicui viro pœnam purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romæ errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ.

9. Sacramentum Pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ sacramentalis, naturæ est, non alicujus institutionis veteris vel novi Testamenti.

Damnatae ut scandalosæ et hereticæ.

NUM. IV

Errores 41, Martini Lutheri, damnati a Leone X, bulla Exurge, Domine, etc., 16 Maii 1520.

1. Hæretica sententia est, sed usitata, sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cœli.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes Pœnitentiæ, contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura nec antiquis sanctis christianis doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, amissionem æternæ beatitudinis,

ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius : de cætero non facere, summa pœnitentia : optima pœnitentia, nova vita.

8. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet : non enim sufficit remissio peccati et gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi *Quodcumque solveris, etc.* (Matth. xvi.) Hinc, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio sed joco absolveret; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In sacramento Pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus sacerdos : imo, ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad sacramentum Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas et præparatoria : omnes illi iudicium sibi manducant et bibunt. Sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos : nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt hæretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum.

18. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum : et sunt de numero eorum quæ licent et non de numero eorum quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutes et ad fructus spiritus utiles.

21. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.

22. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ nec utiles : videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24. Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum, *Quodcumque solveris super terram, etc.* (Matth. xxi) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse statuere articulos Fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

34. Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbæ vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo: et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura quæ sit in canone.

38. Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendæ charitatis.

39. Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem et horrent pœnas.

40. Animæ ex purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Prælati ecclesiastici et principes sæculares non male facerent si omnes saccos mendicitatis delerent.

NUM. V

Propositiones 79, Michaelis Baii, damnatæ a S. Pio V, bulla Ex omnibus afflictionibus, etc. 1 Oct. 1567, necnon a Gregorio XIII, bulla Provisionis nostræ, etc. 29 Jan. 1579, et ab Urbano VIII, bulla In eminenti, etc., 6 Mart. 1641.

1. Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita æterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum

operum, et bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera : sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non recte vocantur gratia : quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro et angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia : sed quia, secundum usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur quæ per Jesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pænæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe manet, et corporis resurrectio proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie et juste in hac vita mortali usque in finem vitæ conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est : neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est : opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritum.

13. Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi mercedem amplioem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo quod qui bene operantur habeant gratiam et inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum quod obediunt divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo de gratia adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides et Pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita : quam vitam ipsi non consequentur nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiæ et temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus Fidei gratiam non habentibus:

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quo-

dam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, et Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent :

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut ab ea non superetur.

31. Caritas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Caritas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominantanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per Fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia : non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinæ naturæ consors efficitur, ut, sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio : separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque quæ a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis justitia : non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa qua omne opus quod fit ut sancta societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo : eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium;

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus et reatus : transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat : ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores) : sed aliquid facimus cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta : sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero modo quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex ob-

jecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni æterni eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis qua divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei pœnitentiæ et vitæ novæ propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere justificatur, et palme vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.

65. Non nisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus : et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiæ quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem : et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum : unde et Job et martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiatum, prohibiti præcepto *Non concupisces* : unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum *Non concupisces* : quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.

NUM. VI

Propositio, qua asseritur æqualitas sanctorum Petri et Pauli, damnata ab Innocentio X, decreto Congregationis generalis sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis Editus est, etc., 29 Jan. 1647.

Sanctissimus, relata unanimi theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura et auditis votis eminentissimorum et revendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositionem hanc : *S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes qui unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti, vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides qui unicum caput constituunt*, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit et declaravit.

NUM. VII

Propositiones 5 Cornelii Jansenii, ex ejus libro cui titulus Augustinus excerptæ, damnatæ ab Innocentio X, constitutione Cum occasione, etc., 31 Maii 1653, necnon ab Alexandro VII, constitutione Ad Sanctam B. Petri Sedem, etc., 16 Oct. 1656, tum constitutione Regiminis apostolici, etc., 15 Febr. 1664, in qua formularium edidit, denique a Clemente XI, constitutione Vineam Domini sabaoth, etc., 16 Jul. 1705.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentem quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Declarata et damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, et hæretica.*

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Declarata et damnata uti hæretica.*

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Declarata et damnata uti hæretica.*

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei : et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Declarata et damnata uti falsa et hæretica.*

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. *Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et (intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit), impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.*

Formularium Alexandri VII

« Ego N. Constitutioni apostolicæ Innocentii X, datæ die 31 Maii 1653, et « constitutioni Alexandri VII, datæ die 16 Octobris 1656, summorum Pontificum, « me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen « *Augustinus* excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per « dictas constitutiones Sedes apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac dam- « no, et ita juro, Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

NUM. VIII

Propositiones 45 damnatæ ab Alexandro VII, decretis Congregationis generalis sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis Sanctissimus Dominus noster, etc., 24 Sept. 1665 et 18 Mart. 1666.

Feria V, die 24 Septembris anno 1665.

Sanctissimus Dominus noster audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus (cujus verba in æternum permanent) arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N., ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa lataque (per quam itur ad perditionem) via pro pastoralis sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen, etc.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens bullam Cænæ solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 julii in Consistorio sacre Congregationis eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitare in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non ob-
tenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur regulari Episcopo
præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius
pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium sim-
plicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel
de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi
non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi reli-
gioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere,
nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac (tiam judicem, a
quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum
evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio de-
prehensam.

20. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in
conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasti-
cum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium
recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia
collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit
illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi con-
ferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi
ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præ-
cepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ;
ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens:
Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando co-
pulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex
pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis,
dum non constet rejectam esse a Sede apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Prin-
cipe promulgatam.

Feria V, die 18 Martii anno 1666.

Propos. 29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, non frangit jeju-
nium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati
ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum
jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equi-

tando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lactinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quas-cumque elemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis et crastini.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V, hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti (sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali) confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinariæ, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti *donec expurgentur* possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Omnes damnatæ et prohibitæ ut minimum tanquam scandalosæ.

NUM. IX

Propositiones 65 damnatæ ab Innocentio XI, decreto Congregationis generalis sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis Sanctissimus Dominus noster, etc., 2 Mart. 1679.

Feria V, die 2 Martii 1679.

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in colatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini : quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et Fidei gloriosum consulo : tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis.

26. Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis : quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter, occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi quam legatario, contra injuste impediendam ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere : sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam, contra earum possessionem injuste impediendam.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum (quamdiu in utero est), carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitiâ debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut e contra.

46. Et id quoque locum habet. etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subsevit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiCIatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imò directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Omnes damnatæ et prohibitæ, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosæ et in praxi perniciosæ.

66. *Summus Pontifex decretum concludit his verbis* : Tandem ut ab injuriis contentionibus doctores seu scholastici aut alii quicumque in posterum se absteineant, et ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censura et nota nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones quæ adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a sancta Sede, re cognita, super iisdem propositionibus iudicium proferatur.

Alia propositio damnata sub eodem Innoc. XI, an. 1682.

Scientia ex confessione acquisita uti licet modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine penitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.

Revocari huc potest et decretum Clementis VIII, 26 Maii an. 1594.

Tam superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Quoad sacramentum Pœnitentiæ sub Clemente VIII, 19 Jul. 1602, proscripta est sequens Propositio.

Licet per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

NUM. X

Propositiones 68, Michaelis de Molinos, damnatæ ab Innocentio XI, Constitutione Cœlestis Pastor, etc., 20 Nov. 1687.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare, et hæc est vita interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens : et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem : quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsam principium redit et ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizzata, et Deus tunc in se ipso remanet ; quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio nec de punitione, nec de paradiso nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat nec ne: nec opus est ut velit cognoscere suum statum nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur nec ne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat: quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ: et illud Evangelii *Petite et accipietis* non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem: imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita: quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum: nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria: et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in Fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctæ attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum et amandum eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitionis hæc per Fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse : et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam : et hac cessante, animam regredi debet ad tertium gradum et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, et sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerantur, non impediunt orationem Fidei : imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiam si superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis : quia oratio et resignatio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, et unitiva, est absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica : cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec querit Deum sed seipsum : et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod exprimitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante nec post Communionem alia requiritur præparatio aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solida resignatione passiva : quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei : alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum : quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo quod operetur in illis : et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem dominicam seu Pater noster recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate ; alias non essent mortuæ. Nec debent

elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi: quia, cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde: quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera et pœnitentiæ quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod huiusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et fœminæ, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis sanctos efficiebat tyrannorum ministerio: nunc vero eos efficit sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis: quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus huiusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago: sed, quod nolo malum, hoc facio.*

46. Huiusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via: et hæc est via facilior et tutior.

47. Cum huiusmodi violentiæ occurrunt, sincere oportet ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo: et etiamsi sequantur pollutiones et actus obsceni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores: quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, et sanctissime fit non confitendo: quia hoc pacto superatur dæmon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui huiusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri: quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex capite xvi Job).

50. David, Jeremias, et multi ex sanctis prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos : uti illud de Samsone qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, et peccata fuissent : de Juditha, quæ Holoferni mentita fuit : de Elisæo, qui pueris maledixit : de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse quod iis consenserint, et videre quod sint animæ quæ proficiunt in via interna : sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine quod talis operatio est violenta : et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo, quo interdum contingit, quod Deus, aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges et duæ cupiditates (animæ una et amoris proprii altera) tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius, unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges et duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes : quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a confessariis, et a casibus conscientiæ, a theologia, et philosophia.

60. Animabus proVectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit imposibilem, et supplet ipse tanta gratia præservante quantam in sacramento reciperent : et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quin imo signum quod quis in statu nihilitatis maneat id est mortis mysticæ, est, si sensus exte-

riores non repræsentent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi : primo quia non habet Fidem adeo firmam, secundo quia non est adeo humilis, tertio quia non adeo curat propriam salutem, quarto quia caput refertum habet phantasmatis, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriori, et latitudo voti obedientiæ religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiori vero aliter se res habet, quo solus Deus et director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo : quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo direttore adeat. Novam dico doctrinam : quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec canones, nec bullæ, nec Sancti, nec auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt : quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali præposito- rum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio : quia Ecclesia non judicat de occultis : et propriis animabus præjudicant his deceptionibus et simulationibus.

68. In mundo non est facultas nec jurisdictio ad præcipiendum ut manifestentur epistolæ directoris quoad internum animæ : et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanæ, etc.

Damnata tanquam hæreticæ, suspectæ, erroneæ, scandalosæ, blasphemæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, christianæ disciplinæ relaxativæ et ever- sivæ, et seditiosæ respective.

NUM. XI

Propositiones 2 damnatæ ab Alexandro VIII, decreto Sanctissimus Dominus noster, etc., 24 Aug. 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum naturæ rationali : formalis vero, in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative : HUNC HOMO NON TENETUR AMARE NEQUE IN PRINCIPIO NEQUE IN DECURSU VITÆ SUE MORTALIS.

Declarata et damnata uti hæretica.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi : theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea. *Illam effinxerat pro suo libito Arnaldus, suisque adversariis calumniose de more attribuit.*

NUM. XII

Propositiones 31 damnatæ ab Alexandro VIII, decreto Sanctissimus Dominus noster, etc., 7 Dec. 1690.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.
3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.
4. Dedit semetipsum (Christus) pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.
5. Pagani, judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum : adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.
6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere : A gratia sufficienti libera nos, Domine.
7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi : si Dei, Charitas Patris est : si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.
8. Necessè est infidelem in omni opere peccare.
9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et inconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.
10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut celestem obtineat gloriam non est recta nec Deo placens.
11. Omne quod non est ex Fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.
12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides : et etiamsi videantur credere non est Fides divina, sed humana.
13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.
14. Timor gehennæ non est supernaturalis.
15. Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.
16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.
17. Per illam proxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.
18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.
19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.
20. Confessiones apud religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ.
21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.
22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.
23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.
24. Oblatio in templo, quæ fiebat a beata Virgine Maria in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod filius (qui offerebatur) etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.
25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.
26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus : In nomine Patris, etc., prætermissis illis : Ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : Non intendendo quod facit Ecclesia.

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infalibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla Urbani VIII *In eminenti* est subreptitia.

Damnatae et prohibita tanquam temerariae, scandalosae, male sonantes, injuriosae, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneae, schismaticæ, et hæreticæ respective.

NUM. XIII

Propositiones 23 super amore erga Deum purissimo, damnatae ab Innocentio XII, Brevi Cum alias, etc., 12 Mart. 1699.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

2. In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ amittitur omne motivum interestatum timoris et spei.

3. Id quod est essenziale in directione animæ, est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, precautionem, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et ideo potest illas scandalizare aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium : sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum : sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam æterna omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo periculum, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce, dicens : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse : sed nunquam amittit in parte superiori, id est in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, et justæ condemnationi quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione, nam totum quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur... Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ, ut fiat habitualis : ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis... Primo, in fervore nascente earum contemplationis... Secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitur, quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et desinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata, antiqui pastores non proponebant passim multitudini justorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem : et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum qui deliberati et meritorii sunt.

Damnatae et reprobatae tanquam, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariae, scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, in praxi perniciosae, ac etiam respective erroneae.

NUM. XIV

Propositiones 101, Paschasi Quesnelli, damnatae a Clemente XI, Constitutione Unigenitus, etc., 8 Sept. 1713.

1. Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum : absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.

4. Ita, Domine : omnia possible sunt ei, cui omnia possible facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae exteriores non inserviunt nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter foedus judaicum et christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia : in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est, admitti ad foedus in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id quod Deus nobis praecipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.

11. Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum et suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus et interiori vi gratiae suae, operatur illam in corde obedientiam quam petit.

16. Nullae sunt illecebrae quae non cedant illecebris gratiae : quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum: quicumque ad eum non venit postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur: imperat, et omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ et gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam quæ creaturas e nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam centurio habet de omnipotentia Dei et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam et eam sanat, æque ac corpus, sola sua voluntate: jubet, et ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.

27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo Sanguine primogenitos, id est electos, de manu angeli exterminatoris.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, approprianti Christum Jesum, ejus amorem, mortem et mysterium! ut facit sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integre.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentie ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ita vero non recipitur nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia christiana, nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia, nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium Fidei: sine hoc, nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas aut Charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est quando apparet exterius, alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, et sine Charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, *Pater mi*, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

51. Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per Charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in Fide, tanquam in suo germine et semine: sed hæc Fides non est absque amore et fiducia.

53. Sola Charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Jesum Christum.

54. Sola Charitas est quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi Charitatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi Charitatem: quoniam Charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest Spes: et non est Spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est nec religio, ubi non est Charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum: et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium.

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor non nisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum : quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

65. Moyses, prophetæ, sacerdotes, et doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem sicuti bestię, sed per Fidem et per amorem sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes : et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ christianæ est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos cœli, et omnes electos et justos terræ, et omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam, futuri sæculi?

74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, et persona : unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei : quia omnes electi et justi omnium sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre et Christum pro capite.

78. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria sacræ Scripturæ.

80. Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia sanctorum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum librorum. Non ex fœminarum sim-

plicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses.

84. Abripere e christianorum manibus Novum Testamentum seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum istud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filii lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi apostolicæ et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro : nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum : tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra Fidem fidelium, et foveri divisiones propter res quæ nec Fidem lædunt nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, et modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum : adeo remotus est a simplicitate apostolorum, et supra communem captum fidelium : neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, et iræ Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit, membra illa quæ magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia vel tamquam ab ea separata : sed justus vivit ex Fide, et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis et pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie, quoad multos, in odorem mor-

tis id quod Deus in sua Ecclesia posuit ut in ea esset odor vitæ, verbi gratia, bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejusque discipulos! Tempus hoc advenit... Haberi et tractari a Religionis ministris tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Declaratæ et damnatæ tamquam falsæ, captiosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, scandalosæ, perniciosæ, temerariæ, Ecclesiæ et ejus praxi injuriosæ, neque in Ecclesiam solum sed etiam in potestates sæculi contumeliosæ, seditiosæ, impiæ, blasphemæ, suspectæ de hæresi, ac heresim ipsam sapientes, nec non hæreticis et hæresibus ac etiam schismati faventes, erroneæ, hæresi proximæ, pluries damnatæ, ac demum hæreticæ, variasque hæreses et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu in quo hæ damnatæ fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovantes respective.

NUM. XV

Propositiones 5 de duello, damnatæ a Benedicto XIV, Constitutione Detestabilem, etc., 10 Nov. 1752.

1. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

Damnata ac prohibitæ tamquam falsæ, scandalosæ, ac perniciosæ.

NUM. XVI

Propositiones 85 Synodi diœcesanæ Pistoriensis damnatæ a Pio VI, Constitutione Auctorem Fidei, etc., 28 Augusti 1794, quæ integra exhibetur.

Sanctissimi Domini nostri Domini Pii divina Providentia Papæ sexti damnatio quamplurium propositionum excerptarum ex libro italico idiomate impresso sub titulo Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia dell'anno 1786, in Pistoia per Atto Bracali stampatore vescovile con approvazione, cum prohibitione ejusdem libri et aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam forsan editorum quam in posterum edendorum.

Pius, Episcopus, Servus servorum Dei,
Universis christifidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Auctorem Fidei, et consummatorem Jesum aspicientes, nos jubet Apostolus (a) sedulo recogitare qualem quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessarium est, cum adversus corpus ipsummet Christi, *quod est Ecclesia* (b), diræ istius nec unquam desituturæ conjurationis æstus acrius exardescit : ut a Domino confortati, et in potentia virtutis ejus, scuto Fidei protecti, resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extinguere (c). In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione, gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cujusque generis christiani nominis hostes colluctatio subeunda : gravior nobis, quibus, pro credita Pastoralis nostræ sollicitudini gregis totius cura et moderatione, *major cunctis christianæ Religionis zelus incumbit* (d). Verum in hac ipsa oneris gravitate, quæ humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium qui gravantur*, quo magis conscii nobis sumus infirmitatis nostræ, eo firmiorem in spem erigit nos et sublevat apostolici hujusce muneris in persona beati Petri divinitus instituta ratio, ut, qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiæ gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse apostolicæ gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione ac tuendos hæredes dedisset.

Et in hisce quidem ærumnis, quæ undique circumstant, ad cæterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut, unde oportuerat nos gaudere, majorem inde tristitiam hauriremus. *Quippe cum aliquis sacrosanctæ Ecclesiæ Dei præpositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in præceptis devixæ persuasionis avertit, et hoc in amplissima Urbe; tum plane est geminanda lamentatio, et major sollicitudo adhibenda* (e).

(a) *Ad Hebr. xi.*

(b) *Ad Coloss. i.*

(c) *Ad Ephes. vi.*

(d) S. Siricius, *ad Himerium Tarraconensem epist.*, apud Coustant.

(e) S. Cælestinus I, *epist. xii*, apud. Coust.

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina, fuit Episcopus duplicis sedis honore in signis (Scipio de Ricciis, antea Episcopus Pistoriensis et Pratensis), quem ad nos pro Pastoralis munere suscipiendo accedentem paterna charitate complexi sumus : qui vicissim nobis atque huic apostolicæ Sedi in ipso sacræ suæ ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemniter jurisjurandi religione obstrinxit.

Atque is ipse, non longo intervallo posteaquam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversæ sapientiæ magistrorum fraudibus circumventus, eo cœpit intendere, ut, quam superiores Antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam christianæ institutionis formam jam pridem invexerant ac pene defixerant, non ille pro eo ac debebat tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictæ reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Quin etiam, cum et hortatu nostro ad Synodum diœcesanam animum adjunxisset, præfracta ejus in suo sensu pertinacia effectum est, ut, unde remedium aliquid vulnerum petendum erat, inde gravior perniciēs enaceretur. Sane postquam Synodus hæc Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquamdiu abdita delituit, nemo fuit de summa Religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut, quæ antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitent, apostolicis quibus proscripti sunt decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Quæ cum cerneremus, quo graviora sunt per sese, tanto impensius Pastoralis nostræ sollicitudinis opem efflagitare; mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quæ surgenti malo vel sanando vel comprimendo accommodatiora viderentur.

Atque in primis, sapientis moniti memores Prædecessoris nostri B. Zosimi, *ea quæ magna sunt, magnum pondus examinis desiderare* (a), Synodum ab Episcopo editam primum quatuor Episcopis aliisque adjunctis e clero sæculari theologis examinandam commisimus : tum et plurimum S. R. E. Cardinalium aliorumque Episcoporum Congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram nobis voce et scripto edita excepi-mus; qui et Synodum universe reprobendam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexionem plus minusve acerbis censuris perstringendas censuerunt. Quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque nobis curæ fuit, ut selecta ex tota Synodo præcipua quædam pravarum doctrinarum capita, ad quæ potissimum fusæ per Synodum reprobandæ sententiæ directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiceretur.

Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione sive sententiarum disquisitione pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent; ut huic forte jam paratæ calumniæ obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus hujusmodi periculosis noxiisve novitatibus reprimendis plures nostri sancti Prædecessores, tum et gravissimi Antistites, ac generales etiam Synodi rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent.

Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui, catholicarum auri-um

(a) S. Zozimus, *epist.* II, apud Coust.

offensionem verili, captionum suarum laqueos persæpe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum (a) latens error lenius influat in animos, fiatque ut, corrupta per brevissimam adjectionem aut commutationem veritate sententiæ, confessio, quæ salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque hæc quidem involuta fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in Synodo minime ferenda, cujus est hæc laus præcipua, eam in docendo dilucidam consecrari dicendi rationem, quæ nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quæ afferri solet, subdola excusatione defendi, quod, quæ alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata aut etiam correctæ reperiantur: quasi procox isthæc affirmandi et negandi ac secum pro libito pugnandi licentia, quæ fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum quam ad excusandum errorem valeret: aut quasi rudibus præsertim, qui in hanc vel illam forte incidissent parlem Synodi vulgari lingua omnibus expositæ, præsto semper essent alia quæ inspicienda forent dispersa loca, aut his etiam inspectis satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per sese componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani Antistitis Nestorii litteris jam olim sapienter detectum gravissima reprehensione Prædecessor noster Cælestinus (b) coarguit: quibus nempe in litteris vestigatus veterator ille, deprehensus, et tentus suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus, utraque confundens, vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias, nimium sæpe omni ætate renovatas, non alia potior via inita est, quam ut, iis exponendis sentiis quæ sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error quem catholica sententia reprobaret.

Quam et nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus jam feliciter evenisse) magno fore adjumento prospeximus, providere primum ne pertinacibus (si qui supererunt, quod Deus avertat, Synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, justæ suæ damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugantes, per detortam quandam affinium vocabulorum similitudinem, in expressa quam illæ testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde, si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc præconcepta mitior opinio de Synodo, his etiam omnis conquerendi locus præcludatur, qui si recta sapiunt (ut videri volunt), ægre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quæ errores præ se ferant a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Needum tamen satis ex animo lenitati nostræ factum putavimus, seu verius charitati quæ urget nos erga Fratrem nostrum, cui omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire (c). Charitas nempe illa urget nos, qua inductus Prædecessor noster Cælestinus (d), etiam *contra fas*, seu majori quam fas esse videretur patientia, sacerdotes corrigendos expectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque Patribus volumus et optamus homines prava docentes

(a) S. Leo Magnus, *epist.* CXXIX, edit. Ballerin.

(b) S. Cælestinus I, *epist.* XIII, num. 2, apud Coust.

(c) Id., *epist.* XIV, ad populum CP., num. 8, apud Coust.

(d) *Epist.* XIII, ad Nestor., num. 9.

Pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat (a).

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum Fratrem prætermissum videretur, præfatum Episcopum, antequam ad ulteriora progredieremur, aman- tissimis litteris ad eum jussu nostro datis ad nos acciendum duximus, polliciti fore ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur quin, quæ in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque exprimeret. Nec vero spes nos omnis deseruerat fieri posse, ut si quidem animum illum docibilem afferret quem, ex Apostoli sententia, in Episcopo maxime Augustinus (b) requirebat, cum simpliciter et candide (omni remota concertatione et acerbitate) recognoscenda ei propone- rentur præcipua doctrinarum capita quæ visa essent majori animadversione digna, tum facile sese ipse colligens non dubitaret, quæ ambigue posita essent, in sanio- rem sensum exponere, quæve manifestam pravitatem præ se ferrent, aperte repudiare : atque ita, magna cum sui nominis existimatione, tum lætis- sima bonorum omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur (c).

Nunc vero cum ille oblato beneficio, incommodæ valetudinis nomine, minus utendum sibi esse censuerit, differre jam non possumus quin Apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alteriusve diœcesis periculum agitur. *Universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur (d)*. Undique jam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitur sup- remæ apostolicæ Sedis iudicium. Absit, ut vox Petri in illa unquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac præsidens præstat quærentibus Fidei veritatem (e). Tuta non est in talibus longior conniventia : quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa prædicare (f). Abscin- dendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum læditur, sed totum corpus Ecclesiæ sauciatur (g). Atque divina opitulante pietate providendum, ut, am- putatis dissensionibus, Fides catholica inviolata servetur, et, his qui prava defendunt ab errore revocatis, nostra auctoritate quorum Fides probata fuerit muniantur (h).

Implorato itaque cum assiduis nostris tum et piorum christifidelium privatis publicisque precibus Spiritus sancti lumine, omnibus plene et mature conside- ratis, complures ex actis et decretis memoratæ Synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatæ, suis (ut præfatum est) cuique appositis notis et censuris, damnandas et reprobandas censuimus, prout ac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et repro- bamus.

Sunt autem quæ sequuntur :

DE OBSCURATIONE VERITATUM IN ECCLESIA

Ex decret. de grat. § 1.

1. Propositio, quæ asserit, *postremis hisce sæculis sparsam esse generalem*

(a) *Epist. CLXXVI, num. 4; CLXXVIII, num. 2, edit. Maurin.*

(b) *Lib. IV Bapt. contra Donat., c. v. et lib. V, cap. xxvi.*

(c) *S. Cælestinus, epist. XVI, num. 2, apud Coust.*

(d) *Id., epist. XXI. ad episcopos Galliarum.*

(e) *Chrysologus, epist. ad Eutychem.*

(f) *S. Cælestinus I, epist. XII, num. 2.*

(g) *Id., epist. XI, Cyrillo, num. 3.*

(h) *S. Leo Magnus, epist. XXIII, Flaviano CP., num. 2.*

obscuracionem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem et quæ sunt basis Fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi :

Hæretica.

DE POTESTATE COMMUNITATI ECCLESIE ATTRIBUTA
UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICETUR

Epist. convoc.

2. Propositio, quæ statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas :

Hæretica.

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE ROMANO PONTIFICI ATTRIBUTA

Decr. de Fide § 2.

3. Insuper, quæ statuit, *Romanum Pontificem esse caput ministeriale;*

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua, velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiæ Caput, pollet in universa Ecclesia :

Hæretica.

DE POTESTATE ECCLESIE

QUOAD CONSTITUENDAM ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM

Decr. de Fide §§ 13, 14.

4. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde; tum etiam multo minus ad eam pertinere exigere per vim exterioriorem subjectionem suis decretis :*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet, velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli, in disciplina exteriori constituenda et sancienda :

Hæretica.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persuasione :

Quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori judicio ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi :*

Ex Bened. XIV, in brevi *Ad assiduas*, anni 1755, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Polon.,

Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.

JURA EPISCOPIS PRÆTER FAS ATTRIBUTA

Decr. de ord. § 25.

6. Doctrina Synodi, qua profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accipisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint supe-

riores ordinationes spectantes sive ad Fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia :

Schismatica, ad minus erronea.

7. Item, in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem*; idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium* :

Per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitrato statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sive venia et interventu Superioris, hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent :

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item, quod et sibi persuasum esse ait, *jura Episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et, ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ*;

In eo quod innuit, jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ :

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

JUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS
IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINÆ

Epist. convoc.

9. Doctrina, quæ statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis diœcesanis ab Episcopo et parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum* :

Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi arianæ a Calvino innovatæ.

Ex epist. convoc., ex epist. ad Vicar. for., ex orat. ad. Synod. § 8, ex sess. III.

10. Item, doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices Fidei, et simul innuitur judicium in causis Fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto :

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitio-
num judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.

Orat. Synod. § 8.

11. Sententia enuntians, veteri majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a Synodo diœcesana* :

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim.

CALUMNIÆ ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI
AB ALIQUOT SÆCULIS EMANATAS :

De fide, § 12.

12. Assertiones Synodi complexive acceptæ circa decisiones in materia Fidei ab aliquot sæculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrupendæ puritati Fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflata sunt vulnera nimium adhuc recentia :

Falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.

DE PACE DICTA CLEMENTIS IX

Orat. Synod. § 2, in nota.

13. Propositio relata inter aeta Synodi, quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII præscripti :

Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extolendo, et eorum adversarios vituperando :

Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens et hæresim.

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIE

Append., n. 28.

15. Doctrina, quæ proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate :

Hæretica.

DE STATU INNOCENTIÆ

De grat. §§ 4, 7, de Sacram. in gen. § 1, de Pœnit. § 4.

16. Doctrina Synodi de statu felici innocentie, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem Charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam :

Quatenus complexive accepta innuit, statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium :

Falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea. favens hæresi pelagianæ.

DE IMMORTALITATE SPECTATA UT NATURALI CONDITIONE HOMINIS

De Bapt. § 2.

17. Propositio his verbis enuntiata : *Edocti ab apostolo, spectamus mortem non jam ut naturalem conditionis hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis;*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quæ in præsentī statu inflicta est velut justa pœna peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium sed naturalis conditio :

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

DE CONDITIONE HOMINIS IN STATU NATURÆ

De grat. § 10.

18. Doctrina Synodi enuntiãns, *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat; tamen Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum; ac primum ut in statu naturæ homo relictus propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis.*

Doctrina, ut jacet, captiosa : atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere :

Suspecta, favens hæresi semipelagianæ.

DE CONDITIONE HOMINIS SUB LEGE

Ibid.

19. Item, quæ subjungit, hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit; superadditque, legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris :*

Qua parte generaliter innuit, hominem prævaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est :*

Ex S. Cæsario serm. LXXIII, in append. S. Aug. serm. cclxxiii, edit. Maurin.

Ex S. Aug. de Nat. et grat. cap. XLIII. — De grat. et lib. arb. cap. XVI. —

Enarr. in psalm. LVI, num. 1.

Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.

20. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis :*

Ex Concil. Araus. II, can. 3.

Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi semipelagianæ.

DE GRATIA ILLUMINANTE ET EXCITANTE

De grat. § 11.

21. Propositio, quæ asserit *lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat; ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi, inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem e qua germinant bona opera; hanc esse gratiam novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, constituit filios Dei :*

Quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creet in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei : et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. VI, cap. v); nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur :

Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.

DE FIDE VELUT PRIMA GRATIA

De Fide § 1.

22. Propositio, quæ innuit, *Fidem a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem Fidei, qua homines fideles nominantur et sunt;*

Perinde ac prior non esset gratia illa, quæ, *ut prævenit voluntatem, sic prævenit et Fidem :*

Ex S. August. de Dono persever. cap. xvi, num. 41, suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

DE DUPLICI AMORE

De grat. § 8.

23. Doctrina Synodi de duplici amore (dominantis cupiditatis, et Charitatis dominantis) enuntians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere;

Quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus inflexum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominantis cupiditati;

Falsa, pernicioza, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baio damnatum, art. 40.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et Charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanse- runt velut extrema lineamenta et reliquæ imaginis :*

Ex S. August. de Spir. et litt. cap. xxviii;

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur, non daretur, dilectio humana licita, quæ non reprehenditur* :

Ex S. August. serm. cccxliv, de Charit., edit. Maurin.,

Falsa, alias damnata.

DE TIMORE SERVILI

De Pœnit. § 3.

25. Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum*;

Quasi timor ipse gehennæ, quam Fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ :

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ, *opus esse, juxta consuetum ordinem preparationis ad justitiam, ut intret timor primo, per quem veniat Charitas : timor medicamentum, Charitas sanitas.*

Ex S. August. in I. Epist. Jo. cap. iv, tract. ix, num. 4, 5. — In Jo. Evang. tract. xli, num. 10. — Enarr. in psalm. cxxvii, num. 7. — Serm. clvii, de verbis Apostoli, num. 13. — Serm. clxi, de verbis Apostoli, num. 8. — Serm. cccxlix, de Charitate, num. 7.

DE PÆNA DECEDENTIUM CUM SOLO ORIGINALI

De Bapt. § 3.

26. Doctrina, quæ velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod, qui pœnam ignis remonent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpæ et pœnæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur pelagiani :

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

DE SACRAMENTIS, AC PRIMUM DE FORMA SACRAMENTALI
CUM ADJUNCTA CONDITIOE

De Bapt. § 12.

27. Deliberatio Synodi, qua, prætextu adhæisionis ad antiquos canones, in casu dubii Baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione :

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

DE PARTICIPATIONE VICTIMÆ IN SACRIFICIO MISSÆ

De Euch. § 6.

28. Propositio Synodi, qua, postquam statuit *Victimæ participationem esse partem Sacrificii essentialem*; subjungit, *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo* :

Quatenus insinuat, ad Sacrificii essentialiam deesse aliquid in eo sacrificio quod peragatur sive nullo adstante sive adstantibus qui nec sacramentaliter

nec spiritaliter de Victima participant : et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter sive spiritaliter communicet :

Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA

De Euch. § 2.

29. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens Fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1^o Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. Tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus; prorsus omittit ullam mentionem facere Transsubstantiationis seu conversionis totius substantiæ panis in Corpus et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam velut articulum Fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemnî Fidei professione continentur :

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad Fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica :

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma Transsubstantiationis, favens hereticis.

DE APPLICACIONE FRUCTUS SACRIFICII

De Euch. § 8.

30. Doctrina Synodi, qua, dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis*, dein continuo subjicit : *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet*; unde et consequenter tradit velut falsam opinionem inveciam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant :

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit (cæteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam præ determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum :

Sess. XXIII, cap. 1, de reform. — Eened. XIV, constit. *Cum semper oblatas*, § 2.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

DE CONVENIENTI ORDINE IN CULTU SERVANDO

De Euch. § 5.

31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse. pro divinatorum officiorum

ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibi que adeo placere morem illum restituere :

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim latina vigenti et probato mori injuriosa.

Ibid.

32. Item, præscriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecæ floresve apponantur :

Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.

Ibid., § 6.

33. Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem ritum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum quibus illa regi debet :

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

DE ORDINE PŒNITENTIÆ

De Pœnit. § 7.

34. Declaratio Synodi, qua, postquam præmisit ordinem Pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarij, liberam a subtilitatibus quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt;*

Quasi per ordinem, quo, sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu, hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta :

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.

De Pœnit. § 10, n. 4.

35. Propositio his verbis concepta : *Si Charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus Charitatis oportet ut Sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen Pœnitentiæ, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem Charitatis, qui debet præcedere absolutionem: longe quidem absurdum ab improbanda præxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis:*

Quatenus innuit, pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen, servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et pœnitentiæ,

qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem :

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.

DE PRÆVIA NECESSARIA DISPOSITIONE PRO ADMITTENDIS PÆNITENTIBUS
AD RECONCILIATIONEM

De grat. § 15.

36. Doctrina Synodi, qua, postquam præmisit, *quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quæ fit in Sacramentis*, subdit, *supposititias conversiones quæ fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere nec durabiles*; consequenter pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis Charitatis dominantis antequam admittat suos pœnitentes ad Sacramenta; quæ signa, ut deinde tradit (§ 17), *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis*, quem insuper fervorem Charitatis perhibet (*de Pœnit. § 10*) velut dispositionem quæ debet præcedere absolutionem :

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione qua homo incipit diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio Charitate formata, sed et fervor Charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur ut homo ad Sacramenta et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur;

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciam detrahens et injuriosa.

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI

De Pœnit. § 10, n. 6.

37. Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat, *post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive jure quodam personali*, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio;

Quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo *conveniens esse, ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos*; sic intellecta tamquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam :

Falsa, temeraria, perniciose, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

Ibid., § 11.

38. Item, doctrina, qua, postquam Synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ (ut ait) ad Pœnitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit, *per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frærum illis injectum iri qui parum considerant malum peccati et minus illud timent* :

Contraria can. 13 Concilii Nicæni I, decretali Innocentii I ad Exuperium Tolos., tum et decretali Cœlestini I ad Episcopos Viennen. et Narbonen.

provinciae, redolens pravitatem quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESIONE

De Pœnit. § 12.

39. Declaratio Synodi in peccatorum venialium confessione quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones :

Temeraria, pernicioſa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatæ contraria.

DE INDULGENTIIS

De Pœnit. § 16.

40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus pœnitentiæ quæ per canones statuta erat peccanti;*

Quasi indulgentia, præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam :

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata.

Ibid.

41. Item, in eo quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum :

Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in articulo 17 Lutheri damnata.

Ibid.

42. Item, in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimærica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos :*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri.

Ibid.

43. In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc. :

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

DE RESERVATIONE CASUUM

De Pœnit. § 19.

44. Propositio Synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem :*

Falsa, temeraria, male sonans, pernicioſa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.

Ibid.

45. Item, de spe quam ostendit fore, *ut reformato rituali et ordine Pœnitentiæ, nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes;*

Prout, attenta generalitate verborum, innuit per reformationem ritualis et ordinis Pœnitentiæ factam ab Episcopo vel Synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. XIV, c. VII) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare :

Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

DE CENSURIS

De Pœnit. §§ 20, 22.

46. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ :*

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans;

Ex S. August. episc. ccl Auxilio Episcopo. — Tract. L in Jo., num. 12;

Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.

§§ 21, 23.

47. Item, quæ tradidit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale, atque ideo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu :

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.

§ 22.

48. Item, quæ pronuntiat, *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis ab hinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus in quas fidelis incidere potuisset :*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.

§ 24.

49. Item, quæ damnat ut nullas et invalidas *Suspensiones ex informata conscientia :*

Falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.

Ibid.

50. Item, in eo quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. XIV, c. I, de reform.), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ :

Jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva.

DE ORDINE

De Ordine § 4.

51. Doctrina Synodi, quæ perhibet, in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, *ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum vel Sacerdotium etiamsi inferiores Ordines non suscepisset; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.*

§ 5.

52. Item quæ innuit, non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Chalcodonensi; subjungens (§ 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

§ 7.

53. Item, quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§ 3), Ecclesia, insistens Apostoli vestigiis, neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem.

Quatenus innuit, corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta :

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitæ sunt;

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii, salva obedientia qua sic ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares : quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscunque qui baptismalem innocentiam non conservassent :

Doctrina singularis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro Ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Tridentini decreta probatam injuriosa.

§ 13.

54. Item, quæ velut turpem abusum notat unquam præterelegere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicut et accipere quemlibet proventus dictum stolæ, et generatim quodcumque stipendium et honorarium quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offertur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, qui secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his quibus spiritualia ministrantur :

Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.

§ 14.

55. Item, quæ vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a Cathedra libus et Collegiatis submovendi, providendo aliter (nempe per probos et proveclioris ætatis laicos, congruo assignato stipendio) ministerio inserviendi Missis et aliis officiis, velut Acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant :

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum præsentur exercenturque, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Concil. prov. Mediol. IV); idque ad mentem Tridentini (sess. XXIII, c. XVII), *ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum*

functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ, juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur :

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandæ quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.

§ 18.

56. Doctrina, quæ statuit, conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam nunquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem :

Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro Concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans,

Ibid. § 22.

57. Præscriptio Synodi, quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quancumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur, item, in eo quod subjungit, certum sibi esse, juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse :

Pro sua generalitate, derogans moderationi Tridentini sess. VII, c. v, et sess. XXIV, c. xvii.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

Libell. memorial. circa sponsalia, etc., § 2.

58. Propositio, quæ statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subiaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ :

Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

De Matrim. §§ 7, 11, 12.

59. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia* : quod *jus originarium* præterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum*; subjungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii* :

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solum impediunt sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare :

Canonum 3, 4, 9, 12, sessionis XXIV Concilii Tridentini eversiva, hæretica.

Cit. libell. memorial. circa sponsal. § 10.

60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem*; atque *illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani*; tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacumque licita aut illicita con-*

junctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ :

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis :

Libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

DE OFFICIIS,

EXERCITATIONIBUS, INSTITUTIONIBUS AD RELIGIOSUM CULTUM PERTINENTIBUS
ET PRIMUM DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI

De Fide § 3.

61. Propositio, quæ asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ;*

Quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur;

Ex Concil. CP. II, gen. V, can. 9 :

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.

De orat. § 10.

62. Doctrina, quæ devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata :

Falsa, temeraria, pernicioza, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa.

De orat. § 10 et append. n. 32.

63. Item, in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ;

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsanguis corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro :

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

DE ORDINE PRÆSCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS

De orat. § 14, append. n. 34.

64. Doctrina, quæ velut supersticiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutatorum;*

Tanquam supersticiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum vel exter-

narum actionum præficientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis penitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo :

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.

De Pœnit. § 10.

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt exercitia vel missiones...*, forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura :

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa.

DE MODO JUNGENDÆ VOCIS POPULI CUM VOCE ECCLESIE
IN PRECIBUS PUBLICIS

66. Propositio asserens, *fore contra apostolicam præxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ;*

Intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ;

Falsa temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

DE LECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ

Ex nota in fine decr. de gratia.

67. Doctrina perhibens, a lectione sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare;* subjungens, ultro se prodere obscuracionem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates Religionis :

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

DE PROSCRIPTIS LIBRIS IN ECCLESIA PUBLICE LEGENDIS

De orat. § 29.

68. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnellii commentationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum quesnellianis erroribus faventium opera licet proscripta; eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis Religionis principiis referta in suis quisque parœciis populo post reliquas functiones perlegant :

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.

DE SACRIS IMAGINIBUS

De orat. § 17.

69. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes notat imagines Trinitatis incomprehensibilis :

Propter sui generalitatem, temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ extent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ ac tuto permittendæ;

Ex brevi *Sollicitudini nostræ* Benedicti XIV, anni 1745.

70. Item, doctrina et præscriptio generatim reprobens omnem specialem

cultum quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere :

Temeraria, pernicioſa, pio per Eccleſiam frequentato mori, tum et illi Providentiæ ordini injurioſa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex S. Auguſt. epist. LXXVIII, clero, ſenioribus, et univerſæ plebi Eccleſiæ Hipponenſis.

71. Item, quæ vetat ne imagines præſertim beatæ Virginis ullis titulis diſtinguantur, præterquam denominationibus quæ ſint analogæ myſteriis de quibus in ſacra Scriptura expreſſa fit mentio;

Quaſi nec adſcribi poſſent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipſiſmet publicis precibus Eccleſia probat et commendat :

Temeraria, piarum aurium offenſiva, venerationi beatæ præſertim Virgini debitiæ injurioſa.

72. Item, quæ velut abuſum extirpari vult morem, quo velatæ aſſervantur certæ imagines :

Temeraria, frequentato in Eccleſia et ad Fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

DE FESTIS

Libell. memorial. pro feſt. reform. § 3.

73. Propoſitio enuntians novorum feſtorum institutionem ex neglectu in veteribus obſervandis, et ex falſis notionibus naturæ et finis earumdem ſolemnitatum originem duxiſſe :

Falſa, temeraria, ſcandalosa, Eccleſiæ injurioſa, favens hæreticorum in dies feſtos per Eccleſiam celebratos conviciis.

Ibid. § 8.

74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem dominicum feſtis per annum inſtitutis, idque pro jure quod perſuaſum ſibi eſſe ait, Episcopo competere ſuper diſciplinam eccleſiaſticam in ordine ad res mere ſpirituales; ideoque et præceptum Miſſæ audiendæ abrogandi diebus in quibus ex priſtina Eccleſiæ lege viget etiamnum id præceptum; tum etiam in eo quod ſuperaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Eccleſiæ præcepto ſervandis :

Quatenus adſtruit, Episcopo fas eſſe jure proprio transferre dies ab Eccleſia præſcriptos pro feſtis jejuniisve celebrandis, aut inductum Miſſæ audiendæ præceptum abrogare :

Propoſitio falſa, juris Conciliorum generalium et ſummorum Pontificum læſiva, ſcandalosa, ſchiſmati favens.

DE JURAMENTIS

Libell. memorial. pro juram. reform. § 5.

75. Doctrina, quæ perhibet, beatis temporibus nascentis Eccleſiæ juramenta viſa eſſe a documentis divini præceptoris atque ab aurea evangelica ſimplicitate adeo aliena, ut *ipſummet jurare ſine extrema et ineluctabili neceſſitate reputatus fuiſſet actus irreligioſus, homine chriſtiano indignus*; inſuper *continuatam Patrum ſeriem demonſtrare juramenta communi ſenſu pro velitis habita fuiſſe*; indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ Curia eccleſiaſtica, jurisprudentiæ feudalſis (ut ait) normam ſecuta, in inveſtituris et in ſacris ipſiſ Episcoporum ordinationibus adoptavit; ſtatuitque, adeo implorandam a ſæculari poteſtate legem pro abolendis juramentis quæ in Curiis etiam

ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali :

Falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS

De collat. ecclesiast. § 1.

76. Insectatio, qua Synodus scholasticam exagitat, velut eam *quæ viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;*

Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt :

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicæ Religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.

Ibid.

77. Item, in eo quod subdit, *mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua factum est ut ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii pastoralisve sollicitudinis :

Propositio falsa, temeraria, erronea.

§ 4.

78. Præscriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam præmisit, *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam Religionis ab eo quod est proprium disciplinæ.* subjungit, *in hac ipsa (disciplina) distinguendum quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile aut onerosius quam libertas filiorum novi fœderis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum :*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam; quasi Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum :

Falsa, temeraria, scandalosa, pernicioza, piarum aurium offensiva Ecclesiæ ac spiritui Dei quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

CONVICIA ADVERSUS ALIQUAS SENTENTIAS IN SCHOLIS CATHOLICIS
USQUE ADHUC AGITATAS

Orat. ad Synod. § 2.

79. Assertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit :

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogans.

DE TRIBUS REGULIS FUNDAMENTI LOCO A SYNODO POSITIS
PRO REFORMATIONE REGULARIUM

Libell. memorial. pro reform. regularium § 9.

80. Regula I, quæ statuit universe et indiscriminatim, *Statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principis :*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria : *Quasi monachi, quos morum gravitas et vitæ ac Fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ clericorum officiis aggregentur.*

Ex S. Siricio, epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. XIII.

81. Item, in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset :

Scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

82. Regula II, *Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem ;* item in eo quod præmittit (§ 4) *regularium fundatores, qui post monastica instituta prodierunt, ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare :*

Intellecta de ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta priorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat :

Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.

83. Regula III, qua, postquam præmisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias :

Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.

DE SYSTEMATE SEU ORDINATIONUM COMPLEXIONE

DUCTA EX ALLATIS REGULIS, ET OCTO SEQUENTIBUS ARTICULIS COMPREHENSA,
PRO REFORMATIONE REGULARIUM

§ 10.

84. Art. I. *De uno dumtaxat ordine in Ecclesia retinenda, ac de seligenda præ cæteris regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius ordinis merita ; sic tamen, ut, in his quæ forte occurrunt temporum conditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum, quid addere, quid detrudere conveniat ;*

II. *Ne compotes fiant ecclesiasticæ hierarchiæ, qui se huic ordini adjunxerint; nec ad sacros Ordines promoveantur, præterquam ad summum unus vel duo, initiandi tanquam curati vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus;*

III. *Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra mœnia civitatis in locis abditiorebus et remotioribus collocandum;*

IV. *Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam (si cui libuerit) litterarum studio; psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem; quo plus auctæ sunt psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua portione omni tempore imminutus fervor est sanctitasque regularium;*

V. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro sive ministeriis addictos; inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit;*

VI. *Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum; non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiæ consolatio et christianismi ornamentum extiterunt; vota castitatis, paupertatis et obedientiæ non admittentur instar communis et stabilis regulæ: si quis ea vota aut omnia aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedent; tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus;*

VII. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia progressum in pietate, ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio;*

VIII. *Regulares ordinum qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare cuperent; quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. II statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, satisque cæteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.*

ITEM PRO REFORMATIONE MONIALIUM

§ 11.

Vota perpetua usque ad annum 40, aut 45, non admittenda; moniales solidis exercitationibus, specialiter labori, addicendæ; a carnali spiritualitate, qua pleræque distinentur, avocandæ; expendendum, utrum quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinquere.

Systematis vigentis atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium Conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini, sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliiori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

DE NATIONALI CONCILIO CONVOCANDO

Libell. memorial. pro convoc. national. § 1.

85. *Propositio enuntians, qualemcumque cognitionem ecclesiasticæ historiæ*

sufficere, ut fateri quisque debeat, convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiæ spectantes ad Religionem;

Sic intellecta, ut controversiæ ad Fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ per nationale concilium irrefragabili iudicio finiri valeant; quasi inerrantia in Fidei et morum quæstionibus nationali concilio competeret :

Schismatica, hæretica.

Mandamus igitur omnibus utriusque sexus christifidelibus, ne de dictis propositionibus et doctrinis sentire, docere, prædicare præsumant, contra quam in hac nostra constitutione declaratur : ita ut quicumque illas vel earum aliquam conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis, ipso facto absque alia declaratione subiaceat.

Cæterum, per hanc expressam præfatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus : cum præsertim in eo complures deprehensæ fuerint propositiones et doctrinæ sive illis quæ supra damnatæ sunt affines, sive quæ communis ac probatæ cum doctrinæ et disciplinæ temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices et apostolicam Sedem animum præ se ferunt.

Duo vero speciatim notanda censemus, quæ de augustissimo sanctissimæ Trinitatis mysterio, § 2 decreti de Fide, si non pravo animo, impudentius certe Synodo exciderunt, quæ facile rudes præsertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum, posteaquam rite præmisit Deum in suo Esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianæ doctrinæ institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus : cujus formulæ commutatione hoc vi verborum subrepat erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam Fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum sanctum : quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturæ locis consecrata, voce ipsa Patris e cœlis et e nube delapsa, tum formula Baptismi a Christo præscripta, tum et præclara illa confessione qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiat; ac non potius retinendum esset quod, edoctus ab Augustino, Angelicus præceptor (a) vicissim ipse docuit, *in nomine Verbi eamdem proprietatem importari quæ in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino (b) : *Eo dicitur Verbum quo Filius.*

Neque silentio prætereunda insignis ea fraudis plena Synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab apostolica Sede conventus Gallicani declarationem anni 1682, ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed, quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de Fide* inscriptum insidiosè includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quæ sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solemnè profes-

(a) S. Thomas, q. 34, art. 2, ad 3.

(b) S. Augustinus; *de Trinit.* lib. VII, cap. II.

sione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de Synodo, quam prædecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsinet Gallicanæ Ecclesiæ non levis injuria irrogatur, quam dignam Synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Quamobrem, quæ acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, prædecessor noster venerabilis Innocentius XI, per litteras in forma brevis die 2 Aprilis anni 1682, post autem expressius Alexander VIII constitutione *Inter multiplices* die 4 Augusti anni 1690 pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam, ac præsertim (post edita prædecessorum nostrorum decreta) huic apostolicæ Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam præsentī hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

Ad id genus fraudis pertinet, quod Synodus in hoc ipso decreto de Fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI judicium detulerunt, tum et alios duodecim a Cardinali de Noailles Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobo secundo Ultrajectensi Concilio vanum vetusque commentum exsuscitare temereque his verbis jactare in vulgus, nempe universæ Europæ notissimum esse, eos articulos Romæ severissimo examini subjectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos: cujus tamen assertæ commendationis non modo nullum extat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis quæ in nostræ supremæ Inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse judicium.

Hiscæ propterea de causis, librum hunc ipsum, cui titulus *Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia dell'anno MDCCLXXXVI, in Pistoia per Atto Bracali, stampatore vescovile, con approvazione*, sive præmisso sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque et quocumque idiomate, quavis editione aut versione haecenus impressum aut imprimendum, auctoritate apostolica tenore præsentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in ejus sive ejus doctrinæ defensionem tam scripto quam typis forsā jam editos seu (quod Deus avertat) edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendæ, prohibemus pariter et interdiciamus.

Præcipimus insuper venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque, per censuras et pœnas præfatas aliaque juris et facti remedia, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ

millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, quinto kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno vigesimo.

PH., CARD. PRO-DATARIUS

R., CARD. BRASCHIUS DE HONESTIS

Visa de Curia I. MANASSEI

Loco † Plumbi E. LIVIZZARIUS

Registrata in Secretaria brevium.

Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, indictione duodecima, die vero trigesima prima Augusti, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Pii Divina Providentia Papæ sexti anno vigesimo, supradictæ litteræ apostolicæ affixæ et publicatæ fuerunt ad Valvas basilicæ Lateranensis, et Principis apostolorum, cancellariæ apostolicæ, curiæ generalis in Monte Citorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Joannem Renzoni apostolicum cursorem.

FELIX CASTELLACCI, *Magister Cursorum.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ A PIO IX

Transcribimus *Syllabum* quem Pontifex una cum Encyclica *Quanta cura*, 8 Decembris 1864, toti Orbi christiano direxit. Integrum hunc tradimus, simul cum nonnullis propositionibus in præfata Encyclica confixis. Etsi plures propositiones in *Syllabo* contentæ non pertineant ad Theologiam moralem, piaculum haberemus, tale monumentum quasi mutilum offerri lectori, neque volumus videri aliquid detrabere de hac pontificia Declaratione, in qua Petrus per os Pii IX profecto locutus est.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRÆCIPUOS NOSTRÆ ÆTATIS ERRORES
QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS IN ENCYCLICIS
ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII PAPÆ IX

§ I

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo: atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. Maxima quidem, 9 Junii 1862.

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. Maxima quidem, 9 Junii 1862.

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. Maxima quidem, 9 Junii 1862

4. Omnes Religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium eujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Epist. encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

5. Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

6. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

7. Prophetiæ et miracula, in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianæ Fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

§ II

Rationalismus moderatus.

8. Quum ratio humana ipsi Religioni æquiparetur, idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 Decembris 1854.

9. Omnia indiscriminatim dogmata Religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio historice tantum exulta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditionibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862. — Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862. — Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862.

12. Apostolicæ Sedis, Romanarumque Congregationum Decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohærent ad maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Colonien. *Eximiam tuam*, 15 Junii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislavian. *Dolore haud mediocri*, 30 Aprilis 1860.

§ III

Indifferentissimus, Latitudinarismus.

15. Liberum cuique homini est eam amplecti et profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

16. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Ubi primum*, 17 Decembris 1847. — Epist. encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856.

17. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 17 Augusti 1863.

18. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ Religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849.

§ IV

Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur mærore*, 15 Augusti 1863.

§ V

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

19. Ecclesia non est vera perfecta que societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 Septembris 1861.

21. Ecclesia non habet potestatem dogmaticæ definiendi Religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram Religionem.

Litt. Apost. *Multiplīces inter*, 10 Junii 1851.

22. Obligatio qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti Fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

23. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus Fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplīces inter*, 10 Junii 1851.

24. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

25. Præter potestatem episcopatus inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856. Epist. encycl. *Incredibili*, 17 Septembris 1863.

27. Sacri Ecclesiæ Ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore*, 5 Decembris 1856.

29. Gratia a Romano Pontifice concessa existimari debent tanquam irrita nisi per Gubernium fuerint implorata.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

30. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplīces inter*, 10 Junii 1851.

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus Clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

32. Asque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua Clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montis Regal. *Singularis Nobisque*, 29 Septembris 1864.

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologiarum rerum doctrinam.

Epist. Ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

35. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum popu-

lorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

37. Institui possunt nationales Ecclesiæ, ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860. — Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

38. Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

§ VI

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

39. Reipublicæ status, utpote jurium omnium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

40. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris. 1846. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus appellationis, quam nuncupant *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

42. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali*, 1 Novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali*, 1 Novembris 1850. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juvenus christianæ aliqujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali*, 1 Novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 Septembris 1851.

46. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subijcitur.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 Julii 1864.

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica Fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 Julii 1864.

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

50. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

51. Imo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplies inter*, 10 Junii 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

52. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis Familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

53. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem Familias, perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subijcere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Probe meminertis*, 22 Januarii 1855. — Alloc. *Cum sæpe*, 26 Julii 1855.

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiæ.

Litt. Apost. *Multiplies inter*, 10 Junii 1851.

55. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

§ VII

Errores de Ethica naturali et christiana.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

58. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863.

59. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

61. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non intervenitu*.

Alloc. *Novos et ante*, 28 Septembris 1860.

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Quisque vestrum*, 4 Octobris 1847. — Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849. — Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 Martii 1860.

64. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

§ VIII

Errores de matrimonio christiano.

65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

66. Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

67. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile; in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia in-

ducendi : sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

69. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

70. Tridentini Canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna, 9 Settembre 1852. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

74. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de Clericorum cœlibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1849; posterior in Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

§ IX

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 Maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 Martii 1860; in Alloc. *Novas*, 28 Septembris 1860; in Alloc. *Jamdudum*, 18 Martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

§ X

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

77. Ætate hac nostra, non amplius expedit Religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum*, 26 Julii 1855.

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

79. Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdum cernimus*, 18 Martii 1861.

ADDENDA

Ex ENCYCLICA PII IX, *Quanta cura*.

Præter præfatas propositiones, aliæ memorandæ sunt quas in Encyclica *Quanta cura* confixit Pius IX. Eæ porro sunt hominum qui docent :

1° Optimam societatis publicæ rationem civilemque progressum omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad Religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

2° Optimam esse conditionem societatis in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violator catholicæ Religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3° Libertatem conscientiæ et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asserti debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque manifestare ac declarare valeant.

4° Voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam; et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.

5° Auferendam esse civibus et Ecclesiæ facultatem *qua eleemosynas christianæ charitatis causa palam erogare valeant*, ac de medio tollendam legem *qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur*.

6° Societatem domesticam seu familiam totam suæ existentiæ rationem a jure duntaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandæ.

7° Clerum, utpote vero utilique scientiæ et civilitatis progressui inimicum, ab omni juventutis instituendæ educandæque cura et officio esse amovendum.

8° Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; — acta et decreta Romanorum Pontificum ad Religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; — Constitutiones Apostolicas quibus damnantur clandestinæ Societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclæ et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili Gubernio; — excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici, ad mundanum duntaxat bonum proseguendum: — Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; — Ecclesiæ jus non competere violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi; — conforme esse sacræ theologiæ, jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quæ ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere et vindicare.

9° Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.

10° Illis Apostolicæ Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicæ professionis jactura.

De quibus propositionibus sic statuit Pontifex :

« Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris
 « commemoratas auctoritate Nostra Apostolica *reprobamus, proscribimus*
 « atque *damnamus*, easque ab omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti repro-
 « batas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus. »

ADNOTANDA

I. Quoties numerus ex auctoribus indicabitur, is ad tractatum, de quo agitur, apud illos auctores referendus erit: sic, v. gr., si in tractatu de Legibus reperias S. Lig. n. 40, intelligas S. Lig. n. 40, in tractatu de Legibus. Si quando autem locus citatus ad diversum tractatum spectet, id expresse indicabitur.

II. Auctores ad confirmandam doctrinam adductos, ad majorem tractationis perspicuitatem post expositas rationes retulimus; non ideo igitur rationes, saltem omnes, iisdem auctoribus indiscriminatim adscribendæ sunt; eorum enim testimonium ad doctrinæ potius, quam ad rationum confirmationem adducitur.

PROŒMIUM

Antequam ea pertractare incipiamus, quæ nostræ huic scientiæ subji-
ciuntur, operæ pretium esse videtur in ipso aditu aliquantulum consistere,
et ea quæ ad nostram doctrinam spectant universim considerare. Ac primo
quidem *scientiæ theologicæ* est non solum de iis disputare divinæ revela-
tionis mysteriis, quæ Fidei dogmata appellantur, sed etiam ad ea omnia se
porrigere, quæ ad hominum mores rite effingendos a Deo revelata, et cum
întegro revelationis deposito Ecclesiæ magisterio concredita sunt. Verum,
cum humani mores non solum juxta rectæ rationis leges, sed etiam juxta
revelatæ voluntatis Dei normam exigendi sint, ut per supernaturalium vir-
tutum actus ad supernaturalem vitam et beatitatem dirigantur, manifestum
est prima nostræ scientiæ elementa non aliunde quam ex fidei dogmatibus
esse accipienda. Serviat igitur huic nostræ disciplinæ humana ratio; Fides
vero et judicium magisteriumque Ecclesiæ præeant in omni nostra disputa-
tione, necesse est. Jure igitur huic scientiæ *Theologiæ moralis* nomen
factum est. Atque ex hoc ipso, quanta sit ejus laus ac dignitas planum fit.
Hæc enim, immotis Fidei catholicæ dogmatibus innixa, ac divinis ornata
virtutibus, ad ipsum sanctitatis omnimodæ culmen pertingit. Hæc scientia
est, quæ præcipuam hominis partem, cor, inquam, scrutatur, ejus morbis
medetur, sordes abstergit, eique tutam ad Deum inter tot humanæ vitæ
scopulos, Fide prælucente, commonstrat. Hinc facile apparet quanti illa
scientia habenda sit, quæ ipsos Dei cooperatores, animarum rectores effor-
mat, ut suum ipsi officium cognoscant, et ad alios regendos subsidia, ad
sanandos remedia, ad benigne excipiendos paterna viscera habeant. Quæ
cum ita sint, nemo est qui non videat quanta sit hujus scientiæ non uti-
litas modo, sed etiam necessitas. Idcirco GREGORIUS MAGNUS, in libro *de*
Pastorali officio, exclamat: *ARS ARTIUM REGIMEN ANIMARUM*. Quod post
ipsum alii Doctores ac prima hujusce disciplinæ lumina iisdem propemodum
verbis ingeminare non dubitarunt. Quod si viri scientia ac usu peritissimi
ita de hac re senserunt, si salebrosissimum inter omnia hoc officium asse-
rere non inficiati sunt, quid de iis sentiendum est, qui vixdum aliquid de
hac arte summis labiis degustarunt, ad formidandum hoc munus accedunt?

Utinam rarius illud esset malum deplorandum, ut *cæcus cæco ducatum præstans, uterque in foveam collabatur!* Ii igitur qui ad hoc munus vocari se sentiunt, secum ipsi reputent, alteque animo reponant rem esse summi momenti studium illud quod se suosque subjectos a tanto periculo eripere potest.

Hactenus de scientia moralis Theologiæ universim; nunc breviter de ejus partibus in suum ordinem distribuendis. Ac primo quidem *de natura actuum humanorum*, prout bonitatem et pravitatem moralem spectat, prima nobis erit disputatio, quæ veluti fundamentum erit aliarum disputationum. Hinc duplex statuenda regula morum, altera quidem *interna* quæ est *ipsa conscientia*, altera *externa*, seu *humanæ ac divinæ leges*. Subinde de humanis actibus loquemur, prout huic duplici normæ consentiunt, sive dissentiunt, seu de *peccatis et virtutibus*. Huc usque omnia generatim: dein variæ leges ac præcepta erunt in medium afferenda ac præcipue *Decalogi* atque *Ecclesiæ*, ut exinde varia jura ac officia definiri queant. At quoniam septimum Decalogi præceptum amplissimam quæstionem implicat *de justitia et jure*, necnon *de contractibus*, tota hæc disceptatio speciali loco tractabitur. Venient deinde *varii hominum status* considerandi, suaque unicuique propria officia inquirenda. Posthinc de subsidiis quæ Deus ad hominum salutem suppeditat agemus, scilicet *de Sacramentis*. Denique *de pœnis ecclesiasticis*, seu *de censuris et irregularitatibus* sermonem habebimus, quo totum hoc opus concludemus. Nunc tempus est, ut ad singula hæc pertractanda ad MAJOREM DEI GLORIAM accedamus.

COMPENDIUM
THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS
DE ACTIBUS HUMANIS

Cum Theologia Moralis tota versetur circa actus humanos dirigendos, exordium tractationis nostræ, prouti rerum ordo et communis consuetudo exigit, ab ipsis *humanis actibus* ducendum est. Agendum igitur hic nobis est 1° de notione, 2° de principiis, 3° de moralitate actuum humanorum.

CAPUT I

DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM

1. — DEFINITIO. Actus *in genere* est determinatio potentiæ, seu est facultas agendi in exercitio posita, vel etiam est exercitium facultatis agendi. — Ipsa potentia iis omnibus instructa, quibus in actum prodire possit, dici solet *actus primus*, et ejus determinatio *actus secundus*.

Actus vero *humanus* ille est, qui procedit a deliberata hominis voluntate; seu est actus procedens a voluntate libera cum advertentia ad bonitatem vel malitiam actus. Actus igitur humanus idem sonat ac actus moralis.

Etenim ille solus potest proprie dici *humanus* actus, qui non solum quoad operis substantiam, sed etiam quoad operandi modum, procedit ab homine in quantum homo est, et differt a creaturis irrationabilibus. Porro homo, ut recte ait S. Thomas, differt, quoad operandi modum, ab aliis creaturis irrationabilibus, in hoc quod est per liberum arbitrium suorum actuum dominus; ergo non datur actus *proprie* humanus, quin a deliberata seu libera hominis voluntate procedat. — *S. Thom. 1. 2., qu. 1, art. 1.* — Adde, a theologo morali considerari hominem ut est agens morale, ejusque actio-

nes ut sunt dignæ laude vel vituperio, atque habent rationem meriti aut demeriti; tales autem non sunt, nisi quatenus procedunt a libero arbitrio.

Hinc differt actus humanus ab actu hominis qui fit in homine vel ab homine absque ulla deliberatione, ut sunt actus indeliberati, motus *primo-primi*, vel actus hominis penitus distracti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii, aut usu rationis quomodocumque destituti.

2. — *DIVISIO*. Actus humanus multipliciter distinguitur.

1° *Elicitus*, vel *imperatus*. *Elicitus* dicitur qui a voluntate immediate, id est, nullo alio præcedente actu voluntatis a quo dependeat, producitur; *imperatus*, qui mediate, id est, mediante prævio voluntatis imperio, ab ea procedit. — Possunt igitur imperari ipsimet voluntatis actus interiores: sic ab actu caritatis imperari potest actus pœnitentiæ interior, aut ab actu pœnitentiæ actus caritatis; imperantur autem præsertim actus exteriores.

2° *Internus*, vel *externus*. Actus *internus* ille est, qui tantum internis animæ potentiis perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi. Actus vero *externus*, seu *mixtus*, ille est, quem voluntas per corporis organa perficit. Actus internus specialius *actus* dicitur, et actus externus potius *actio* nuncupatur.

3° *Bonus*, *malus*, *indifferens*. Actus *bonus* dicitur ille, qui conformis est rectæ rationi; *malus*, qui eidem repugnat; *indifferens*, qui, ex proprio saltem objecto, rationis normæ neque conformis est, neque repugnat. — Actus bonus aut indifferens, quatenus nulla lege prohibetur *licitus*; malus vero, quatenus prohibetur lege naturali aut positiva *illicitus* esse dicitur.

4° *Naturalis*, vel *supernaturalis*. *Prior* ille est, qui solis naturæ viribus producitur; *posterior* vero, qui auxilio divinæ gratiæ perficitur.

5° *Validus*, vel *invalidus*. Actus *validus* ille est, qui gaudet omnibus requisitis ad effectum proprium producendum essentialibus. *Invalidus* autem ille est, qui vel uno quopiam ex essentialibus caret. Sic est validus contractus, in quo requisita sive lege naturali, sive lege positiva, ad ejus valorem reperiuntur. Secus invalidus est habendus.

CAPUT II

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM ¹

3. — Tria actuum humanorum principia numerantur: 1° *cognitio*, 2° *voluntas*, 3° *libertas*. Hæc enim sunt eorumdem constitutiva atque adeo ad quemlibet actum propriè humanum requisita ut ex definitione actus humani patet.

Voluntas cognitionem præviam necessario supponit; nihil enim potest esse objectum voluntatis, quin prius ope intellectus apprehensum fuerit. Hinc axioma: *Nihil volitum, quin præcognitum*. Utrumque autem supponit libertas. Libertas enim est facultas eligendi, seu ad actum aliquem sese determinandi; electio autem fieri nequit, nisi voluntate seipsam in præcognitam hanc vel alteram partem movente.

¹ Principia hic intelliguntur non efficientia, sed formalia, seu ex quibus habet actus aliquis ut humanus sit atque dicatur.

ARTICULUS I

DE VOLUNTARIO

§ I. *De voluntario in genere.*

4. — DEFINITIO. Voluntarium, seu actus voluntarius dicitur, qui procedit a voluntate cum intellectuali finis cognitione. Ratio hujus definitionis patet ex modo dictis, seu ex necessitate præviæ cognitionis, ut voluntas ad actum se determinare possit.

Hinc differt 1° a *volito*, quod est objectum voluntatis, atque, ut tale, etiam quando in se voluntarium est, ad eam tanquam causam a qua procedat aut pendeat, non refertur: sic pluvia in aridam terram effusa quoad agricolam dicitur *volita*, non autem voluntaria; 2° a *spontaneo*, quod fit cum cognitione mere sensitiva et materiali, adeoque imperfecta, et communiter etiam brutis tribuitur.

5. — DIVISIO. Multiplex est voluntarium scilicet:

1° *Perfectum*, vel *imperfectum*. Prius illud est quod fit cum plena cognitione, et pleno voluntatis consensu. *Posterius* vero quod ex subobscura cognitione, aut imperfecto consensu procedit.

2° *Voluntarium simpliciter*, vel *secundum quid*. Prius nonnunquam definitur, id quod fit ex plena voluntatis deliberatione et inclinatione; *posterius*, id quod fit cum voluntatis consensu, sed cum aliqua repugnantia, seu quapiam inclinatione voluntatis in oppositum. — *S. Lig. n. 9, Theol. Wirceb. c. 1, art. 1, n. 68.* — At diversa prorsus ratione, sæpe doctores *prius* definiunt, id quod a voluntate efficaciter intenditur, nonobstante ejus repugnantia, seu in oppositum inclinatione; *posterius*, id quod ineffaciter intenditur, seu quod non fit, quamvis ad id agendum per se voluntas inclinet. — Sic mercium projectionem in mare, imminente naufragio, aiunt *simpliciter* esse *voluntariam*, quamvis *involuntaria* sit *secundum quid*, propter inefficacem repugnantiam voluntatis. — *S. Thom. 1. 2., q. 6. art. 6.* — *S. Lig. n. 21.* — *Inf. n. 6, Resolves 5°, et n. 18.*

3° *Directum* vel *indirectum*. Prius est illud, quod in se ipso, seu *per se* intenditur, id est quod in ordine intentionis immediatum est objectum voluntatis, quamvis forte ultimum sit in ordine executionis, ut furtum a fure patratum, vel occisio a malevolo homicida intenta. *Posterius* illud dicitur quod non est volitum *in se*, sed *in alio* directe volito, sive ut effectus in causa, sive ut aliquid ipsi connexum, v. gr., ebrietas in potatione excessiva, vel homicidium ex temeraria lapidis projectione. — Hinc sæpe auctores eandem partitionem exprimunt nomine *voluntarii in se* et *voluntarii in causa*; *directi* autem et *indirecti voluntarii* nomine utuntur cum S. Thoma (1. 2., q. 6, art. 3) ad designandum voluntarium *positivum* et *negativum*.

4° *Positivum*, vel *negativum*. Prius dicitur, quod in actione positiva, puta, lectione; *posterius* quod in voluntaria actus omissione consistit. Talis

est omissio Missæ in eo, qui ad instantem ejus celebrationem advertens, nihilominus studio domi vacare pergit.

5° *Expressum*, vel *tacitum*. Dicitur *expressum*, si verbis aut signis manifestetur; *tacitum* vero, si adesse ex facto aliquo aut etiam omissione cognoscatur. Sic peccata subditorum sunt Superiori voluntaria et imputabilia, si iis se non opponat, cum alioquin id possit, ac debeat. Hinc regula 43 juris: *Qui tacet, consentire videtur*.

6° *Actuale*, *virtuale*, *habituale* et *interpretativum*. Dicitur *actuale*, si a voluntate actualiter influente procedat, ut, v. gr., contritio in eo, qui hic et nunc pœnitentiæ actum elicit. *Virtuale* est, si vi actus prius positi, et in agentem moraliter influere pergentis, proveniat, ut absolutio a confessario distracto impertita. *Habituale* vocatur, si olim fuit quidem habitum, nec retractatum, sed nunc neque directe neque reflexe in voluntate perseveret, aut in actum influat. *Interpretativum* nuncupatur, si neque physice neque moraliter est habitum, sed prudenter præsumi potest, et haberetur, si de eo cogitaretur, aut cogitari posset. Sic infirmus sensibus destitutus, si christiane vixerit, censetur extremam Unctionem velle suscipere.

Resolves.

6. — 1° In eodem actu haberi potest voluntarium directum seu *in se*, voluntarium indirectum seu *in causa*, et involuntarium. Exemplum: *Titius*, quærens *Caium* inimicum ad mortem, eum aggreditur cum periculo lædendi etiam ejus socium, quem cernit illi associatum; sed glande, præter utrumque, ferit quoque *Sempronium*, quem neque videbat, neque inibi adesse suspicari poterat. *Caius* percutitur ex voluntario directo *Titii*, *socius* ex voluntario *in causa*, et *Sempronius* præter omne voluntarium.

2° Ubi nulla est advertentia ad præceptum, nullum relate ad illud est voluntarium *proprie* dictum, et proinde nulla præcepti voluntaria transgressio, atque adeo nullum peccatum. — *S. Lig. num. 8.*

3° Ubi semiplena est mentis advertentia, actum habes dumtaxat semi-voluntarium, qui in gravis quoque præcepti violatione non excedit peccatum veniale; sic evenit in semisopitis, aut ad alia distractis. Idem de imperfecto voluntatis consensu teneto. — *S. Lig., ibid.*

4° Aliquis actus potest esse voluntarius sub uno respectu, non vero sub alio, prout aliter vel aliter cognoscitur: sic qui occidit aliquem, ignorans illum esse Sacerdotem, homicidium committit, non vero sacrilegium. — *S. Lig., ibid.*

5° Qui inductus timore humano, aut minis sociorum, satisque advertens ad obligationem legis, violat præceptum, ponit actum *simpliciter voluntarium*, et quidem graviter peccaminosum in materia gravi, nisi forte lex non obliget cum tanto incommodo, quia agit cum plena voluntatis determinatione, etsi ægre agat, et libentius hoc non egisset; attamen ejusmodi actus est etiam involuntarius *secundum quid*, et proinde minus culpabilis evadit. — *S. Lig. n. 21.*

6° Non solum voluntarium actuale, sed etiam mere virtuale in actus moralitatem aut validitatem satis ita influat, ut sit bonus vel malus, validus

aut invalidus; secus vero dicendum de habituali et interpretativo, ut ex eorum definitione manifestum fit ¹.

7° Omissio potest esse voluntaria sicut actus positivus voluntatis; non tamen, secluso præcepto, potest esse ad culpam imputabilis. Sic omittens Missam die feriali non peccat. — *S. Lig. n. 11.*

§ II. — *De voluntario in specie.*

Cum in cæteris voluntarii speciebus nulla specialis difficultas occurrat, solum dicemus

De voluntario indirecto, seu in causa.

Prænotanda.

7. — Voluntarium indirectum seu in causa, ut dictum est, non intenditur *in se*, sed ex alio directe volito, velut effectus ex causa, cernitur secuturum. Ipsum nihilominus est verum voluntatis objectum, licet indirectum; qui enim vult causam, vult quoque effectum ex ea sequentem, si effectum hunc prævideat. Hinc effatum: *Qui est causa causæ, est causa causati.* Sic quando quis peccat coram aliis, scandalum ex ejus peccato proveniens ratione voluntarii indirecti ipsi imputatur.

Causa autem multiplex distinguitur, scilicet:

1° *Physica*, vel *moralis*. *Prior* est, quæ physice agendo effectum producit, ut ignis incendium, sol lucem. *Posterior*, quæ aliam causam liberam ad agendum efficaciter movet. Sic homicidium jubens causa moralis est occasionis.

2° *Immediata*, vel *mediata*. *Prior* ea est, quæ effectum producit nulla alia intercedente causa, v. gr., si quis transfodiat pectus alterius, erit causa immediata ejus mortis. *Posterior*, quæ effectum non producit, nisi alia causa interposita. Hinc causa moralis est semper causa mediata.

3° *Proxima*, vel *remota*. Dicitur *proxima*, quæ habet connexionem necessariam, vel ordinariam cum effectum. *Remota* vero, quæ licet effectum producere valet, vim tamen magnam non habet, et in illum non influit notabiliter; vel ea est ex qua effectus ut plurimum non provenit.

4° *Causa per se*, vel *per accidens*. *Prior* est, quæ ex natura sua tendit et ordinatur ad effectum producendum. Sic potus excessivus est causa *per se* ebrietatis. *Posterior* vero, quæ licet non sit ex natura sua ordinata ad quempiam effectum, attamen aliquando, intercedente aliqua circumstantia, illum producere valet. Sic homicidium ex ebrietate sequi potest. Plerumque hæc ultima divisio in præcedentem recidit.

8. — Effectus malus sequens ex voluntario indirecto, id est ex directa volitione causæ, non semper est ad culpam agentis imputandus, sed attendendum est ad sequentia.

Ab ea regula minime receditur infra tom. II nn. 228 et 355, cum ibi agatur de voluntario, quod in actum directe et per modum causæ non influit, sed est mera conditio prærequisita, ut actus propriam exerat efficaciam.

Principia.

I Principium. Triplex conditio requiritur, ut effectus agenti, seu ponenti causam imputari queat, scilicet :

1° Ut agens effectum, *saltem in confuso*, præviderit. Ratio est, quia effectus nullo modo prævisus nullatenus potest esse voluntarius : *nihil enim volitum, quin fuerit præcognitum*. Hinc ebrietas voluntaria non est, nec ei imputanda, qui inebriatur ex modico vino, cujus vim ignorabat. — *Vide dicenda infra n° 144.*

2° Ut agens potuerit causam non ponere; secus enim, deficiente libertate, necessario deficit voluntarium. Aliunde obligatio dari nequit, quando hæc impleri non potest. Hinc axioma : *Nemo ad impossibile tenetur*. Hinc etiam *Aug. de Lib. Arb. lib. III cap. XVIII : Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

3° Ut agens teneatur causam non ponere, aut positam tollere. Si enim non detur obligatio vitandi causam, effectus ex illa sequens imputari nequit; quia agens jure suo utitur, et se habet tantum permissive quoad effectum. Hinc motus inordinati non imputantur medico vel chirurgo in exercitio artis suæ, quasi voluntarii; quia isti artem suam ad hunc effectum præcavendum omittere non tenentur, sed e contrario justam habent rationem eam exercendi, ut ex principio sequenti magis declarabitur. — *S. Thom. 1. 2., q. 20, art. 5.*

9. — *II Principium.* Licet ponere causam bonam aut indifferentem ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, si adsit causa proportionate gravis, et finis agentis sit honestus, pravum scilicet effectum non intendat. — *S. Thom. 2. 2., q. 64, art. 7.*

Ratio hujus principii est, quia, si id non liceret, agens peccaret, vel ex intentione pravi effectus, vel ex positione causæ, vel ex prævisione effectus mali. Porro nullum ex his dici potest.

Etenim 1° hoc illicitum non est ratione finis, quippe qui supponitur honestus; 2° neque ratione appositionis causæ, siquidem supponitur bona, vel saltem indifferentis; 3° neque ex prævisione pravi effectus, nam in hypothesis, hic non intenditur, sed mere permittitur; cum autem permittendi causa adest proportionate gravis ac justa.

Quatuor autem conditiones, quæ in hoc principio enuntiantur, omnino requiruntur, scilicet 1° ut honestus sit finis agentis; 2° ut causa sit bona, vel saltem indifferentis; 3° ut effectus bonus sit immediatus, et 4° adsit ratio gravis ponendi causam, nec teneatur agens ex justitia, aut ex officio, aut ex caritate eam omittere.

Itaque 1° requiritur finis bonus, id est agens malum effectum intendere non debet, quia secus quid inordinatum intenderet, et proinde peccaret. Exinde de pravo effectum nullo modo sibi complacere debet.

2° Requiritur causa bona, vel saltem indifferentis, scilicet ut actus nulli legi opponatur. Ratio evidens est. Etenim, si causa in se mala foret, per se reatum induceret.

3° Requiritur ut bonus effectus æque immediate ex causa sequatur. Ratio est, quia si causa directe et immediate pravum habet effectum, et non nisi

mediante illo pravo effectu bonus effectus provenit, tunc bonum ex malo quæritur : porro nunquam fas est malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcumque procurandum; nam juxta pervulgatum axioma ex Apostolo depromptum. *Rom. III, 8, Nunquam sunt facienda mala ut eveniant bona.* Sic mentiri tibi non licet, etiam ad vitam hominis salvandam.

4° Requiritur ut adsit ratio proportionate gravis ponendi causam, nec teneatur agens ex alia obligatione eam omittere; quia æquitas naturalis nos obligat ad vitanda mala, et præcavenda proximi damna, quando id sine damno proportionate gravi possumus.

Porro in hisce casibus eo major ratio requiritur ad agendum, quo propinquius causa malum effectum attingit, quo probabilior est malus effectus, et quo minus juris ad actionem in se spectatam habetur.

Resolves.

10. — 1° Effectus malus, qui sequitur *per accidens* ex causa voluntaria, non est ad culpam imputabilis, nisi adsit circumstantia accidentalis unde prævideatur effectus necessario præcavendus : v. gr., vendere arma per se nullum est malum; licet malum sit ea vendere alicui furioso. Ratio prioris partis est, quia effectus, si quispiam malus forte sequatur, nisi sit intentus, non est proprie voluntarius, cum non contineatur in causa per necessariam connexionem, nec ad hujusmodi effectum causa ordinetur. Ergo causam ponens in effectum efficaciter non influit; atque adeo effectus non est imputandus. — *Reuter, n° 15.* — Ratio alterius partis est, quia damnum, quod ex armis furioso traditis facile prævidere potes, avertere tum ex caritate tum ex justitia teneris.

2° Voluntariæ sunt blasphemiæ, impudiciæ, rixæ aut injustitiæ quæ in ebrietate fiunt, quando prævideri possunt; sufficienter autem prævidentur ex consuetudine talia in hoc statu peragendi, et proinde sunt in causa voluntariæ, et ad peccatum imputabiles.

3° Non peccat belli dux qui tempore obsidionis ad arcendum hostem incendit agros, etc..., etsi per accidens patientur incolæ innocentes. Item si incendat turrim, in qua simul cum hostibus forte peregrini bello extranei includuntur; quia causa damni hujus est in se honesta, damnum autem innocentium mere *per accidens* sequitur, nec intenditur, sed tantum permittitur.

4° Non peccat Sacerdos qui porrigit Communionem peccatori occulto publice petenti; quia quamvis sacrilegium sit malum ingens, tamen damnum publicum ex tali Eucharistiæ denegatione secuturum magis vitandum est.

5° Non peccat qui, pecunia egens, nec aliunde habere valens, mutuum petit ab usurario lucrum injustum exacturo; quia petitio pecuniæ per se non est causa malæ voluntatis exigendi injustas usuras, sed soli usurario animus suus pravus est imputandus.

6° Peccat graviter puella quæ, ex delicto gravida, abortum procurat ad vitandam infamiam; ratio quia abortum directe intendit tanquam medium quo se ab infamia liberet, atque bonum ex malo quærit.

7° Non teneris omittere justam defensionem, ex qua secutura sit mors,

imo forte æterna damnatio, injusti invasoris. Ratio est, quia propriam salutem dumtaxat intendis, et æterna damnatio, quam forte incurret malefactor, non sequitur ex justa tui ipsius defensione, sed ex invadentis malitia, quæ ipsi voluntaria ac libera fuit.

8° Si causa remote et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, quamvis non præponderet, aut non æquivalet malo, non est obligatio auferendi causam; quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili propter carnales motus inde exurgentes. Ita *Billuart, diss. I. art. 4.*

9° Si vero causa remote et leviter influens sit in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, obligatio aderit eam auferendi, sed levis, et sub veniali tantum, nisi agatur de gravi proximi damno; ratio, quia ista obligatio æstimanda est juxta quantitatem influxus causæ. Cum enim effectus non sit voluntarius, nisi in causa, et leviter ac remote contineatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque leviter ad culpam imputabilis, et idcirco levis obligatio auferendi causam ob illum effectum. *Billuart, ibid.*

10° Omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, in se et directe non est voluntaria¹; cum illi actus advertentiam agentis penitus effugiant. Attamen talis omissio potest esse voluntaria et imputabilis in causa, si oblivio seu inadvertentia ex præcedenti negligentia proveniat.

11° Qui scienter ponit causam actionis vel omissionis, in eo instanti malitiam coram Deo contrahit, etsi actio vel omissio reipsa non sequatur; et proinde eam ut volitam ut confiteri tenetur. — *V. Casus, t. I, n. 7 et seq.*

Ex iisdem principiis circa voluntarium indirectum et in causa innumera alia pendent resolutiones, præsertim ubi de scandalo, et ubi de cooperatione seu ad alterius peccatum, seu in damnum proximi, sermo fiat.

ARTICULUS II

DE LIBERO

11. — DEFINITIO. Liberum dicitur, quod procedit a voluntate seipsam determinante cum potentia non agendi. Libertas vero est facultas agendi vel non agendi, seu facultas unum eligendi præ alio. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non vice versa.

Licet liberum et voluntarium in se distinguantur, ut patet ex definitione utriusque, in actibus tamen, quibus homo viator ad fidem suam tendit, reapse nunquam separantur; quoties enim actus aliquis est voluntarius, est etiam liber, et vice versa. Ratio est, quia, ut ait S. Thomas (2, *dist.* 25,

¹ In cæteris editionibus plerisque legitur: *Omissio actuum, de quibus, etc... ne indirecte quidem est voluntaria... Attamen talis omissio potest esse voluntaria et imputabilis in causa...*, quæ certo per lapsum scripta sunt, cum manifestam involvant contradictionem. An autem singulæ omissiones in causa imputabiles totidem sint peccata, vel potius unum in causa peccatum, quæstio est alibi expendenda. *V. infra, n. 144, 6°.*

g. 1, art. 2, o), in his quæ ad ultimum finem ordinantur nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat, neque est aliquid adeo bonum, quod in omnibus sufficiat. Jam vero id solum voluntas non potest non velle, quod completam boni rationem habet, qualis est perfecta beatitudo seu ultimus finis, propter quem omnia appetuntur.

· Divisio. Multiplex distinguitur libertatis species.

1° Libertas a *necessitate*, seu libertas indifferentiæ, vel electionis, quæ est immunitas ab omni necessitate intrinseca antecedente; et hæc est proprie et strictè dicta libertas.

2° Libertas a *coactione*, seu libertas *spontaneitatis*, quæ est immunitas ab omni violentia extrinsecus illata.

3° Libertas *contradictionis*, quæ est facultas se ferendi ad contradictoria, v. gr., studendi, aut non studendi.

4° Libertas *contrarietatis*, per quam eligere aliquis unum quid potest, aut hujus contrarium, v. gr., diligere, vel odio habere.

5° Libertas *specificationis*, quæ est facultas se ferendi ad diversa, v. gr., ambulare, ludere, etc.

His præmissis, catholicæ doctrinæ præcipua fundamenta paucis subjicienda sunt.

PROPOSITIO I

12. — *Homo in statu naturæ lapsæ liber est ab omni necessitate intrinseca.*

Constat 1° *Ex Scriptura sacra*. Sic enim *Eccli. xxxi, 10*: *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit*. Et *Eccli. xv, 14*: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi*. Eadem doctrina ex sexcentis aliis sacre Scripturæ locis confirmatur.

2° *Ex ratione*. Homo, ex omnium consensu, potest mereri et demereri seu elicere actus meritorios et demeritorios; atqui ad hoc requiritur libertas a necessitate: et sane nisi homo esset liber ad actum ponendum aut non ponendum, non esset dominus actus sui; ergo actus ille non posset ipsi imputari neque ad meritum neque ad pœnam. Insuper ad quid præcepta homini imponerentur? Ad quid prodessent adhortationes? Ad quid præmia, minæ et pœnæ, nisi homo libertate potiretur? Demum id constat ex sensu intimo, cum homo se sentiat liberum, et aliunde sensus intimus fallere nequeat. Ergo...

3° *Ex definitione Ecclesiæ*. Sic enim sancitum fuit in *Conc. Trid. sess. VI, can. 5*: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo..., anathema sit*.

Confirmatur ex damnatione *prop. seq.* Jansenii ab Innoc. X facta: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*.

PROPOSITIO II

Homo viator non tantum est liber libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis, qua ad malum ferri potest.

Constat ex omnibus rationibus et testimoniis mox relatis, v. gr., ex illis verbis: *Potuit transgredi...*, *facere mala, etc.*

Cæterum tota essentia liberi arbitrii reperitur in libertate *contradictionis*; in eo enim consistit, quod sit facultas agendi, vel non agendi: atqui hoc præstat libertas *contradictionis*, ut patet. Ergo... Hinc potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii. — *Vide plura de libertate in Theologia dogmatica.*

ARTICULUS III

DE OPPOSITIS VOLUNTARIO ET LIBERO

Quatuor opponuntur, scilicet ignorantia, concupiscentia, metus, et vis seu violentia.

§ I. *De ignorantia.*

13. — DEFINITIO. Ignorantia generatim sumpta est carentia scientiæ.

DIVISIO. Distinguitur ignorantia:

1° *Positiva*, vel *negativa*, prout est carentia scientiæ debitæ, vel indebitæ, v. gr., ignorantia juris canonici in rustico.

2° *Juris*, vel *facti*, prout versatur circa legis, vel facti particularis existentiam.

3° *Vincibilis*, vel *invincibilis*, prout, adhibita diligentia, vinci potest, vel non. — Invincibilis autem est *physice*, si nullo modo vinci possit; *moraliter* vero, si adhibita morali diligentia tolli nequeat. Moralis autem censetur ea diligentia, quam viri prudentes, pro rei gravitate, adhibere solent. Porro non datur ignorantia vincibilis, nisi cognoscatur, saltem in *confuso*, obligatio ulterius inquirendi; quia prima idea non est in hominis potestate:

4° *Antecedens*, vel *consequens*, prout omnem præcedit, vel aliquem subsequitur voluntatis actum; ita ut *prior* sit prorsus involuntaria, invincibilis, adeoque inculpabilis; *posterior* voluntaria sit directe vel indirecte, vincibilis et plus minusve culpabilis; utraque autem sit causa volendi seu faciendi id quod non fieret, si scientia adesset.

Hoc ultimum dumtaxat (nempe quod ipsa sit voluntati causa volendi id quod alias non vellet) addit ignorantia antecedens vel consequens supra ignorantiam simpliciter invicibilem vel vincibilem, cui id non necessario competit.

Hic mentio quoque facienda ignorantie *concomitantis*, qua quis ignorat quid agat, sed adhuc ageret licet non ignoraret. Ipsa in actum nullatenus influit. — *Scav.*

Ignorantia vincibilis triplex distinguitur, scilicet 1° *simpliciter talis*, quando ad eam depellendam diligentia aliqua, non tamen sufficiens, adhibetur; 2° *crassa* seu *supina*, quando nullum aut vix ullum in veritate indaganda studium apponitur; 3° *affectata*, quæ est directe volita, ut cum quis

directe et positive vult aliquid ignorare, sive ut liberius peccet, sive ut excusationem habeat a peccatis, sive propter aliud.

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta, et inadvertentia plena. Hæ autem, si non sint perfectæ, et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

Principia.

14. — I. Ignorantia invincibilis penitus tollit voluntarium, tum quia ipsa non est voluntaria, tum quia nihil esse potest voluntarium, ubi nulla est cognitio. Nullus igitur actus ex ignorantia invincibili procedens imputari agenti potest.

Sic pariter de oblivione et inadvertentia perfecta statuendum, cum eadem ratio recurat.

II. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium. Talis enim ignorantia sive directe, sive indirecte est vere voluntaria. Attamen voluntarium minuit, quando est causa illud volendi, quod, ea absente, quis nunquam vellet, id est, quando est consequens. Idem quoque ob paritatem rationis de oblivione et inadvertentia imperfecta dicito.

III. Ignorantia crassa et ignorantia affectata multo minus minuunt voluntarium, ac proinde peccatum. Ratio est, quia prior ex gravi oritur negligentia, posterior vero de industria ad liberius peccandum retinetur.

Resolves.

1° Conjux peccans cum muliere, quam invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suæ, reus est adulterii, non tamen incestus utpote invincibiliter ignorati.

2° Pueri, qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientie vel suspitione malitie, reipsa formaliter non peccarunt, etsi usum rationis adepti jam fuerint; et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum esse illicita intelligunt, cum peccata materialia non sint materia confessionis.

3° Si confessarius vel iudex advertat sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, uti par est, officio suo, et negligat scientiam acquirere, aut antequam illam acquirat, pergat munus suum exercere, tenebitur de erroribus, quos aliquo saltem modo prævidit, quia ipsi, saltem in causa, sunt voluntarii.

4° Si negligentia in deponenda ignorantia sit tantum venialiter culpabilis, factum ex ea sequens ad culpam tantum venialem erit imputabile. Ratio, quia ejusmodi actus sunt voluntarii atque adeo culpabiles tantum in causa: cum ergo causa, ignorantia scilicet, ad gravem culpam non pertingat, effectus quoque levem culpam excedere non potest.

De ignorantia plura alia vide alibi passim, imprimis in tractatu de Conscientia, de Legibus, de Peccatis et de Contractibus in genere, ubi de errore. — V. Casus, t. I, n. 12 et seq.

§ II. De concupiscentia.

15. DEFINITIO. Concupiscentia hic intelligitur motus appetitus sensitivi, quo voluntas fertur ad bonum sensibile.

Divisio. Duplex distinguitur : alia *antecedens*, et alia *consequens*. Prior est quæ ordine causalitatis quamlibet præcedit voluntatis deliberationem seu consensum, eamque ad consentiendum allicit ac trahit. Posterior vero est, quæ ordine causalitatis actum voluntatis sequitur, sive quia vehemens voluntatis motus redundat in inferiorem appetitum, sive quia hunc ipsum voluntas directe et de industria excitat. Quæ ex mera redundantia producitur, *in causa* dumtaxat voluntaria est; quæ directe et de industria excitatur, voluntaria est *in se*.

Principia.

1. Concupiscentia antecedens non tollit, at potius auget voluntarium, prout hoc nomine significatur voluntatis inclinatio; minuit autem ac etiam penitus tollit, prout significatur iudicium rationis et voluntatis deliberatio. — Ratio primi est, quia per concupiscentiam voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiscit, et aliunde non impeditur a cognoscendis saltem qualitatibus rei sensibilibus, imo magis in eis considerandis occupatur : ergo actus ab ea procedens, fit per se ex pleniori et magis intrinseca voluntatis propensione. — Ratio secundi est, quia concupiscentia mentem avertit a considerandis objecti incommodis ac defectibus, et minuit indifferentiam voluntatis. — Quando autem tanta est passio, ut usum rationis penitus auferat, prout fit, inquit S. Thomas, in his qui propter amorem vel iram insaniunt, actus est indeliberatus, et ea ratione omnino redditur involuntarius. — *S. Thom. 1. 2., q. 73, art. 6; et q. 77, art. 2. 6 et 7.*

II. Concupiscentia consequens neque auget neque diminuit voluntarium, *sed potius* (ut ait S. Thomas, 1. 2, q. 77, art. 6) *est signum magnitudinis ejus, in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum.*

Prob. 1^a pars, quia actus voluntatis rationalis in ea hypothese antecedit motum concupiscentiæ, sicut causa præcedit effectum. Posterior ergo rationis perturbatio, quam concupiscentia inducit, non potest afficere actum qui jam præcessit, ideoque nec voluntarii rationem minuere aut augere.

Prob. 2^a pars, quia, ut habet S. Thomas (De mal. q. 3 art. 12) : *Quando ex forti motu voluntatis commovetur appetitus sensitivus ad passionem, passio addit meritum vel demeritum, quia est signum, quod motus voluntatis sit fortior : et hoc modo verum est, quod ille qui cum majori compassione facit eleemosynam, magis meretur, et qui cum majori libidine facit peccatum, magis peccat : quia hoc est signum, quod motus voluntatis sit fortior.*

Resolves.

16. — 1^o Concupiscentia antecedens minuit meritum et demeritum actus : minuit enim liberum, ex quo habet actus ut sit laude vel vituperio dignus, meriti vel demeriti capax. Hinc ait S. Thomas (1. 2., q. 77, art. 6, ad 2) : *Si bona passio præcedat iudicium rationis, ut scilicet homo magis ex passione, quam ex iudicio rationis, moveatur ad bene agendum, talis passio diminuit bonitatem et laudem actus.* Hinc etiam peccatum ex passione minus grave reputatur peccato quod est ex mera malitia.

2° Concupiscentia consequens nihil per se et formaliter confert bonitati vel malitiæ morali, merito vel demerito actus, at potius hujusce actus moralitatem, meritum vel demeritum induit; quamvis, ut dictum est, signum sit et indicium majoris aut minoris meriti vel demeriti. — *Vide dicenda infra de actu externo* (n. 25).

3° Concupiscentia quæ ita consequitur voluntatis actum, ut fuerit excitata et volita, bona et laudabilis est in se, si inordinata aut immoderata non sit et ad finem honestum referatur. *Sic*, inquit Suarez (art. 2, disp. III, sect. 3, n. 1), *homines studiosi excitant in se similes affectus ad melius exercendas actiones, et de hac concupiscentia dixit Aristoteles, III Ethicorum cap. VIII: operari ex ira non esse viri fortis, sed excitare in se iram per virtutem fortitudinis, ut melius operetur.*

De concupiscentia, prout est pravarum cupiditatum fomes et ad peccatum voluntatem inclinat, agemus infra, *de Peccatis*, p. I, c. I, n. 145.

§ III. De metu.

17. — DEFINITIO. Metus est trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum sibi aut proxime conjunctis.

DIVISIO. Metus sic communiter dividitur, scilicet:

1° Metus *gravis*, vel *levis*, prout timetur malum vel *grave*, uti mors, mutilatio, dura carceratio, notabile famæ detrimentum, magna honorum jactura, etc.; vel *leve* e contrario, seu mediocre incommodum, uti amissio rei levis momenti, exiguum famæ detrimentum; vel etiam *grave*, sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, etc.

Metus autem gravis est *absolute*, vel *relative*. Metus dicitur *absolute gravis*, cum mala in se vere gravia timentur; *relative autem gravis*, quando, licet levis in se, gravis tamen est respective ad quasdam personas; sic pueri, mulieres, senes timore majori in eodem periculo affici solent, quam viri ætate maturi.

2° Metus ab *intrinseco*, vel ab *extrinseco*, prout provenit a causa intrinseca, v. gr., a morbo, ab infirmitate mentis, etc., vel a causa extrinseca sive libera, nempe ab homine, sive necessaria seu naturali, ut ex elementis, contagione, etc.

3° Metus *juste*, vel *injuste* incussus, prouti causa vel justa, v. gr., pœnarum promeritarum infertur; vel *injusta*, hoc est per injuriam incutitur.

Addendus etiam metus reverentialis, qui habetur quando quis timet ne parentes suos, aut alios Superiores habeat offensos. Ad metum justum vel injustum refertur, prout justa vel injusta est ejus causa. Potest autem esse gravis, si prudens timor sit, ne diu vel graviter offensi habeantur, qui metum incutiunt.

Principia.

18. — I. Actus ex metu quantumvis gravi positus, est *simpliciter*, et *absolute voluntarius* et *liber*. Ratio est, quia per metum neque tollitur cognitio ex parte intellectus, nisi penitus mens perturbetur, neque electio ex parte voluntatis, quæ semper gaudet facultate se determinandi in oppositum.

— *S. Lig. n. 21.* — Hinc semper ut apostatæ illi habiti sunt, qui metu tormentorum victi Fidem negarunt.

II. Quæ ex metu fiunt, etiamsi sint simpliciter voluntaria, tamen regulariter sunt etiam involuntaria *secundum quid*: unde et culpæ gravitas minuitur. Ratio est, quia, ex hypothesi, cum quis solo metu ad agendum impellitur, ita agit, ut absente metu ab agendo refugeret; atque adeo opus ex solo metu factum sociatam quamdam voluntatis tristitiam ac repugnantiam licet inefficacem habet.

Dixi *regulariter*, quia tunc actio est ex metu involuntaria *secundum quid*, cum in se odibilis est voluntati, quamvis relative et tanquam medium ad vitandum malum quod timetur, hic et nunc expetibilis appareat. Jam vero id regulariter, non tamen necessario et semper evenit. Qui enim, v. gr., peccatum fugit ad vitandam gehennam, seu ex metu gehennæ, non ideo fugam peccati habet tanquam odibilem in se, secus, vi talis dispositionis, semper peccaret, ac pejor fieret, quod a *Conc. Trident.* dici prohibetur sub pœna anathematis, *sess. VI, can. 8.* Et ratio est, quia fuga peccati est medium *simpliciter* necessarium ad vitandam gehennam, ideoque *simpliciter* intenditur ab eo qui efficaciter vult vitare gehennam.

III. Si metus rationis usum auferat, actus, uti patet, voluntarius nullo modo esse potest. Si autem non auferat quidem usum rationis, sed illum notabiliter impediat, actus erit imperfecte voluntarius ob imperfectam rei cognitionem.

IV. Metus sub omni respectu levis saltem in fore externo non censetur actuum causa efficax. Præsumitur enim, ejusmodi timorem contemni facile potuisse, atque adeo hominem sua prorsus sponte egisse.

Resolves.

19. — 1° Metus levis nunquam a peccato gravi excusare potest, ubi materia præcepti violati gravis est.

2° Metus etiam gravis non excusat *per se* a peccato mortali, nec de mortali veniale facit, quoties violatio cedit in contemptum Fidei vel Religionis, et generatim quoties lex non cessat propter grave aliquod incommodum, ut infra dicetur in *Tract. de Leg. n. 408.* Cæterum remoto ejusmodi periculo, metus gravis excusat a lege humana; quia non censetur legislator cum tanto incommodo obligationem legis urgere velle.

3° Metus, si rationem perturbet, excusat a mortali, ut supra dictum est, ubi de concupiscentia, *n. 45.*

4° Metus ab intrinseco vel a causis naturalibus proveniens, non impedit quominus actus ex illo elicited sit simpliciter voluntarius, et possit esse validus: sic valet votum ex metu mortis in medio naufragio, aut in gravi morbo emissum. — *Reuter, n. 20.* — *Billuart, diss. 1, art. 7.* — *Elbel, n. 48.* — *V. Casus, n. 47 et seq.*

§ IV. De vi, seu violentia.

20. — DEFINITIO. Vis seu violentia est coactio, quæ a causa extrinseca et ibera alicui infertur, repugnante ejus voluntate.

Repugnare autem dicitur voluntate, qui, tum exteriori resistentia, v. gr., precibus dissuadendo, minis deterrendo, vim vi repellendo, etc., tum interioris affectus aversione, vi sibi illatæ obsistit quantum potest.

DIVISIO. Duplex distinguitur violentia, scilicet, *absoluta*, vel *secundum quid*, prout coactio alicui omnimode, vel aliquatenus tantum interius aut exterius repugnanti infertur.

Principia.

I. Actus elicit a voluntate nullatenus cogi possunt, quia voluntati vis inferri nequit, siquidem, ut ait S. Anselmus : *Invitus nemo potest velle, quia nemo potest nolens velle* (*De libero arbitrio, c. vi*). Hinc S. Thomas : *Contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus, vel violentus* (*1. 2., q. 6, art. 4*).

II. Actus cæteri ex violentia absoluta positi nullatenus sunt voluntarii aut liberi, nec proinde peccaminosi aut demeritorii; qui autem ex violentia *secundum quid* tantum ponuntur, plus vel minus sunt liberi pro minore vel majore resistendi difficultate, aut pro minore vel majore affectu, quo quis vim patitur. — *S. Lig. n. 17-18*.

Resolves.

21. — 1^o Mulier quæ omnimode resistit violentiæ quæ ipsi infertur, nullo modo peccat, etiamsi stuprum patiat; nemo enim peccat omnino invitus.

2^o Peccant graviter fœminæ vim patientes, si pusillanimitate, aut vano timore, v. gr., offendendi aggressorem, etc., non resistant, quantum possunt, etiam secluso periculo consensus; quia etiamsi non consentiant in sensualem delectationem, tamen dum minus, quam par est, resistunt, equivalenter in sui violationem consentiunt, et criminini alterius cooperantur. — An vero peccet mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, controvertitur. — Probabiliter negandum videtur, secluso consensus periculo. Imo valde probabiliter, secluso prædicto periculo, non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cujuslibet notabilis damni, sive infamiæ, vel nimie verecundiæ; nam si alioqui jam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto incommodo vim repellere. Sic expresse *S. Lig. l. III, n. 430*. Cum tamen vix unquam absit omne, et satis proximum quidem consensus periculum, in praxi suadenda est opposita agendi ratio. — *S. Lig. l. III, n. 368*.

3^o Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatæ coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est quantum ad avertendum periculum scandali, vel Religionis injuriam requiritur.

CAPUT III

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

Dicetur : 1° de essentia moralitatis; 2° de ejusdem fontibus.

ARTICULUS I

DE ESSENTIA MORALITATIS

22. — Theologi non pauci in varias sententias et in intricatissimas quæstiones abeunt ad explicandam determinandamque moralitatis actuum humanorum essentiam. Juxta communioem autem doctrinam, sequentia videntur statuenda :

I. Essentia moralitatis primario consistit in habitudine seu relatione actus humani ad legem æternam, quæ est ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans. Ratio est, quia sola lex æterna potest esse primaria morum regula. Et sane hujusmodi regula debet esse infallibilis, indefectibilis, et valens obligare in conscientia; atqui talis est sola lex æterna, e qua sola cæteræ leges vim obligandi accipiunt: ergo... Sic ex *S. Thom. 1. 2., q. 9, art. 2.*

II. Essentia moralitatis secundario consistit in habitudine actus humani ad rectam rationem. Ratio quia, sola recta ratio potest homini manifestare legem æternam, seu primariam morum regulam. Ergo rectæ rationis est, actus voluntatis ad Deum tanquam ad finem ultimum dirigere. Ergo recta ratio est regula subjectiva primariam manifestans. Ergo essentia moralitatis consistit secundario in conformitate seu difformitate actus humani cum recta ratione. — *S. Thom. 1. 2., q. 94, art. 4.*

Resolves.

23. — 1° Ens igitur morale illud omne et solum est, quod substat regulæ morum seu legi Dei præcipienti, aut vetanti, aut permittenti. Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum, vel ab eo deordinamur. Ergo ut actus nostri sint boni, debent esse aliquo modo conformes voluntati divinæ, cum ipsa sit summa et primaria morum regula.

2° Libertas prææxigitur ad fundamentum moralitatis; secus enim actus non esset humanus, atque adeo omnia peccata et merita de medio tollerentur. Ergo...

3° Falsum est essentiam moralitatis reponendam esse in sola libertate. Etenim moralitas actus humani complectitur ipsius imputabilitatem ad laudem vel vituperium, ad premium vel pœnam; atqui actus, quamvis ex libertate imputabilis sit, non est tamen dignus laude aut vituperio quia liber est, sed quia conformis est vel difformis regulis morum, seu divinæ voluntati. Ergo...

4° Falsum est a fortiori moralitatem consistere in solo voluntario. Volun-

tarium enim sine libertate neque laude neque vituperio dignum est, quippe homo sine libertate non est actus sui dominus.

Quæsitæ.

24. — QUÆR. 1^o *An dentur actus proprie indifferentes, seu moralitate carentes, sive in specie, sive in individuo?*

Resp. 1^o: Certum est dari actus indifferentes *in specie*, seu actus qui in sua specie expertes sunt moralitatis. Sunt enim actus qui, in se spectati, abstrahendo a fine et circumstantiis, nullam habent cum lege, aut recta ratione convenientiam aut repugnantiam, ideoque nec boni nec mali reputandi sunt. Sic ambulare, scribere, et innumera similia sunt actus *per se* indifferentes.

Resp. 2^o: Controvertitur autem quoad actus *in individuo*, seu in agente spectatos.

1^a *Sententia communior et probabilior negat cum S. Thoma.* Ratio est, quia ad hominem deliberate agentem, adeoque sui actus dominum, pertinet, ut actum in debitum finem ordinet; finis autem debitus est qui convenit naturæ rationali, ut rationalis est. Porro actus aliunde ex objecto bonus aut saltem indifferens, et ita in debitum finem ordinatus, necessario bonus est; actus autem tali ordinatione carens malus est: ergo in nullo casu actus proprie indifferens *in individuo* dabitur. — *S. Thom. 1. 2., q. 18, art. 9.*

II^a *Sententia affirmat cum Scotistis.* Ratio autem eorum est, quia non constat de lege intendendi finem positive bonum in omnibus, siquidem talis lex a multis doctoribus ignoratur. Numquid enim dicat recta ratio, hominem male agere, dum ponit actionem a Deo permissam, nec tamen eam ad finem positive honestum refert!

Cæterum utraque sententia, licet specie tenus opposita, non videtur in praxi adeo differre. Etenim juxta omnes pravus finis debet semper excludi; secus actus, quantumvis indifferens in se, malus evaderet. Bonus autem dicitur a Thomistis finis, qui ut indifferens ab adversariis habetur. Agitur enim de fine, non supernaturali, sed naturaliter bono seu honesto. Porro ille fine naturaliter honesto ducitur, qui agit propter finem naturaliter operi intrinsicum, seu propter id, ad quod opus suapte natura ordinatur.

25. — QUÆR. 2^o *An actus externus addat moralitatem actui interno?*

Resp. 1^o: *Per se* actus externus nullam moralitatem addit actui interno, atque adeo neque auget neque minuit meritum aut demeritum substantiale actus interni. — Ratio est, quia omnis moralitas ab intrinseco, seu a voluntate desumitur: nec actus externus ullam habet imputabilitatem ad meritum vel demeritum sibi propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni. Quocirca actus externus non est formaliter, sed tantum materialiter honestus, vel inhonestus.

Constat etiam ex Scriptura sacra, quæ sæpe voluntatem pro ipso facto reputat. Sic, *Gen. XXII*, Deus dixit Abrahæ, qui filium immolare tantum voluit: *Quia fecisti hanc rem, nec pepercisti filio tuo..., benedicam tibi.* Et *Matth. v*, dixit ipse Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est in corde suo.* — Nec obstat obligatio declarandi

actum externum in confessione; declarari enim debet. quia constituit unum eundemque actum cum interno, ut dicitur ubi de confessionis integritate.

Resp. 2° : *Per accidens* tamen plerumque actus externus auget moralitatem, quia sæpissime est occasio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, v. gr., ut protrahatur, aut multiplicetur, etc. Actus enim internus adaugetur propter arduum boni operis externi, vel delectationem mali, aut propter longiorem temporis moram in opere externo perficiendo necessariam.

Aliunde sæpe adest in opere externo scandalum aut damnum proximi, aut e contrario bona ædificatio, ex quibus adaugetur etiam actus interni moralitas. Ita *communiter Theologi*. — Conf. Suarez, *De humanor. act. bonitate*, disp. x, sect. 1.

ARTICULUS II

DE FONTIBUS MORALITATIS

Fontes moralitatis nuncupantur ea principia, quæ actibus humanis speciem, aut speciei modificationem in genere moris tribuunt.

Tres moralitatis fontes numerantur, scilicet : 1° objectum actus ; 2° circumstantiæ ejusdem ; 3° finis agentis. Tria hæc omnino ad actum bonum requiruntur ; si vel unum malum sit, actus malus evadet. Hinc pervulgatum axioma : *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*.

§ I. De objecto.

26. — Objectum illud est, circa quod actus moralis immediate versatur, et in quo proxime et per se terminatur voluntas agentis.

Objectum est *bonum*, vel *malum*, vel *indifferens*, prout rationi, legi, aut recto ordini consentit vel non, aut præter legem seu rectum ordinem se habet. Item potest esse intrinsece bonum, vel malum, id est ratione sui ex recti ordinis exigentia ; aut non intrinsece, sed solum ratione præcepti positivi.

Dico : Ex objecto moraliter considerato desumitur prima et essentialis moralitas actus humani ; moralitas enim quam objectum actioni tribuit, concipitur ante omnem aliam, quæ sive ex fine sive ex circumstantiis proveniat.

Moralitas quæ ex objecto desumitur, appellatur moralitas, seu bonitas vel malitia *objectiva*. — Si objectum fuerit in se indifferens, ex fine vel ex circumstantiis moralitatem suam accipiet.

Objecta autem intrinsece mala sunt triplicis classis, scilicet : 1° Quædam talia sunt *absolute*, et independenter ab omni circumstantia ; quia ex se involvunt repugnantiam cum recto ordine absolute necessario, ut est odium Dei, blasphemia, etc. — 2° Alia sunt *intrinsece* mala, non præcise in se, sed ratione adjuncti aut conditionis alicujus, quæ pendet a dominativa potestate Dei aut hominis : talia sunt ablatio rei alienæ, læsio corporis vel famæ, et similia quæ aliquando licita evadunt. — 3° Alia tandem mala sunt tantum ratione periculi, quod ordinarie adjunctum habent, ut aspectus

objecti turpis, lectio pravi libri, etc... Hæc, data rationabili causa, et semoto periculo, licita fieri possunt.

§ II. De circumstantiis.

27. — Circumstantiæ sunt determinationes accidentales actus, sine quibus hic posset quoad substantiam existere, et quæ tamen attingunt aliquo modo moralitatem ejusdem. Hinc circumstantiæ non sunt objectum actus, quia secundo tantum a voluntate attinguntur.

Septem numerantur circumstantiarum classes, hoc versiculo expressæ :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Scilicet : *Quis*, seu qualis sit agens, uxoratus, clericus, etc.? — *Quid*, seu quæ sit accidentalitas qualitas aut quantitas objecti? — *Ubi*, seu quonam in loco, an sacro vel profano? etc. — *Quibus auxiliis*, id est, quibusnam mediis, instrumentis, etc., usus fuerit agens? — *Cur*, seu ex quali fine, nempe extrinseco? — *Quomodo*, nempe an malitiose, vel bona fide, an modo intenso, vel remisso, an advertente, necne? — *Quando*, id est, quali, vel quanto tempore?

Dico : Actus humanus veram moralitatem desumit ex circumstantiis. Ratio est, quia circumstantiæ quæ non possunt una cum objecto directe vel indirecte non intendi, actum eo ipso afficiunt, prout est actus humanus et subjacet regulis morum; atqui sæpe relationem habent convenientiæ vel disconvenientiæ cum ratione et recto ordine; ergo actum afficiunt in esse moris seu quoad moralitatem; imo ejusmodi convenientiam aut disconvenientiam interdum solæ in actum inducunt, ut contingit in actibus ex objecto indifferentibus.

Hinc 1° circumstantiæ aliæ sunt quæ ad moralitatem actus attinent; aliæ quæ ad eam nihil conferunt, quæque proinde prorsus indifferentes habendæ sunt. 2° Aliæ in eadem specie morali objectum relinquunt, et aliæ speciem ipsam mutant, seu novam speciem superaddunt. — 3° Ex prioribus, aliæ malitiam aggravant, aliæ vero minuunt, idque graviter vel leviter efficiunt.

Si ita aggravent ut peccatum ex veniali reddant mortale, aut ita minuunt, ut ex mortali veniale reddant, actus in eadem specie *moralis* manens dicitur mutari quoad speciem *theologicam*.

QUÆR. *An circumstantia leviter mala totum actum bonum semper corrumpat?*

Resp. Neg. Etenim substantia actus boni, non obstante ejusmodi circumstantia, illæsa remanere potest; unde actus ille non nisi ex parte inficitur. Sic, v. gr., agens non amittit totum meritum boni operis, nec præcipuam ejus partem, licet alicui tentationi vanæ gloriæ *incidenti* consensum præstiterit. — *Billuart, diss. IV, art. 4. — Vide dicenda infra de fine, n. 30.*

§ III. De fine.

28. — Finis in genere est id, cujus gratia aliquid fit.

Duplex est, scilicet *finis operis*, nempe finis ipsi operi intrinsecus, et ad quem opus per se tendit; et *finis operantis*, id est, ad quem agens ad libi-

tum intentionem suam dirigit, seu quem agens sibi præstituit, sive idem sit cum fine operis, sive ab eo sit diversus et operi extrinsecus.

De hoc tantum posteriori fine dicendum nobis est, quippe qui solus proprie finis dicitur.

Est autem finis ille : 1° *intermedius*, vel *ultimus*, prout ad alium finem refertur, vel voluntas in eo quiescit; — 2° *positive*, vel *negative ultimus*, seu, quod idem est, *simpliciter* et quoad omnia, vel *secundum quid* et in aliqua tantum serie *ultimus*, prout intenditur, vel non intenditur cum exclusione cujuscumque alterius finis ultimi; 3° *primarius*, vel *secundarius*, prout primo per se, vel consecutive tantum et cum subordinatione ad primarium intenditur. Iterum finis ultimus potest esse *explicite*, vel *implicitè* intentus, prout agens *expresse* aut *virtualiter* tantum seu in alio illum intendit.

Dico 1° : Actus humanus veram moralitatem a fine desumit. Ratio, quia finis libere intentus ultimo ordinat actum ad hoc, ut sit vel non sit conformis rectæ rationi. Hæc autem ordinatio diversa est ab illa, quam actui tribuunt objectum et cæteræ præter finem circumstantiæ. Sic rectæ rationi conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in peccatorum remissionem; sicut pariter rectæ rationi repugnat non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.

Dico 2° : Peccat qui agit propter solam delectationem, quam ne implicitè quidem aut virtualiter refert ad ulteriorem finem. Ratio est, quia ille agit inordinate, pervertens ordinem rerum ab auctore naturæ institutum. Etenim juxta ordinem ab auctore naturæ institutum delectatio est propter operationem, et non vice versa: scilicet delectatio est velut sal et condimentum quoddam, quod inservit ad alliciendum ad actiones vitæ necessarias, vel utiles. Igitur delectatio est tantum medium ad actiones facilius, melius, constantius efficiendas, non autem finis ultimus actionis. Sic enim S. Thomas : *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes* (1. 2., q. 4, art. 2).

Confirm. ex prop. 8^a ab Inn. XI damnata, quæ sic sonat : *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* — Attamen hæc deordinatio *per se* non est gravis, et proinde peccatum veniale non excedit; quia qui ita se gerit, ex una parte, non rem malam, sed bonam polius indebito ordine appetit; siquidem, ut ait S. Thom. *Cont. gent. l. III, cap. xxvi, n. 6, delectatio bona est et appetenda, si bonam consequatur operationem*, et ex alia parte, non reponit *ordinarie* finem suum ultimum in hoc indebito appetendi modo, nisi agatur de iis, de quibus ait Apost. *Philip. III, 19 : Quorum Deus venter est.* — *S. Lig. l. V, n. 73, et l. VI, n. 912.*

Non autem peccat, etiam leviter, qui delectationem cibi, v. gr., vel ludorum, *expresse* quærit, etiamsi actu non cogitet de ulteriori fine, dummodo finem hunc ulteriorem aliqua ratione virtualiter intendat, puta, quia vult generatim in his omnibus honeste se habere, nihilque admittere contra rectæ rationis præscriptum, aut quia consuevit ea assumere propter aliquam animi vel corporis utilitatem, etc. Ille enim propter delectationem forte, at non propter *solam* delectationem agere dicendus est.

Resolves.

29. — 1° Omnis electio mali medii est mala, sed non e converso omnis electio boni medii est bona. Sic nemo laudatur ex eo, quod abstineat a potu ex avaritia : reus autem habendus est, qui furatur pecuniam ad eleemosynam faciendam.

2° Qui eligit medium honestum ad finem honestum, ponit actum duplicis honestatis, si utraque honestas sit intenta. Item duplicis malitiæ reus est, qui eligit medium malum ad finem malum, puta si quis pecuniam furetur, ut se inebriet.

3° Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantum malitiam medii, v. gr., si quis mentiatur ad proximum e periculo liberandum. Item vice versa qui adhibet medium honestum ad finem malum, contrahit tantum malitiam finis.

4° Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum vel malum, contrahit tantum bonitatem vel malitiam finis. Sic, v. gr., si iter arripias, ut peregrino viam indices, habes tantum meritum finis; item si canas, ut alteri molestiam facias, habes tantum finis reatum. In confessione autem necesse non est circumstantiam mediolorum hujusmodi declarare, ut patet. — *Vide tamen dicenda n. 164.*

Quæsitæ.

30. — QUÆR. 1° *An finis quilibet malus totam actus bonitatem corrumpat?*

Resp. 1° : Finis graviter malus semper actum omnino inficit, quantumvis bonum sit objectum in se. Actus enim ille nulla ex parte bonus esse potest, siquidem agens peccando mortaliter a Deo totaliter recedit.

Resp. 2° : Finis leviter malus etiam totum actum corrumpit, si sit finis *totalis*, vel saltem *primarius* agentis. Etenim si sit *totalis*, totum objectum complectitur, et proinde totum inficit, quia *agens malo fine vult bonum sub ratione mali, et ideo, prout volitum est ab eo, malum est*. S. Thomas, 1. 2., q. 19, art. 7. — Constat etiam ex verbis Christi, *Matth. vi, 23* : *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit*. Hinc dona Cain, licet in se bona, Deo displicuerunt utpote a malo fine provenientia.

Si vero duplex habeatur finis, et malus sit primarius, eodem modo est resolvendum, quia actus ille adhuc eligitur ut sit instrumentum ad malum, et proinde substantialiter vitiatur.

Resp. 3° : Si autem finis leviter malus sit mere *secundarius, probabilius* non corrumpit totum actum, qui est partim bonus, partim malus. Ratio est, quia actus ille bonitatem suam ex objecto retinet : finis autem malus se habet tantum *concomitanter*, nec in ipsam actionis substantiam influit. Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur. — *Billuart diss. iv, art. 4.* — *Gerdil, de Act. hum., et alii communiter.*

31. — QUÆR. 2° *An omnes actiones, ut bonæ moraliter sint, motivo Caritatis informari debeant?*

Resp. Neg. Actus enim ex motivo aliarum virtutum eliciti sunt per se

boni, ut sunt actus Fidei, Spei, etc... Constat id etiam ex *Conc. Trid.* sess. XIV, c. IV, ubi declaratur attritionem esse donum Dei et disponere pœnitentem ad justificationem. Item sess. VI, can. 31, ubi dicitur : *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

QUÆR. 3^o *An omnes actiones nostræ, ut honestæ sint, ad Deum referri debeant ex motivo supernaturali, seu quod per Fidem apprehendantur?*

Resp. Neg. Secus enim omnia opera infidelium essent peccata, quæ doctrina ab Ecclesia damnata est.

QUÆR. 4^o *An omnes actiones nostræ ad Deum referri præcipiantur per verba Apostoli, I Cor. x, 31 : Omnia in gloriam Dei facite.*

Resp. 1^o Neg. Si agatur de obligatione referendi actu et explicite omnes et singulas actiones nostras in Dei gloriam.

Etenim prout communi consensu notaverunt S. Thomas, 2, dist. 40, q. 1, art. 5, ad 7, et S. Bonaventura, 2, dist. 41, art. 1, q. 3, ad 1, cum multis aliis doctoribus, prædicta Pauli verba accipi possunt sensu tum negativo, tum affirmativo.

Si sensu *negativo* accipiuntur, vel significant : *Nihil contra Dei gloriam faciatis, ut sine offensione sitis Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei*, et sic prohibent tantum scandali peccatum (*Cornel. a Lap. in h. l., Tertio*); vel significant in genere : *Nihil contra Deum faciatis*; et sic, ex omnium sententia, imo et ex ipsa rei natura, generale dumtaxat continent præceptum non peccandi, quod nullam infert obligationem peculiarem distinctam ab ea quam inducunt præcepta specialia, v. gr., non occidendi, non blasphemandi. Hunc ultimum sensum aliquando S. Thomas cæteris anteposuisse videtur, dum scripsit (*Lect. III. in Coloss. cap. III*) : *Quidam dicunt quod hoc est consilium, sed non est verum. Sed dicendum est, quod non est necessarium quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu : qui enim facit contra gloriam Dei et præcepta ejus, facit contra hoc præceptum. Venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter : quia licet non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum.*

Si vero Pauli verba sensu *affirmativo*, et simul de *actuali relatione* omnium actionum nostrarum in Deum intelligantur, consentiunt iterum iidem Doctores (loc. cit. ex 2 *Sent.*) non præceptum a Paulo tradi sed merum consilium pro uniuscujusque posse executioni mandandum. Nam *omnia actu in Deum referre*, ait S. Thomas (*Quæst. 2 de Carit., art. 11, ad 2*), *non est possibile in hac vita, sicut non est possibile ut semper de Deo cogitetur : hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ.*

Resp. 2^o : Si agatur de alia relatione præter actualem et explicitam, acris aliquando exstitit controversia, de qua statim nobis dicendum est. Igitur.

32. — QUÆR. 5^o *An aliqua tandem, et quæ relatio operis in Deum requiratur et sufficiat?*

Resp. 1^o : Certum est requiri *ex parte operis*, ut ipsum aptitudinem saltem habeat, qua possit in Deum referri, nempe ut nullam inordinationem culpæ mortalis aut venialis contineat qua impediatur ne sit in Deum referibile.

Resp. 2^o : Certum est requiri *ex parte operantis*, non ad singulorum qui-

dem operum honestatem, sed ad actiones suas in genere recte ordinandas, ut ipse aliquando in vita, actu Deum super omnia diligendi, se suaque opera universa implicite saltem in Deum tanquam ultimum totius humanæ vitæ finem referat. Obligari enim hominem ad actum caritatis aliquoties in vita elicendum infra (n. 217, 218) dicemus.

Resp. 3^o : Plurimum, sæculo elapso, disputatum est utrum hæc duo sufficiant; an præterea requiratur, ut peculiari quadam intentione omnino explicita sæpiusque renovata, si non actu, virtute saltem, seu influxu positivo atque perseverante prædictæ intentionis, omnia et singula opera nostra in Deum referantur.

Qui Augustiniani dicebantur, maxime e Lovaniensibus, aiebant necessariam esse ejusmodi intentionem, quam *virtualem explicitam* vocabant, eamque præcipi verbis S. Pauli, I *Cor.* x, 31, et *Coloss.* III, 17. At vero, dum ita sentiebant, vix fieri poterat, ut non incurrerent in damnationem propositionis 25 Mich. Baii : *Omnia infidelium opera sunt peccata*; imo insignis temeritatis erant arguendi, eo quod, contra sensum Ecclesiæ, de peccato damnarent pleraque opera innumerorum fidelium, qui absque tali intentione operantur. Idcirco vehementer impugnata est eorum opinio a cæteris Theologis pene omnibus. — Hi autem e contra statuebant : 1^o per actum Caritatis debitis temporibus elicitem sufficienter adimpleri obligationem omnia opera universe in Deum tanquam finem ultimum dirigendi; 2^o nullam legem, nullum præceptum posse proferri, quo obligemur ad eadem opera modo magis peculiari in Deum referenda : siquidem mandatum de Deo toto corde diligendo, utpote affirmativum, non obligat semper ac pro semper; verba autem Apostoli ad *Cor.* et ad *Coloss.* accipienda sunt, ut diximus, vel sensu negativo, vel sensu quidem affirmativo, sed de mero consilio, aut de generali præcepto Caritatis; 3^o de cætero opus ex objecto honestum, nulloque fine pravo, nullave circumstantia mala vitiatum, ex se ipso, adeoque in implicita operantis intentione, necessario quodam ordine referri ad Deum, qui fons est, regula atque finis boni et honesti. — Cf. *Billuart, de Caritate, Diss.* IV, art. 8. — *Theol. Wirceb., de Act. hum., cap.* III, art. 3. — *Perrone, de Caritate, cap.* V, art. 1, prop. 4.

Ultima hæc sententia, quæ communis est et tenenda (nam prior improbabilis est), expresse a S. Thoma pluribus in locis traditur. Sic, v. gr., 2, *dist.* 40, q. 1, art. 5, ad 8 : *Non oportet, inquit, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur... Et si quæeratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quæerere, quando oporteat habitum Caritatis exire in actum : quia quandocumque habitus Caritatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et, per consequens, omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi.*

Et hæc quidem de præcepto. Quod autem ad consilium attinet, valde curandum est animarum pastoribus, ut fideles hortentur de operibus suis quotidie primo mane, imo et pluries per diem, Deo offerendis : quantum enim juvet ejusmodi praxis, ad ampliora quotidie merita acquirenda, et ad vitæ christianæ profectum, nemo non videt.

APPENDIX

DE MERITO ACTUUM HUMANORUM

33. — Actus *meritorius* est opus bonum, et cum gratia positum, et præmio seu retributione dignum.

Meritum duplex distinguitur : 1° meritum *de condigno*, cui merces ex justitia, hoc est, ex Dei promissione debetur; 2° meritum *de congruo*, cui merces non ex justitia debetur, sed ex quadam decentia et Dei liberalitate.

Dico 1° : Homo justus per gratiam operans vere et proprie mereri potest *de condigno*. — Constat ex *Matth.* v, 12 : *Merces vestra copiosa est in cælis*; et *II Tim.* iv, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. — Constat etiam ex *Trident. sess. VI, c. xvi*, ubi declaratur vitam æternam esse mercedem ex Dei promissione bene operantium meritis reddendam.

Dico 2° : Homo etiam peccator actibus cum gratia positis mereri potest *de congruo*. — Constat ex omnibus Scripturæ locis, quibus ostenditur peccatores plures, v. gr., Ninivitas, Davidem, Magdalenam, etc., precibus, lacrymis, piisque operibus veniam peccatorum meruisse. — *Suarez, de Merito l. XII, c. xxxvii. Bellarm., de Justif. l. I c. xxi.*

Exinde bona opera ex gratia facta triplicis sunt generis, scilicet : 1° *Opera viva*, seu opera bona facta in statu gratiæ sanctificantis. — 2° *Opera mortificata*, seu opera bona, quæ quidem in statu gratiæ peracta sunt, sed meritum omne per subsequens peccatum mortale amiserunt, recuperata autem gratia sanctificante reviviscunt. — 3° *Opera mortua*, quæ fiunt in statu peccati mortalis. Hæc autem, licet vitæ æternæ præmium non habent, ad meritum tamen *de congruo* prodesse possunt.

Quæsitæ.

34. — QUÆR. 1° *Quid requiratur ad meritum de condigno?*

Resp. Requiritur 1° ut actus sit liber; secus enim non esset actus humanus; 2° ut sit honestus; secus præmio dignus non esset; 3° ut ponatur ex gratia; alioquin ad vitam et mercedem supernaturalem proportionem non haberet; 4° ut agens sit in statu gratiæ, quia peccator non Dei est filius aut amicus, cui promissa debentur.

QUÆR. 2° *Quid homo mereri possit de condigno?*

Resp. 1° : Potest mereri augmentum gratiæ sanctificantis, et gloriam æternam, quæ illam consequitur. — Constat ex *Conc. Trid. sess. VI, c. xvi*.

Resp. 2° : Homo justus non potest *de condigno* mereri perseverantiam finalem, neque gratias efficaces, quia hæc sunt dona gratuita, quæ Deus non promisit.

QUÆR. 3° *Quid possit homo mereri de congruo?*

Resp. 1° : Peccator per bona opera, v. gr., jejunium, eleemosynam, orationes, mereri potest *de congruo* gratiæ auxilium, ut peccatum vitet, et ad justificationem perveniat.

Resp. 1° : Justus mereri potest *de congruo* 1° *sibi* gratias efficaces et perseverantiam finalem; 2° *aliis* gratiam primam et ulterioris gratiæ auxilia.

QUÆR. 4° *An opus, ut sit meritorium de condigno, debeat esse supererogationis, seu non præceptum?*

Resp. Neg. Constat enim ex *Trident. sess. VI, can. 26*, omnia opera, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam promereri; opera autem quæ sunt præcepti et ipsa sunt in Deo facta; ergo etiam per ea homo vitam æternam promeretur.

33. — QUÆR. 5° *An ad merendum de condigno essentielle saltem gloriæ præmium requiratur actus elicitus aut imperatus a Caritate?*

Resp. 1° Neg. quoad actum elicitum. Scriptura enim vitam æternam omnibus indiscriminatim justorum bonis operibus repromittit, secundum illud *Matth., XIX, 17* : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, et *Joan., v, 29* : *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ*. Et confirmatur iterum ex *Conc. Trid. sess. VI, cap. XVI et can. 26*. — Huc etiam faciunt damnatæ Quesnelli propositiones, scilicet 53 : *Deus non coronat nisi Caritatem; qui currit ex alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit*, et 56 : *Deus non remunerat nisi Caritatem, quoniam Caritas sola Deum honorat*.

Resp. 2° : Quod actum imperatum, controvertitur. I^a sententia, quam secuti sunt plerique recentiores Thomistæ, quamque auctoritate præsertim S. Thomæ comprobare nituntur, affirmat nullum actum hominis justi meritorium esse *de condigno* vitæ æternæ, nisi procedat ab imperio formali vel virtuali Caritatis. — II^a sententia communior apud cæteros theologos et simul probabilior, ait in homine justo actus omnes virtutum infusarum, per se ipsos et independentem ab influxu sive actuali sive virtuali Caritatis, vim habere merendi vitam æternam. — Vide theologos scholasticos, qui hanc quæstionem fusius tractant.

QUÆR. 6° *Utrum actus virtutis naturalis, puta elemosyna, si fiat ab homine justo, sit meritorius de condigno vitæ æternæ?*

Resp. 1° : *Affirm.* si actus in se naturalis imperetur ab alio actu supernaturali, seu fiat ex imperio supernaturali. Est doctrina communis omnium theologorum, ait Suarez *de Merito l. XII, c. x, n. 14*, quæ *probabilius*, juxta eundem auctorem (*c. xi, n. 22*), intelligenda est formaliter, id est ita ut actui imperato tribuatur verum et proprie dictum meritum præter meritum actus imperantis.

Resp. 2° : Si absit omne motivum vel imperium supernaturale, quidam theologi non infimæ notæ arbitrati sunt hunc actum adhuc esse meritorium *de condigno*; contraria tamen sententia, quam Suarez omnino veram appellat, multo communior est, ac præsertim multo magis congruit cum doctrina *Conc. Trid. sess. VI, c. XVI*. — Suarez, *l. c. cap. VII, n. 2 et seq., et cap. x, n. 15*.

QUÆR. 7° *Utrum intentio merendi requiratur ad merendum?*

Resp. Neg. dummodo cæteræ conditiones adsint. Non enim merces æterna repromissa est illi qui, v. gr., per actum Caritatis ad eam obtinendam intendit, sed illi qui simpliciter Caritatem habuerit et exercuerit.

TRACTATUS DE CONSCIENTIA

36. — DEFINITIO. Conscientia est dictamen practicum rationis, seu iudicium practicum, quo iudicamus aliquid posse vel debere fieri, quia bonum vel præceptum, aut omittendum esse, quia malum. — Hinc differt a *synderesi*, quæ principia tantum generalia dictat.

DIVISIO. Conscientia distinguitur :

1^o *Recta*, vel *erronea*, prout verum vel falsum dictat.

2^o *Certa*, vel *dubia*, prout mens firmiter iudicat aliquid esse bonum vel malum, aut e contra suspensa hæret circa actionis honestatem.

3^o *Scrupulosa*, vel *laxa*, prout vel inani motivo apprehendit peccatum ubi non est, vel e contrario leviori de causa peccatum abesse præsumit, aut leve habet quod est grave.

4^o *Probabilis*, vel *improbabilis*, prout ex motivo gravi aut infirmo ad opinandum mens inclinatur. — De singulis seorsim.

CAPUT I

DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA

37. — DEFINITIO. Conscientia *recta* ea est, quæ repræsentat objectum sicut in se est : secus *erronea* est dicenda ; et quidem erronea dicitur *invincibiliter*, aut *vincibiliter*, prout ignorantia seu error inculpabilis est, aut culpabilis.

Principia.

I. Conscientia *recta* præcipiens semper sequenda est, quia conscientia est regula proxima voluntatis, derivata a prima et summa regula omnium actionum humanarum. — *S. Lig. n. 3.*

II. Conscientia *invincibiliter erronea* præcipiens pariter in omni casu sequenda est ; quia omnino æquiparanda est subjective conscientia rectæ, et quia, juxta Apost., *Omne quod non est ex fide* (seu juxta conscientiam) *peccatum est.* — *S. Lig. n. 5.*

III. Conscientia *invincibiliter erronea* permittens eximit ab omni peccato, quia ibi nullum potest esse peccatum, ubi nulla malitia apprehenditur. — *S. Lig., ibid.*

IV. Non licet sequi conscientiam vincibiliter erroneam permittentem, aut præcipientem, quia, cum, ex hypothesi, error sit vincibilis, quisquis agit cum tali conscientia, errat voluntarie. Nec licet agere contra eam præcipientem, quia sic agens illud facit, quod iudicat prohibitum, ideoque peccat. Proinde ante actionem illa conscientia per inquisitionem veritatis deponenda est. — *S. Lig. n. 4.*

Resolves.

38. — 1° Qui putat esse jejunium quando non est, ob erroneam conscientiam peccat contra præceptum, si non jejuset.

2° Si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitæ, putans inculpabiliter se ex Caritate ad id teneri, actum bonum facit; et si non mentiatur, contra Caritatem peccat.

3° Qui cum aliquo dubio putat, sibi mentiendum vel furandum esse, ut proximo succurrat, non potest talem conscientiam sequi nec contra eam facere; sed debet, si possit, inquirere, eam deponere, et postea operari; talis enim error est vincibilis.

QUÆR. *Quibus signis Confessarius cognoscere possit, errorem esse vincibilem in pœnitente.*

Resp. Interroget 1° an aliquam indecentiam in hoc actu adverterit? 2° an ipsi sua conscientia dictaverit esse saltem interrogandum Confessarium, vel alium prudentem virum? 3° an occasionem interrogandi ex verecundia aut metu neglexerit? Si pœnitens affirmative respondeat ad unum vel alterum ex his, censi potest confuse saltem cognovisse actionis reatum, adeoque in culpabili errore versari; secus, si ad omnia negat. — V. *Casus*, n. 37.

CAPUT II

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA

ARTICULUS I

DE CONSCIENTIA CERTA

39. — DEFINITIO. Conscientia certa ea est, qua quis firmiter et absque errandi formidine iudicat, aliquid esse bonum vel malum.

DIVISIO. Certitudo triplex distingui solet:

1° *Metaphysica*, quæ competit iis propositionibus, in quibus attributum subjecto essentialiter convenit, atque adeo immutabilis est.

2° *Physica*, quæ fundatur in ordine constanti quo mundus regitur; hæc firma consistit, quatenus leges physicæ constantes sunt, et constantes fuisse censentur.

3° *Moralis*, quæ nititur legibus, quibus homines in suis actibus reguntur.

Iterum certitudo moralis subdividitur in *perfectam* et *imperfectam*. Prior ea est, quæ ita fundatur legibus moralibus, ut clare percipiatur, propositionem falsam esse non posse. Hæc ad certitudinem metaphysicam mediate reducitur. Posterior ea est, quæ competit iis propositionibus, in quibus errorem esse absolute non repugnat, quamvis rarissime contingere id possit. Hæc varios gradus admittit.

Item certitudo alia est *directa*, quæ obtinetur per certa argumenta materiæ intrinseca; alia *indirecta*, quæ habetur ex principio aliquo extrinseco, v. gr., Ecclesiæ auctoritate.

Principia.

I. Sola conscientia *certa* est recta regula morum. Ratio est 1° quia *omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.*, XIV, 23); 2° quia agens cum conscientia non certa, quin inquirere de veritate satagat, periculum transgrediendi præcepti voluntarie admittit, atque consentiendo in ejus violationem formaliter peccat. — *Inf.*, n. 42.

II. Sufficit conscientia moraliter certa, etiam imperfecta. Ratio est, quia ea tantum requiritur certitudo, quæ sola ut plurimum haberi potest, secus agendi regula, cui homo proxime subicitur, humanæ conditioni minime esset accommodata; atqui certitudo absoluta plerumque haberi nequit. — Id insuper constat ex sententia communi Doctorum et praxi universali. Unde talis conscientiæ certitudo, quamvis speculative imperfecta sit, practice perfecta est, et qui ex ea agit, vere ex fide agit, ut constabit ex dicendis de probabilismo.

ARTICULUS II

DE CONSCIENTIA DUBIA

40. — DEFINITIO. Conscientia dubia ea est, quæ hæret suspensa circa actionis honestatem. Dubium enim est suspensio assensus inter opposita.

Differt igitur ab opinione et conscientia probabili, quæ non suspendit sed præbet assensum, licet cum formidine de opposito. — *S. Thom.* 2. 2., q. 2, art. 1, et de *Verit.*, q. 14, art. n.

DIVISIO. Multiplex dubium distinguitur scilicet :

1° *Positivum*, vel *negativum*, prout adsunt rationes graves dubitandi, aut leves tantum, vel etiam nullæ : seu dubium est *positivum*, quando mens suspendit assensum ob apparentem æqualitatem rationum; *negativum* vero, quando mens suspendit assensum ex defectu rationum.

2° *Juris*, vel *facti*, prout versatur circa legis existentiam, ejusve obligationem, aut circa factum aliquod particulare.

3° *Speculativum*, vel *practicum*, prout versatur circa veritatis cognitionem abstractam et in communi, vel circa veritatem, quæ hic et nunc ad opus ordinatur.

Dubium autem *speculativum* potest etiam dividi in *speculativum simpliciter*, cum dubitatur de re ad mores non pertinente; et in *speculativo-practicum*, quando dubitatur de principio generali morum, aut de bonitate actionis in se sumptæ, nec tamen inquisitio ad opus reipsa exsequendum ordinatur; si vero circa actionem versetur hic et nunc ponendam dicitur a quibusdam *dubium practice-practicum*.

Principia.

41. — I. Nunquam licet operari cum conscientia *practice dubia*, sed pars tutior est sequenda. Ratio patet ex modo dictis de *conscientia certa*, principio I. — Licet autem quandoque operari cum conscientia speculative dubia, cum scilicet deposito dubio practico ex dictamine practice certo, seu ex principiis reflexis certis, conscientia efformatur, ut mox agendo de probabilismo dicemus.

II. Dubium mere negativum pro nihilo habendum est; quia ratione prorsus nulla, aut valde levi fundatur: proinde etsi illud maneat, urget tamen obligatio, vel stat libertas, prout antea existebat; nec efficere potest ut moralis certitudo oppositi subvertatur. Verum si prudens suspicio de errore gravi motivo innixa tibi oriatur, cessat dubium esse mere negativum, et ad inquirendum teneris. Itaque cum posthac casus dubii negativi occurrent, eos, ista regula semel statuta, facile dilues, et idcirco ad solum dubium positivum attendemus. — *S. Lig. n. 24.*

Resolves.

42. — 1^o Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est positurus, sit licitus necne, diligentiam veritati inquirendæ, pro rei gravitate, et personæ, locique conditione congruam, adhibere tenetur; probos et peritos consulat, eorum praxim investiget, rationesque solo veritatis studio perpendat: secus enim periculo legis violandæ ex inquisitionis negligentia se exponit, et eo ipso peccat.

2^o Si inquirere non possit, nec per se rationes utriusque partis perpendere valeat, nec alia ratione, v. gr., per principia reflexa a dubio se expedire, tutiorem partem amplectatur; quia secus ageret in dubio *practice-practico*, id est cum conscientia vere dubia, ac sine ullo de actionis honestate certo iudicio.

3^o Qui, diligenti ac sufficienti inquisitione peracta, adhuc dubitat an adsit lex præcipiens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur; quia efformare sibi conscientiam potest ex principio *reflexo*, scilicet non posse obligare legem, quæ inveniri non potest, ut infra, ubi de *probabilismo*, dicitur.

4^o Inepte agunt, qui post actum jam commissum vel omissum apud Doctores vel a Confessario inquirunt utrum peccaverint; nam peccatum præteritum non pendet a sequenti iudicio Doctoris aut Confessarii, sed a dictamine practico, quod quis in agendo habuit. — Prudenter tamen facit qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quo pacto scilicet in futurum in simili casu se gerere possit aut debeat.

Quæsitæ.

43. — QUÆR. 1^o *An graviter peccet operans cum dubio practico de peccati gravitate?*

Resp. Affirm. Qui enim agit cum conscientia practice dubia, secundum communia principia peccat ea peccati specie tum morali tum theologica, de qua practice, dum agit, dubitat. Ratio est quia obligationem sane gravem violat præcavendi, ne per ignorantiam aut inadvertentiam voluntariam incidat in legis transgressionem, quæ graves esse possint.

QUÆR. 2^o *An peccet graviter, qui scit actionem suam esse malam, sed ad ejus gravitatem non attendit?*

Resp. Alii censent hunc peccare graviter, vel leviter, prout objectum peccati est in se grave, vel leve; alii vero semper graviter, alii demum venialiter tantum, modo malitiam gravem, saltem in confuso, non apprehendat; quod tamen supponi nequit, ubi agitur de re notabiliter gravi. — *S. Lig. n. 23.*

QUÆR. 3° *Quid agendum sit in casu conscientiæ perplexæ, quando quis, scilicet inter duo præcepta constitutus hæret dubius, quodnam e duobus sequi debeat?*

Resp. Sequentes regulas in perplexitate teneto :

1° Consule, si possis, Confessarium, vel alios prudentes viros; quia in eo casu ignorantia vincibilis est.

2° Si consulere nequeas, et adsit necessitas agendi, quia actio sine gravi damno suspendi nequeat, elige quod tibi minus malum videtur, non ea intentione ut malum facias, sed ut magis a malo recedas. Scito autem legem *inferioris ordinis* debere legi *superioris ordinis* cedere.

3° Si utrumque præceptum æque tibi grave videatur, quidvis elige, nec peccabis; non enim peccandi datur necessitas. — *S. Lig. n. 10. — V. Casus, n. 43.*

CAPUT III

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA

ARTICULUS I

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA

Conscientia scrupulosa dicitur, quæ ex levi imo et vana causa dubitat de alicujus actionis honestate, ideoque formidat de peccato ubi peccatum non est. Scrupulus enim est inanis apprehensio, seu levis suspicio, qua quis falso judicat aliquid esse peccatum. Vox autem *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes pedibus molestiam creant.

Dicemus breviter de scrupulorum causis, signis, damnis, remediis, necnon de regulis pro pœnitentibus scrupulosis, eorumque Confessariis.

§ I. *Causæ scrupulorum.*

44. — Causæ scrupulorum præcipuæ sunt sequentes :

1° *Permissio divina.* Non quidem quasi Deus falsas apprehensiones imittat, sed quod has permittens lumen suum subtrahat, ut nimirum homo in anxietates lapsus redeat ad cor, ad meliorem frugem se recipiat, ad Deum recurrere discat, et pro peccatis, patienter sustinendo angorem, satisfaciat, meritum augeat, etc.

2° *Dæmonis operatio.* Dextre enim novit dæmon scrupulos fabricare, commovendo sanguinem, alterando humores, varia simulacra phantasiæ objiciendo, species diversas componendo, ut tetricam et falsam imaginem peccati efformet, mentem conturbet, a profectu spirituali retrahat, et tandem in animi dejectionem, vel etiam in desperationem conjiciat.

3° *Complexio melancholica et phlegmatica.* Melancholici enim sunt plerumque suspicaces, rerumque, quas apprehendunt, tenaces, et proinde proni ad omnem mali suspicionem; phlegmatici autem, cum frigidiæ sint complexionis, facilius timori et pusillanimitati obnoxii sunt, terrenturque ad primam mali speciem.

4° *Imbecillitas capitis*, vel defectus iudicii naturalis in personis ad timorem propensis; item pusillanimitas et dejectio animi, ob quam timores nescit quis contemnere.

5° *Nimia sollicitudo* id omne vitandi quod habet speciem mali; dum enim scrupulosus continuo sibi inelamat: *Cave a peccato...*, *Attende tibi...*, seipsum sine causa terret et perturbat.

6° *Consortium cum scrupulosis*: quo spectat et directio a Confessario scrupuloso accepta, lectio casuum conscientiae et asceticorum severiorum facta ab aliquo incauto et minus intelligente; item fuga cujusvis humanae conversationis fastidiosa.

§ II. *Signa scrupulorum, seu conscientiae scrupulis obnoxiae.*

43. — Plurimum interest, ut animarum moderatores discernant veros scrupulosos a falsis. Sæpe enim scrupulosi putantur qui non sunt, et vice versa; et exinde ingentes in directione errores profluunt cum non modico damnis spiritualis periculo: multa igitur circumspectione hic opus est. Signa autem præcipua scrupulorum sunt:

1° *Pertinacia iudicii*, qua quis renuit parere consiliis Confessarii, vel sapientium; et dum varios consulit, nullius iudicio acquiescit; imo quanto plures audit, eo magis implicatur.

2° *Frequens mutatio iudicii* ex levibus motivis, unde frequens inconstantia in agendo, mentisque continua perturbatio.

3° *Timor peccandi in omnibus*, conjunctus cum mentis pertinacia contra iudicium Confessarii, prudentium, vel etiam contra proprium iudicium; unde sequitur frequens interrogatio circa Confessarii responsa, et repetita inquisitio, an in agendo juxta consilium datum conscientia immunis a culpa esse possit.

4° *Reflexiones impertinentes* circa circumstantias quæ in actione adfuerunt vel adesse potuerunt, et certitudo in omnibus anxie quæsita.

5° *Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum* in confessione, vel ad illud habendum ceu peccatum, quod tale non esse jam pluries a Confessario declaratum fuit.

6° *Anxietas continua circa confessiones præteritas*, non obstante iudicio Confessarii, vel confessionum repetitione.

Non potest autem, saltem statim, iudicari scrupulosus: 1° qui moderate est sollicitus, aut anxius, ne Deum offendat; 2° qui post vitam in peccatis traductam adhuc angitur, nec post confessionem videtur sibi satisfacisse, sed magis vult confiteri et peccata expiare; 3° qui deliberate adhuc consentit in gravia peccata, quamvis post commissum peccatum valde angatur, et anxie confiteatur, nam justa est causa anxietatis, saltem moderatæ: potest tamen etiam in hoc haberi verus scrupulosus; 4° qui in uno tantum vel altero casu habet scrupulum transeunter, nec dubitat, an in hoc vel illo peccaverit.

Cæterum subinde contingit, ut Confessarius non possit post pœnitentem prima vel altera vice auditum statim decernere, an sit scrupulosus, etiamsi hic anxius circa multa appareat; quippe anxietatum justa aliqua ac rationalis causa adesse potest. Multo autem minus Confessarius scrupulosus

facile judicare potest, num pœnitens scrupulosus sit, an tantum meticulous. — *Lacroix, lib. I, n. 517, etc.*

§ III. *Damna scrupulorum.*

46. — Scrupuli generatim gravia incommoda et damna spiritualia, et sæpe etiam corporalia secum trahunt, modo non sint a Deo immissi, aut saltem ex culpa hominis non perseverent. Præcipua autem damna scrupulorum sunt sequentia :

1° Nocent corpori; per continuos enim angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, et caput debilitant.

2° Scrupulosum ineptum efficiunt ad fructuose agendum cum proximo; plerique enim scrupulosi tetrici sunt, et erga domesticos non minus ac erga extraneos morosi.

3° Nocent obedientiæ, aut etiam eam totaliter impediunt; quippe scrupulosus, dum potius nugæ ac phantasiæ ludibria sectatur, ad agendum impellitur contra Dei voluntatem, quæ illi per patrem spiritualementem aut moderatorem manifestatur.

4° Orationis studium et amorem debilitant, aut etiam de medio penitus tollunt, quia vim mentis enervant, ad nugæ perducendo distrahunt, anxietatibus animum implent, eumque ineptum ad conjunctionem cum Deo faciunt. Hinc sequitur non solum lucrum spirituale *cessans*, sed etiam ingens *damnum emergens*.

5° Fortitudinem infringunt: quid enim magni audeat, qui totus in nugis occupatur, et, neglecta de passionibus suis victoria, tam facile dejicitur animo?

6° Spem valde imminuunt, aut etiam perimunt, quia res demum eo adducitur, ut, amissa in Deum fiducia, in laxitatem declinet. Quomodo enim Deo fidet debite, qui illum ut severissimum exactorem semper intuetur? Scrupulosus igitur, nisi fortiter contra scrupulos pugnet, iis vexatus in desperationem brevi agitatur, et cupiditatibus suis fræna laxabit, vel saltem vitam miserimam et cum magno damnationis periculo ducet.

§ IV. *Remedia scrupulorum.*

47. — Versantur frequenter scrupuli: 1° circa actiones quotidianas; 2° circa pravæ cogitationes; 3° circa confessiones. Igitur

I. Scrupulosis, qui in omnibus actionibus anguntur timore peccandi, injungendum est, ut strenue contra scrupulos agant, ab iisque confitendis abstineant, nisi certissimi sint ibi adesse peccatum. Quamvis enim sic agendo interdum materialiter peccent, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiæ, quam Confessario præstare debent. — *S. Lig. n. 17.*

II. Scrupulosis, qui pavent assensum præbere, vel præbuisse cuilibet pravæ cogitationi contra castitatem, Fidem aut Caritatem, imponendum est, ut has cogitationes velut mera phantasmata despiciant, et abstineant ab hujusmodi cogitationum confessione, nisi jurare possint se eisdem vere consensisse. — *S. Lig. n. 15.*

III. Scrupulosis, qui semper anxii sunt circa confessiones, præsertim,

præteritas, prohibendum est, ne amplius cogitent de culpis vitæ antea actæ, nec de iis verbum faciant in confessione, nisi jurare possint: 1° peccata mortalia se perpetrasse; 2° se nunquam ea confessos esse, præsertim si confessionem generalem jam peregerint. — *S. Lig. n. 16.*

Porro scrupulosi et timorati, de præteritis confessionibus anxii, sic interrogandi sunt: 1° Num celasti scienter peccatum grave? 2° An proponebas peccata iterare? Si negative utrique postulationi respondeant, valida pronuntianda est eorum confessio.

§ V. *Regulæ pro scrupulosis.*

48. — 1° In rebus moralibus non est certitudo in omnibus quærenda. Hoc pro omnibus valet; sed scrupuloso præcipue applicandum est.

2° Obedientia summa et cæca Confessario præstanda est, et cum magna humilitate et fiducia in omnibus procedendum.

3° Dubium, quod in aliis rationabile videri posset, in scrupulosis omnino spernendum est.

4° Licitum est, imo sæpe obligatorium, et interdum sub gravi, adversus scrupulos decertare. — *S. Lig. n. 17.*

5° Nunquam iteranda confessio, nisi certo sacrilega fuerit; nec postremæ confessionis examen unquam innovandum est, etiamsi dubium de peccato gravi omisso suboriri videatur.

6° Scrupuli contemnendi sunt; nec unquam secum de his disputandum a scrupulosis est.

§ VI. *Regulæ pro confessariis.*

1° Scrutetur Confessarius, an pœnitens sit vere scrupulosus..., an in omnibus..., et quænam sit scrupulorum origo.

2° Sit patiens, benignus et fortis. Ad ipsum spectant hæc Apostoli II *Tim. IV, 2: Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

3° Postulanti respondeat absque hæsitatione et cum imperio; responsis non facile adjiciat rationes; nec jam confessa peccata pluries repeti sinat.

4° Commendet scrupuloso magnam in bonitate Dei fiduciam, frequentem orationem, otii fugam, examinis brevitatem, cordis humilitatem.

5° Cum scrupuloso, generalibus, non peculiaribus utatur regulis; his enim scrupulosus dirigi non potest, quia ad eas applicandas ineptus est. — *V. Casus, n. 48.*

ARTICULUS II

DE CONSCIENTIA LAXA

49. — *Conscientia laxa* ea dicitur, quæ ex leviori ratione id, quod illicitum est, licere judicat; vel veniale tantum peccatum ibi reperit, ubi est mortale: ea videlicet est, quæ absque sufficienti ratione iudicium in favorem libertatis inflectit vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpæ gravitatem.

Quam maxime periculosa est istiusmodi conscientia, ut attendenti facile patet, proindeque animas injicit in *viam latam, quæ ducit ad perditionem*.

Triplex distingui potest, scilicet : 1° conscientia *laxa simpliciter*, quæ tendit ad libertatem plus æquo extendendam; 2° conscientia *cauteriata*, quæ ex diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit; 3° conscientia *pharisaica*, quæ magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen ducit ex Pharisæis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducando, inanesve traditiones præterendo, se magni peccati reos existimassent.

50. — Quæ ad conscientiam laxam generatim pertinent, his paucis complecti licet.

I. Graviter ille peccat, qui scienter laxæ conscientiæ obsequens, temeraria inadvertentia legem aliquam in re gravi transgreditur. Et sane hujusmodi ignorantia, utpote voluntaria, facile superari potest : ergo ipsius ignorantie prætextu a peccato lethali excusari nequit.

II. Imo graviter etiam in re levi peccare potest, si sua illum temeritas ad agendum, quovis dictamine prætermisso et contempto impellat. Confer quæ diximus supra de conscientia dubia, *Quær. 1º, n. 43*.

QUÆR. *Quænam sint conscientiæ laxæ causæ, effectus et remedia?*

Resp. ad primum: Causæ sunt omissio orationis, animi tepor, sollicitudo nimia temporalium, atque peccandi consuetudo, quæ peccati horrorem tollit, familiaritas cum hominibus vitiosis, vita mollis, quæ cor enervat et a rebus spiritualibus avertit.

Resp. ad secundum. Effectus sunt cæcitas mentis, durities cordis, quod vix ullis mediis moveri solet, obduratio in malo quæ summum salutis periculum inducit, juxta illud Apost. *Rom. II, 5*: *Secundum duritiam tuam, et impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ*.

Resp. ad tertium: Remedia sequentia inter alia proponi possunt : humilis et assidua oratio; sacra exercitia; pia novissimorum meditatio, juxta illud *Eccli. VII, 40*: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis*; frequens piorum librorum lectio; quotidiana conscientiæ discussio; recursus frequens ad Pœnitentiæ sacramentum; malorum fuga, et conversatio cum bonis.

CAPUT IV

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBILI

De tribus agendum est, scilicet : 1° de natura, 2° de efficacia, 3° de usu probabilitatis.

ARTICULUS I

DE NATURA PROBABILITATIS

51. — Opinio in genere est assensus in alterutrum cum formidine oppositi; seu est adhæsió alterutri e duobus contradictoriis cum formidine alterius.

Opinio vero probabilis, seu *sententia probabilis*, est iudicium nitens motivo gravi, licet cum formidine de opposito. — *Opinio vero improbabilis* est iudicium quod motivo solido destituitur.

52. — *DIVISIO probabilitatis*. Distinguitur probabilitas ;

1° *Intrinseca*, vel *extrinseca*, prout vel rationibus ex natura rei deductis vel auctoritati innititur. Utraque major, vel minor esse potest.

2° *Juris*, vel *facti*, prout circa juris existentiam, ejusve applicationem vel circa aliquod factum versatur.

3° *Spèculativa*, vel *practica*, prout rem in se, abstrahendo ab actu hic et nunc ponendo, vel actum proxime ponendum respicit.

4° *Absoluta*, vel *relativa*, prout talis apparet omnibus vel plerisque, aut uni tantum vel paucis.

5° *Solitaria*, vel *comparativa*, prout talis apparet in se sola spectata, vel comparatione instituta cum contradictoriæ propositionis fundamentis.

6° *Certa*, vel *dubia* aut *tenuis*, prout innititur motivis vel certo, vel dubie tantum solidis.

Probabilitas *comparativa* dividitur per gradus in triplicem, scilicet : 1° in *probabilitatem majorem*, 2° *minorem*, 3° *æqualem*. Quævis enim propositio potest esse probabilior, vel æque, vel minus probabilis, quam opposita, prout nititur motivis solidioribus, vel æque, vel minus solidis. — *Opinio* autem probabilior et ipsa varios gradus admittit : est enim paulo vel notabiliter probabilior, prout ejus motiva paulo vel notabiliter graviora sunt præ motivis oppositæ. *Probabilissima* etiam dicitur, si gravissimo motivo gaudeat. *Probabilissima* est, ait *S. Lig., n. 40*, *quæ nititur fundamento gravissimo : quapropter opposita censetur TENUITER* vel *DUBIE probabilis*.

Insuper opinio est *tuta*, vel *tutior*, vel *minus tuta*, prout simpliciter favet legi, vel eidem plus minusve favet. *Opinio* igitur probabilior non est semper tutior, siquidem probabilitas major etiam pro libertate stare potest.

Varia systemata circa probabilitatem.

53. — 1° *Tutorismus absolutus*, seu *rigorismus*, juxta quem pars tutior, id est legi favens, semper sequenda est, nisi adsit certitudo in favorem libertatis. Hæc opinio ab Ecclesia reprobata est.

2° *Tutorismus mitigatus*, juxta quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem.

3° *Probabiliorismus*, juxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit probabilior.

4° *Equiprobabilismus*, juxta quem licitum non est sequi opinionem minus tutam, nisi sit æque probabilis ac opposita, vel fere æque probabilis.

5° *Probabilismus*, juxta quem licet sequi opinionem minus tutam et minus quoque probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat.

6° *Laxismus*, ex quo semper fas est sequi opiniones etiam tenuiter probabiles ; sed hoc quoque systema fuit damnatum, ut infra patebit.

Hinc pro variis circa valorem probabilitatis opinionibus theologi varia

sortiti sunt nomina, ut vel Rigoristæ vocentur, vel Tutoristæ mitigati, — Probabilioristæ, — Æquiprobabilistæ, — Probabilistæ, — Laxistæ.

Concludes ex dictis.

54. — 1° Probabilitas ex natura sua necessario requirit, ut certitudinem etiam moralem excludat; per hoc enim solum a certitudine discrepare potest.

2° Hinc omnis probabilitas quantacumque fuerit, adveniente certitudine propositionis contradictoriæ, omnino perimitur.

3° Certo probabilis habenda est opinio, quæ a plerisque theologis esse probabilis asseritur; vel etiam quam absolute tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, iudicio et scientia præstantes, nisi ratio certa contra istam opinionem appareat.

4° Illa opinio est viro docto et probo certe probabilis, quam ipse scit se diligenter excussisse, et experitur se absque inordinato affectu, ob rationes graves, ut veram aut certe probabilem deprehendere.

5° De intrinseca probabilitate juris communiter possunt iudicare soli doctissimi, et in re morali versatissimi, cum soli possint scire, nihil certi ipsis opponi.

6° Vir mediocriter doctus iudicare potest de extrinseca opinionis probabilitate, si statum quæstionis rite intelligens, hanc inveniat assertam ab auctoribus omni exceptione majoribus, id est inter theologos omnino probatis.

7° Unicus auctor, si sit omni exceptione major, afferatque rationem quam alii non examinaverint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, potest opinionem suam certo probabilem efficere, quamvis hæc sit communi opinioni adversa.

8° Homo rudis audiens a viro, quem ipse existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere: non enim per se rem expendere valet, nec aliud medium ipsi suppetit probabilitatem extrinsecam cognoscendi... — *Lacroix, etc.*

ARTICULUS II

DE EFFICACIA PROBABILITATIS AD CONSCIENTIAM EFFORMANDAM

55. — Efficacia *probabilitatis* sita est in ipsius vi ad ultimum conscientie dictamen practice certum efformandum. Verum ex iis quæ asseruimus, n. 39, sola conscientia certa est recta morum regula. Quo igitur modo fieri potest, ut ex majori etiam probabilitate liceat interdum agere? Id sane vi solius probabilitatis non licet. Ergo ad principium aliquod moraliter certum confugiendum est, ut certitudo habeatur. Itaque disserendum nunc venit, quid in hunc finem valeat probabilitas; utrum scilicet aliquando solidis rationibus tum legi, tum libertati faventibus, ab ipso legis vinculo liberos nos censere possimus.

Has quæstiones ut discutiamus resolvamusque, sequentes statuimus theses.

PRIMA THESIS

Non licet sequi opinionem probabilem, nec probabiliorem, relicta tutiore, quoties adest obligatio absoluta alicujus finis determinati efficaciter obtinendi, quem usus medii probabiliter inepti in periculum adduceret; tunc igitur pars tutior est sequenda.

56. — *Prob.* Quisquis obligatione absoluta finem efficaciter obtinere adigitur, is ea tenetur eligere media, quibus finem efficaciori quo poterit modo sit assecuturus. Atqui per solam tutiorem partem efficacius obtineri potest finis: ex hypothesi enim medium, probabiliter tantum aptum, in discrimen adducit finem, quem absolute consequi teneor. Ergo non licet uti medio tantum probabiliter apto, sed aptiora media eademque tutiora eligenda sunt. Igitur pars tutior sequenda est.

Hinc resolves.

57. — 1° In his, quæ saluti necessaria sunt necessitate medii, tutius sectari teneris; gravissima enim quemque urget obligatio æternam animæ suæ salutem certo curandi; proinde media absolute tuta et certa sunt adhibenda. In rebus igitur ad Fidem seu ad veram Religionem pertinentibus, opposita probabilitate posthabita, opinio tutior necessario sequenda est. Hinc neque *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*, prout ferebat 4^a propositio ab Innoc. XI damnata, neque is etiam qui ducitur aut duci censetur opinione probabiliori. — *S. Lig. n. 43.*

2° Venator timens, ne plumbum in feram ejaculando aliquem hominem forte lædat, explodere non potest, etiamsi probabilius existimet abesse periculum; hoc enim, si forte adsit, probabilitate contraria, etsi majori, removeri non potest.

3° Medicus et chirurgus tenentur ad medicamenta et media tutiora, quæ hic et nunc haberi possunt, adhibenda; quia tacito contractu ad finem securius obtinendum, in quantum fieri potest, se obligarunt. Idem pariter dicendum de omnibus aliis qui erga proximum aliquam ejusmodi obligationem contraxerunt. — *S. Lig. n. 44.*

4° Minister Sacramenti, ubi de ejus valore agitur, nisi defectus suppleatur ab Ecclesia, vel urgeat casus necessitatis, tutiorem partem, in quantum potest, relicta minus tuta probabili vel etiam probabiliori, sequi tenetur; ratio, quia aliter exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est propositio ab Innoc. XI sub *n. 1*: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* — *S. Lig. n. 48.*

Dixi 1°: *nisi defectus suppleatur ab Ecclesia.* Aliquando enim Ecclesia potest et censetur id supplere, quod desideratur ad valorem Sacramenti: quod quidem in duobus sacramentis potest contingere, scilicet in sacramento Pœnitentiæ, si ex gravi ratione cum jurisdictione *dubia* conferatur, aut cum jurisdictione *probabili*, et in sacramento Matrimonii, quando celebratur cum dubio impedimento juris ecclesiastici, aut etiam est dubia delegatio Sacerdotis assistentis, ut loco suo dicitur. — *S. Lig. n. 50.*

Dixi 2° : *nisi urgeat casus necessitatis*: quia cum Sacramenta sint *propter homines*, homini in gravi periculo vitæ constituto ministranda ea sunt meliori quo fieri potest modo, etiam cum mera probabilitate, imo cum probabilitate tenui et tenuissima de eorum valore. — *S. Lig., n. 49, et alii communiter.*

SECUNDA THESIS

Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, relicta tutiore.

58. — *Prob.* Nam opinio tenuiter probabilis, ut dictum est, levibus innotitur motivis, quæ assensum viri prudentis attrahere nequeunt; unde ex iis suaderi non potest, legis existentiam esse incertam. Atqui illicitum est sequi opinionem aliquam, relicta tutiore, nisi lex dici possit invincibiliter ignorata: ignorata autem censi non potest lex, nisi eam incertam esse solidis rationibus probetur. Ergo...

Constat etiam ex prop. 3^a ab Innoc. XI damnata: *Generatim dum probabilitate intrinseca, seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

TERTIA THESIS

Licet sequi opinionem probabilissimam, et etiam probabiliozem, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate agitur.

59. — *Prob. 1° Quoad probabilissimam.* Constat 1° ex damnatione propositionis *Sinnichii*, quæ est tertia ex 31 ab Alexandro VIII proscriptis, et est ejusmodi: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo licet sequi opinionem saltem *probabilissimam*. Aliunde autem in hac propositione damnata agitur de probabilissima *minus tuta*, cum nemo unquam negaverit, licere sequi probabilissimam *tutiozem*. Ergo. — Constat 2° ex eo quod, juxta *S. Ligor.* et alios, ubi datur opinio *probabilissima*, opposita propositio evadit *tenuiter probabilis*, ut dictum est supra (n. 52) in definitione opinionis probabilissimæ. Non concipitur enim, quo modo stare possit solida ratio ex una parte, si ex altera gravissimum appareat fundamentum aliter sentiendi. Stante igitur opinione *probabilissima*, errandi formido levissima superest, et proinde sin minus certitudo absoluta, habetur saltem aliqua lata certitudo moralis de legis non existentia. Ergo...

Prob. 2° Quoad probabiliozem. Illud ut verum admittendum est in quo omnes theologi conveniunt; non potest enim supponi theologos omnes unanimi consensu in errorem incidisse. Porro si rigoristas paucissimos excipias, omnes turmatim in hanc doctrinam admittendam conveniunt, saltem si agatur de opinione vere probabiliori.

Cæterum si intrinsecam hujus sententiæ rationem exquirere velis, alia solida non videtur afferri posse præter eam, qua probari consuevit sequens propositio de licitate usus *moderati probabilismi*, scilicet legem, si forte adsit, esse prorsus ignoratam, et proinde eam obligare non posse.

QUARTA THESIS

Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore æque probabili, vel etiam probabiliori, ubi de solo licito, vel illicito agitur.

Hæc propositio triplici argumentorum genere demonstrari potest, scilicet 1^o ex ratione; 2^o ex auctoritate; 3^o ex consecrariis quæ ex opposita sententia profluunt.

I. — *Argumentum ex ratione.*

60. — Ex ratione argui sic potest : Nulla est obligatio servandæ legis de cujus existentia non certo constat; atqui non certo constat de existentia legis contra quam militat *vera et solida probabilitas*. Ergo nulla est obligatio sequendi partem *tutior*em, relicta opinione *vere probabili*; ergo licet sequi opinionem *vere probabilem, relicta tutiore, etiam probabiliore*.

I. MAJOR PROBATUR. Etenim lex non potest voluntatem in actu secundo, id est, proxime et immediate obligare, nisi ei proponatur et intimetur etiam proxime et immediate. Atqui non ita proponitur aut intimatur, nisi 1^o per cognitionem : *nihil enim volitum quin fuerit præcognitum*; et 2^o per cognitionem qua cognoscatur ut certa, seu ut certo existens. Namque, ut bene ait S. Lig. l. I, n. 63, *si promulgatur lex ut dubia tantum, promulgabitur dumtaxat dubium, opinio, sive quæstio an adsit lex prohibens actionem, sed non promulgabitur lex*. Quod autem de promulgatione dicit, pari jure de notitia legis dicendum est. Ergo...

61. — Propositio confirmatur ex doctrina S. Thomæ. Sic enim ipse in *Quæst. Disp. de Veritate, quæst. 17, art. 3* : *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti... Eadem virtus est, qua præceptum ligat, et qua conscientia, cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ*. Unde sic : Nemo ligatur nisi virtute *scientiæ*; atqui, ex S. Thoma, ligari virtute *scientiæ* perinde est ac ligari virtute certitudinis; *scientia* enim, juxta constantem ejus doctrinam, et unanimem aliorum Doctorum consensum, opponitur *opinion*i, sicut certum incerto opponitur (2. 2., q. 1, art. 5, ad 4). Ergo nemo ligatur præcepto, nisi ipsi certa sit præcepti existentia.

62. — II. MINOR PROBATUR, nempe *non certo constat de existentia legis, contra quam militat vera et solida probabilitas*. Probabilitas enim, saltem vera et solida, cum grave præbeat motivum dubitandi, gravem etiam secum affert errandi formidinem; ergo certitudini cullibet, etiam illi quam supra (n. 59) appellavimus latam certitudinem moralem, opponitur, eamque excludit. Ergo...

Præterea, legis existentia, quæ ex gravi motivo dubia est, in se vere ignoratur, imo ignoratur ignorantia invincibili; ergo de ea non certo constat. *Prob. antec.* Namque ignorantia, sensu saltem theologico, est carentia scientiæ; et, teste S. Thoma (2. 2., q. 1, art. 5, ad 4), *de ratione scientiæ est, quod id, quod scitur existimetur esse impossibile aliter se habere*; atqui legis existentia, de qua ex gravi motivo dubitatur, necessario existimatur posse aliter se habere seu non esse; ergo de ea scientia non habetur, ergo

ipsa simpliciter ignoratur. Aliunde hæc ignorantia invincibilis est, cum supponatur perseverare, etiam post diligentem veritatis inquisitionem. Ergo...

Hinc evidenter apparet fieri non posse, ut lex, cujus existentia vere seu ex gravi motivo incerta est, voluntatem unquam obliget vi propria, id est *per se*, directe et immediate.

63. — Nec dicas, quod, deficiente lege quæ *directe* obliget, existat alia lex *indirecta* quæ utpote *certa* parit obligationem *certam*. Nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum fingi potest.

1° Non lex *vitandi periculum peccandi*. Etenim 1° retorqueri potest obiectio in probabilioristas ipsos: siquidem, posito, ut volunt adversarii, semper adesse periculum peccandi quando aliquid agitur contra legem etiam ex gravi motivo incertam, jam ne probabilioris quidem sequi, rejecta tutiore vere probabili, liceret, quia etiam tunc lex manet ex gravi motivo incerta. 2° Ut quis se immittat periculo peccandi, non sufficit ut periculum incurrat agendi contra legem, sed requiritur ut subeat periculum agendi contra obligationem sibi per legem impositam; quamvis enim forte existat lex, si aliunde certum sit me a lege non obligari, non est tinendum ne legem formaliter violem. Porro in præsentī casu, certum est legem utpote dubiam vim non habere obligandi, quia non fuit sufficienter notificata. Ergo dummodo hac consideratione quis sibi conscientiam efformet, nullum incurrit periculum peccandi, quamvis agat contra legem forte existentem.

2° Neque lex *tutius sequendi*. Etenim 1° si fingeretur talis lex, valeret etiam contra adversarios, et nos deduceret in tutorismum proscriptum in damnatione propositionis *Sinnichii*: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. 2° Illa lex tutius sequendi supponeret, non esse *simpliciter tutum* posthabere legem probabiliter non existentem: porro hoc falsum est, ubi agitur de solo licito vel illicito. Nam satis *tutum* est vitare peccatum et peccati periculum. Porro vitatur peccatum et periculum peccati non adimplendo legem *directam probabiliter non existentem*, ut supra dictum est. Ergo...

II. — Argumentum ex auctoritate.

64. — Ex variis capitibus constat, scilicet:

1° Ex communiore auctorum per plura sæcula consensu. Ex quo enim orta est disputatio de probabilismo, nempe a medio sæculo decimo sexto, innumeri confestim ex omni natione, statu, conditione, et ex omnibus Religiosis Ordinibus auctores patrocinium ejus susceperunt, e quibus non pauci doctrinæ fama insignes elucent, uti *Suarez*, Cardinalis *de Lugo*, *Lessius*, *Eusebius Amort*, *Bonacina*, etc., et recentioribus temporibus *S. Alphonsus de Ligorio*. Quod si nonnulli in tanta Doctorum multitudine probabilismi limites nimis extendisse forte videantur, hujusmodi sane periculum præcaveamus, limites veri probabilismi retinentes, scilicet non admittendo opinionem ut probabilem, nisi solido fundamento imitatur, seu nisi solidæ rationes pro ea militent, prout plerique omnes, etiam ante *S. Ligorium*, probabilismum intellexerunt.

65. — 2^o Ex doctrina hujusce temporis communiter tradita. Etenim si inspiciantur scholæ per totum orbem diffusæ, in plerisque invenietur tradita et propugnata *Probabilismi moderati* doctrina, præsertim Romæ, quæ merito haberi debet ut centrum scientiarum theologicarum, et ubi falsa doctrina et quidem publice, tacente Ecclesia, doceri profecto nequit. Sic pariter in tota Italia, Hispania, Germania, etc. — In ipsa quoque Gallia jam unanimi fere plausu in dies nunc excipitur *S. Ligorii* doctrina quæ sane a probabiliorismo prorsus abhorret.

3^o Ex approbatione Ecclesiæ saltem implicita in approbatione operum *S. Ligorii*. Etenim solemniter declaravit sacra Rituum Congregatio, *Nihil esse censura dignum in operibus S. Doctoris*. Iterum ex Decreto *S. Pœnitentiariæ* (5 Jul. 1821) a *S. P. Gregor. XVI* approbato, professor quivis theologiæ sequi et docere potest omnes opiniones quas in sua Theologia morali profitetur *S. Ligorius*, nec inquietandus est Confessarius qui easdem in praxi sacri tribunalis Pœnitentiæ sequitur. Litteris tandem apostolicis die 7^a Julii 1871 datis, quibus *S. Ligorius* universalis Ecclesiæ Doctor declaratur, hæc statuit *S. P. Pius IX*: *Præterea hujus Doctoris libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus ac decernimus*. Jam vero, *S. Ligorius*, in suis operibus, 1^o expresse docet, ac mira eruditione confirmat, speculativa omnia principia in quibus, fatentibus ipsismet adversariis, tota veluti substantia nostræ doctrinæ consistit, nempe: *neminem ad aliquam legem servandam teneri, nisi illa ut certa ei manifestetur; — non posse legem incertam certam obligationem inducere; — legem dubiam non obligare, etc.* — (*Morale Systema*, n. 63, 69); 2^o quoad praxim, nobiscum asserit licitum esse usum *veræ* et *solidæ* probabilitatis contra legem, dummodo qui ea utitur, conscientiam sibi efformet ope principiorum reflexorum sæpius memoratorum. Eam equidem solam ut talem habet quæ sit *æqualis* aut *fere æqualis* probabilitati oppositæ; nos e contra admisimus eam aliquando talem esse ac manere, quamvis opposita sit probabilior, sed discrimen illud magis versatur circa regulam statuendam, ut solida probabilitas discernatur a minus solida, quam circa usum probabilitatis in se spectatum, adeoque non impedit quominus *S. Doctor* nobiscum consentiat *quoad essentialia*. Ergo in ejus operum approbatione Ecclesia implicate saltem approbavit præcipua et magis necessaria doctrinæ nostræ principia.

Adde cum *PP. Wirceburg.*, n. 252, iis qui cum debita moderatione probabilismo utuntur, sectando unice opiniones vere ac solide probabiles, « paucas esse opiniones manifeste et notabiliter probabiliores, et de quarum excessu certo constat; » propterea quod, ut ipsi aiunt, n. 240: « vix ullus prudens theologus opinionem affirmavit manifeste et notabiliter probabiliorum, quamdiu oppositam agnoscit *vere* ac *theologicè* probabilem. » Unde fit, ut, si non in verbis, in re saltem et in ipso rerum usu, *æquiprobabilismus S. Ligorii* et *probabilismus noster moderatus* fere in idem recidant.

III. — *Argumentum ex consecrariis.*

66. — I. Sequeretur in systemate probabilioristarum difficultas nimis gravis pro Confessariis. Etenim Confessarius se exponeret periculo peccandi ob defectum sufficientis diligentiae in perpendendis variis gradibus probabilitatis; praesertim in materia restitutionis, quando ex duabus opinionibus aequae probabilibus unam sequeretur. Si enim sententiam benigniorem assumeret, peccaret illud permittendo; in quo deformitatem probabiliter assisterentem apprehenderet. Si juxta sententiam rigidiorem ageret, peccaret jugum incertum poenitenti imponendo. Insuper licet sententia rigidior ipsi appareat probabilior, quandonam certus erit, eam revera talem esse, atque alteri Confessario oppositam probabilior non videri? Nec quisquam minus Confessarii subire posset, nisi forte ita versatus foret in Theologia morali, ut distinguere inter opiniones probabiliores et minus probabiles certo posset: onus enim faciendi includit onus sciendi; paucissimi autem hoc praestare valent.

Hinc sequitur etiam illa contradictio Confessariorum, qui, utut probabiliorismum profitentes, haud raro tamen dicitant, se non posse in administratione sacramenti Poenitentiae principia probabiliorismi *rigorose* applicare, et ideo aliud in theoria, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nec desunt qui, in angustiis constituti, facile id probabilius judicent, quod alias minus probabile habent. Nonne praestaret principia mitiora cum tot sapientissimis Doctoribus statuere et admittere, eaque *exactius* in praxim deducere?

67. — II. Sequeretur molestissima difficultas pro fidelibus. Etenim in dubiis imponeretur ipsis obligatio inquirendi, quænam opinio sit probabilior; quippe obligatio operandi secundum probabiliorem, includit necessarium officium eam inquirendi: porro plerumque datur impossibilitas moralis distinguendi inter probabiliorem et minus probabilem; nam etiam doctis hoc valde difficile sæpius est. Et sane quaero, an tenear ad probabilius *in se* seu *absolute*, vel *quoad me* seu *relative*? Si *prius*, unde noscam? Si *posterius*, iterum vel agitur de probabilitate intrinseca, vel extrinseca. Si de *posteriori*, qualis schola sequenda? quales Doctores interrogandi?... Si de *priori*, crescit difficultas: unde sciam, an sim satis ad hocce iudicium idoneus? an in ignorantia invincibili verser vel non? Anceps igitur, dubiisque pressus, quid agam? Recurram ad Magistros? At ex hypothesi meum est iudicare. Quot itaque, quantæque angustiae impendeant fidelibus ex illa necessitate probabilius tulusve sequendi, manifestum fit. — *Segneri, Opusc. de probab.*

68. — III. Sequeretur fluctuatio perpetua doctrinae. Ex probabiliorismo enim sequitur perpetua fluctuatio doctrinae inter ipsos probabilioristas, uti comprobatur quotidiana experientia. Sed et ex ipsa natura probabiliorismi oritur ista discrepantia. Impossibile est siquidem, ut reipsa conveniant; nam, posita obligatione sequendi opinionem quæ cuique probabilior apparet, necessario alii pro affirmativa parte, alii pro negativa resolvent. Ligabit unus, solvet alter: et quod tibi probabilius apparebit, facillime alteri aequè vel minus probabile videbitur. Hinc sequentur confusio decisionum, per-

plexitas fidelium, et angustiae ipsorummet Confessariorum, qui ex putatio aliquo probabilitatis excessu gravissimas obligationes imponent. Probabilismus vero bene intellectus hujusmodi incommodis, saltem plerumque, caret. Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet obligationes certae, et obligationes mere probabiles. Quamvis vero non semper constet de vera probabilitate, nemo tamen non videt, ordinarie loquendo, multo facilius esse discernere an solida ratio vel auctoritas contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis iudicium proferre. Ergo...

Objectiones.

69. — *Objic. 1° ex Scriptura sacra, Eccli. III, 27 : Qui amat periculum, in illo peribit.* Atqui probabilistae *amant periculum* sequendo opinionem aequae vel minus probabilem. Ergo... — *Eccli. XXXVII, 20 : Ante omnia opera tua verbum verax praecedat te.* Atqui in probabilismo non est *verbum verax*. Ergo... — *I Thess. v, 22 : Ab omni specie mali abstinete vos.* Atqui probabilistae permittunt sequi *speciem mali*. Ergo...

Resp. 1° : Retorqueo : Hæc enim objecta Scripturae loca, sic intellecta, ne permetterent quidem usum probabiliorismi. Nam in opinione probabiliori contra legem adest *periculum peccati...*, *verbum non verax...*, *species mali...*

Resp. 2° Directe. Ad primum : agitur ibi de impenitentia finali, ut patet ex contextu : *Cor durum habebit male in novissimo; et qui amat periculum, in illo peribit.* Insuper nullum adest periculum, ubi nullum deprehenditur peccatum.

Ad secundum : *verbum verax* apud nos est ipsum principium reflexum, quod parit certitudinem practicam, et proinde actus ex eo positus veritati conformis est.

Ad tertium : abstinet a specie mala qui hoc peragit, in quo nullum videt peccatum; tunc enim nec *peccati speciem* cernit.

70. — *Objic. 2° ex Jure canonico.* In Jure canonico hæc regula passim traditur : *In dubiis pars tutior eligenda est.* Sic in cap. *Illud Dominus, de cler. excom.*

Resp. 1° : Retorqueo. Si res ita sit, jam nec tibi quidem licet sequi opinionem utut probabilioris contra legem, quia non est *via tutior*. Consequenter tibi confugiendum erit ad tutiorismum. Sed systema illud est damnatum. Quid igitur facies? Tu videris.

Resp. 2° Directe. Agitur in præfata regula de dubio practico, non vero de dubio speculativo, in quo ope solidi motivi conscientia efformari potest, vel etiam agitur de casibus in quibus finis est necessario obtinendus. Ita *S. Lig., obj. 4,* qui eandem regulam, quoad dubia speculativa, de consilio tantum esse, non autem de præcepto, S. Antonini et multorum aliorum Doctorum auctoritate ostendit.

Objic. 3° ex Patribus. Proferuntur multa Patrum testimonia quæ probabiliorismo patrocinari videntur, apud *Collet, Concina, Billuart, etc.*

Resp. 1° : Eadem sit responsio generalis, ac in objectione præcedenti. Plerumque enim Patres loquuntur de casibus particularibus dubii practici, vel ubi finis necessario obtinendus est.

Resp. 2° : Non desunt Patrum alia testimonia probabilismo evidentè faventia. Satis sit pauca referre. — *S. Aug. epist.*, LIV (alias CXVIII), c. II, ait : *Quod neque contra Fidem, neque contra mores esse convincitur, indifferenter habendum est.* — *S. Greg. Naz., orat.* XXXIX, dicit : *Quod si dubia res est, vincat humanitas et fragilitas.*

71. — *Objic. 4°* : Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris; minor enim probabilitas a majori eliditur et destruitur. Ergo...

Resp. Neg. Etenim si elideretur minor probabilitas, jam major probabilitas evaderet certitudo, seu dubium prudens excluderet. Hoc autem esse falsum manifeste patet. — Insuper rationes ex principiis disparatis et non subordinatis petitæ se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meæ, non obstante opposita probabilitate in toto suo robore stabunt, usque dum eas esse falsas probaveris.

Objic. 5° : Probabilistæ non agunt *ex morali certitudine*, ne ex principio quidem reflexo, cum opinionem suæ oppositam improbabilem dicere nequeant. Ita *Billuart, art. 2, Gerdil, c. VI.*

Resp. 1° : *Retorqueo* ex paritate rationis. En igitur difficultas tibi prius solvenda.

Resp. 2° Directe. Principium nostrum reflexum istud est : *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet, seu lex incerta certam obligationem imponere nequit.* Porro principium hoc inconcussum est, cum non possit negari, quin sibi contradicant negantes. Imo adversarii nullo alio principio reflexo prudenter inniti possunt.

72. — *Objic. 6°* : Imprudenter agit probabilista non sequendo opinionem verisimiliorem, et agit contra conscientiam faciendo id quod probabiliter, vel etiam probabilius est peccatum.

Resp. 1° : *Retorqueo.* Nonne tu pariter agendo id quod est probabiliter contra legem, imprudenter te geris?

Resp. 2° Directe. Non agit imprudenter ille qui nullam cernit obligationem in oppositum, nec proinde agit contra conscientiam, cum nullam deformitatem aut illius legis transgressionem in sua actione deprehendat.

Objic. 7° : Probabilista vult objectum quod novit probabilius esse materialiter malum : ergo vult etiam malum formale, quod a materiali cognito separari nequit.

Resp. 1° : *Retorqueo.* Tu vero nonne simili laboras incommodo? Etenim etiam probabilior opinionem sequendo contra legem, nonne vis deformitatem materiale saltem probabilem, et consequenter formalem? Numquid probabilitas, quæ paulo major tibi apparet, periculum violandæ materialiter legis tollere potest?

Resp. 2° Directe. Neg. ant. Probabilista non vult deformitatem ullam, ne materiale quidem. Etenim, cum deformitas objectiva sit dubia, actus potest esse bonus. Ergo, si potest esse bonus, potest non intendi et reapse non intenditur ut malus : siquidem simpliciter ignoratur ut malus : et deformitas ignota objectum voluntatis esse nequit.

73. — *Objic. 8°* : Adhibenda est cura major animæ, quam corporis. Porro quis ægrotans eligit remedium minus efficax, et relinquit probabilius efficax, nisi insaniat? Sic *Collet* cum aliis non paucis.

Resp.: Non agitur in casu proposito de honestate, sed de efficacitate medii omnino adhibendi. Unde exemplum non est ad rem. *Recole dicta n. 56.*

74. — *Objic. 9^o*: Judex in ferenda sententia debet sequi opinionem probabiliorē, ut patet ex sequenti propos. ab Innoc. XI damnata: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem.

Resp.: *Conc. ant. et Neg. conseq.* Exemplum iterum non est ad rem, cum hic non agatur de solo licito vel illicito, sed de fine securius obtinendo, seu de sententia a judice æquiori quo potest modo ferenda. Ad id enim judex obligatur ex quasi contractu cum societate et privatis, prout supra diximus de medico et chirurgo, *n. 57, Resol. 3.*

ARTICULUS III

DE USU PROBABILITATIS, ET DE REGULIS SPECIALIBUS AD CONSCIENTIAM IN DUBIIS EFFORMANDAM

75. — Præter principia generalia, quibus theoria probabilismi statuta est in articulo præcedenti, scilicet *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet*, vel *lex dubia non obligat*, recensentur etiam nonnullæ regulæ speciales, quibus ea principia confirmantur, vel in particularibus casibus applicantur. Sunt autem sequentes:

I. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat præsumptio.* Ratio est, quia præsumptio plerumque efficit certitudinem moralem saltem latam. Hinc si soleas tali tempore diligenter recitare Breviarium, et dubites an aliquam partem recitaveris, præsumptio tibi favet, et te ab obligatione recitandi seu repetendi eximit. Item si dubites utrum Superior juste præcipiat vel dispense, pro illo stat præsumptio; quia is rationibus tibi incognitis duci potest, vel de cognitis prudenter judicare censetur. Insuper rectus ordo et bonum commune exigunt, ut in tali casu ipsi deferatur. Ita *communiter theologi.*

II. *In dubio judicandum est ex ordinariè contingentibus.* Axioma communiter receptum. *S. Lig.*, passim. — Recidit hæc regula ferme in præcedentem, cum in utraque præsumptio sit ratio ita judicandi. Sed prior latius patet; siquidem præsumptio erui potest non tantum *ex ordinariè contingentibus*, sed etiam ex particularibus circumstantiis. — *S. Lig.*, *ibid.*

III. *In dubio standum est pro valore actus.* Regula est juris civilis etiam rebus theologicis communiter applicata. Hoc intelligendum est, si factum principale sit certum et dubitetur de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de modo debito: v. gr., si dubites an cum sufficienti dolore peccatum confessus fueris, non teneris iterum confiteri. — *S. Lig. lib. I, n. 26*, etc. Principium istud videtur etiam intelligendum 1^o *in favorem libertatis*, modo non obstet contraria præsumptio, aut bonum commune Reipublicæ, vel Religionis; 2^o *contra libertatem* in foro externo, vel etiam in foro interno, cum agitur de bono publico, v. gr., de *contractibus*, præsertim de *matrimonio*. Ratio autem, cur illud principium non sit applicandum in omni casu contra libertatem, petitur ex alio principio superius memorato, nempe: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.*

Porro non constat de obligatione, nisi urgeat aliqua evidens ratio justitiæ, Religionis, boni publici, vel alterius finis necessario obtinendi. — *S. Lig. lib. I, n. 26; lib. VI, n. 505. — Voit, n. 38.*

76. — IV. *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda* (*Reg. Jur. can. 15 in VI*); id est in dubio benigniora sunt præferenda. Unde secundum hoc principium, et communiorem interpretationem, hæc statuenda videntur: 1° Quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda et favores ampliandi, quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur. 2° Si odia et favores sint indivisibilia, tum de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subjecta materia, aut ex adnexis circumstantiis judicandum est. 3° Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem, quam ad odium. — *S. Lig. lib. I, n. 99.*

Odiosum autem hic intelligitur, quidquid tendit ad pœnam, vel lædit jus tertii, aut juri communi opponitur. *Favor* vero seu *favorabile*, quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit sine privatorum, aut communitatis, aut juris ipsius detrimento.

V. *In obscuris, quod minimum est, tenendum* (*Reg. Jur. can. 30 in VI*). Sic intelligenda est hæc regula: Ubi non constat de vero sensu legis vel statuti, et inquisitione præmissa determinari neque ex natura rei, neque ex contextu verborum, aut loci consuetudine, aliave circumstantia potest, interpretatio minus onerosa seu libertati benignior admittenda est. Ratio est, quia legislator non censetur velle ultra id obligare, quod clare in lege exprimitur. Hinc in dubio de quantitate pœnæ infligendæ, minima eligenda est. Item si non certo constet de delicto, reus absolvendus est.

VI. In dubio facti valent sequentia axiomata, seu regulæ juris civilis apud omnes receptæ, scilicet: 1° *In dubio, factum non præsumitur, sed demonstrari debet.* Hoc autem intelligendum est de dubio circa actum principalem, v. gr., si dubium sit an quispiam alium percusserit, aut factum præsumi non debet, sed qui affirmat, debet illud positive probare. — 2° *In dubio præsumitur factum, seu recte factum, quod de jure faciendum erat.* Hoc intelligendum de dubio circa actum accessorium, supposita certitudine actus principalis; si quid enim de jure faciendum erat, aut si ordinario fieri soleat, aut si favorabile sit facienti, præsumitur factum esse. — 3° *In dubio nemo malus præsumitur, nisi probetur.* Hoc valet, quoties agitur de dubio alicujus delicti. Illud namque imputari non debet, nisi de eo certe constet. Cum igitur delicta non præsumantur, nec malus quisquam præsumitur, sed probandus est.

VII. *In dubio pars tutior est sequenda* (*Regula juris canonici*). Hæc regula restringenda est ad casus *dubii practici*, vel ad eos in quibus finis est necessario obtinendus, nempe ubi probabilitas non removeret periculum, quod lex præcipit omnino cavendum, ut, v. gr., in Sacramentis conficiendis, juxta superius dicta n. 56, et ex omnibus hucusque expositis comperitum est. Si autem extendatur ad dubia speculativa, cessat esse regula, seu præceptum, sed est merum consilium. *Sup. n. 70.*

Resolves.

77. — 1° Non licet sequi opinionem tantum *probabiliter* probabilem contra legem, quia non certo constat eam esse probabilem, seu inuiti gravi,

solidæ ac prudenti rationi, quamvis probabili tantum; adeoque non certo constat legem esse dubiam.

2º Non tibi licet sequi sententiam aliis probabilem, at tibi actu prorsus falsam. Ratio est, quia si judices actu aliquid esse illicitum, et illud facias, in præsentī actu habes conscientiam peccati, ideoque agis contra conscientiam tuam. Ut ergo licite sequaris sententiam alienam, debes eam prius facere tuam, id est, judicare eam esse vel intrinsece, vel extrinsece saltem probabilem. — *Reuter, n. 103.*

3º Non semper licet sequi quamlibet opinionem speculative probabilem; quia quandoque opinio speculative probabilis non est practice probabilis: nimirum potest dari actio in se quidem licita, quæ tamen in praxi tales exigat condiciones, ut plerumque, vel saltem hic et nunc, evadat illicita, puta ob periculum scandali, irreverentiæ, injustitiæ, etc.

4º Non tibi licet sequi opinionem probabilem, quando opposita tibi apparet probabilissima; quia non potest adesse tibi grave motivum ita opinandi in conflictu motivi gravissimi; unde talis opinio tibi habenda est ut dubie vel tenuiter probabilis. Potes tamen ut probabilem habere opinionem, cujus oppositam Auctores, etiam docti, tanquam probabilissimam defendunt, si illa aliunde tibi ex gravi motivo appareat vere probabilis.

Quæsitæ.

78. — QUÆR. 1º *An licitum sit uti probabilitate, non tantum in materia juris positivi, sed etiam juris divini et naturalis?*

Resp. Affirm. quia in qualibet materia contingere potest, ut non constet, de legis existentia, quoties nempe contra militat vera et solida probabilitas; ac proinde de tali lege datur ignorantia vere invincibilis. Porro Deus, auctor legis et principium ordinis naturalis, non censetur velle nos obligare, quando invincibiliter legis existentiam ignoramus. — *Lacroix, etc.*

QUÆR. 2º *An Confessarius possit, vel debeat absolvere pœnitentem qui vult sequi opinionem probabilem quidem, sed oppositam sententiæ quam ipse tenet?*

Resp. Affirm. si pœnitens adhæreat opinioni vere probabili cum conscientia efformata. Ratio est, quia pœnitens habet jus sequendi opinionem vere probabilem, nec Confessarius jus habet ipsi imponendi proprias opiniones, etiamsi probabiliores ipsi videantur. Confessarius enim non est *judex opinionum* quas pœnitens sequi teneatur, sed est tantum *judex dispositionis* sui pœnitentis, ut patet ex *Trident. sess. XIV, c. v.* — Ita *S. Lig. lib. VI, n. 604, et alii communiter.*

QUÆR. 3º *An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere probabilem?*

Resp. Affirm. saltem generalim loquendo; imo in quæstionibus quarum solutio magnopere pendet a prudentum æstimatione, major auctoritas majorem constituit probabilitatem. Nam difficile est aliquid esse *extrinsece* probabile, quin pro eo sit ratio vere gravis. Rationabiliter autem præsumi debet adesse talem rationem, quando multi et graves auctores tenent aliquam opinionem esse probabilem, quippe qui rei veritatem penitus perspexisse, et solidis motivis inniti merito censentur. Hinc *S. Thom. : Ali-*

quis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur (2. 2., q. 4, art. 8). — Accedit etiam auctoritas S. Pœnitentiariæ. Etenim S. Congreg., interrogata utrum sit inquietandus Confessarius qui sequitur doctrinam S. *Ligorii*, quin rationes ejus perpendat, sed tantum propter ejus auctoritatem, respondit *negative*; et hoc responsum fuit a Summo Pontifice *Gregorio XVI* approbatum. Ergo probabilitas extrinseca intrinsecam supponit. Ergo...

Dixi *saltem generatim loquendo*, quia, si aliquando forte delegas errasse Auctores etiam multos et graves in asserenda opinionis alicujus probabilitate, tota eorum auctoritas, quantacumque demum sit, totaque illa probabilitas extrinseca jam non efficiet, ut hæc opinio sit tibi vere probabilis.

79. — QUÆR. 4^o *Quid sentiendum sit de illo principio probabilistis non paucis familiarissimo: QUI PROBABILITER AGIT, PRUDENTER AGIT?*

Resp.: Plurimi gravissimique Doctores, qui hoc effato usi sunt, illud usurparunt instar regulæ agendi proximæ, non autem principii, quo veritatem suæ doctrinæ circa probabiles opiniones comprobarent. Certe principium istud falsum est, si habeatur ut principium primarium et quod *per se* sufficiat. Ratio est, quia actio nequit esse prudens vi solius probabilitatis, sed id obtinet ex sola certitudine. Est autem verum, si habeatur tantum, prout ab his doctis viris habebatur, ut consequentia alterius principii primarii, quod sit *per se* regula ultima agendi, quale istud esse potest: *Lex dubia non obligat*; vel *Non est obligatio, nisi de ea certo constet?*

QUÆR. 5^o *Quomodo intelligendum sit axioma: IN DUBIO MELIOR EST CONditio POSSIDENTIS, et quinam ejusdem usus in conscientia efformanda?*

Axioma istud in foro externo tum ecclesiastico tum civili receptum est tanquam regula judiciorum certa. Regula enim 65 juris in Sexto sic se habet: *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*; et L. 128 ff. de div. Reg. juris dicitur: *In pari causa possessor potior haberi debet*. Quæritur autem utrum et quibus in materiis valeat etiam quoad conscientiam efformandam, id est quoad forum internum.

Resp. 1^o Vim habere hujusmodi axioma in interiori sicut in exteriori foro, constat ex testimonio omnium pene theologorum qui eo frequentissime utuntur, ut casus solvant ad solam conscientiam spectantes; constat etiam eo quod, prout notavit Suarez (*de Voto, l. IV, cap. 5, n. 11*), *ubi non proceditur ex præsumptione, seu ex falsa causæ suppositione, idem est jus conscientiæ et ecclesiastici judicii*. Cf. etiam Suarez, *de Cens. disp. XI, sect. 5, n. 16*. — Lugo, *de Just. et jur. disp. XXIII, n. 110*. — S. Lig. l. I, n. 26.

Resp. 2^o Hoc axioma valere tantum in materia justitiæ, seu quoad possessionem quæ ad jus proprietatis spectat, censuerunt nonnulli, inter quos *Billuart, de Act. hum. diss. VI, art. 2, obj. 3*. At vero sententia longe communior et certior asserit idem valere in aliarum etiam virtutum materia. Ita Suarez, *de Voto, l. c., n. 7 et seq.* — Sanchez, *de Mat. l. II, disp. XLI, n. 31*. — Castropal., *de Consc. dub., p. 6*. — Lugo, *l. c.* — Lacroix, *l. I, n. 502*, et alii multi quos approbat S. Lig. *loc. cit.* Ratio est quia jura non favent possessori, eo quod præcise rem materiale detineat, sed eo quod in genere factum, seu usus potestatis cujuscumque, pro jure reputentur, quamdiu non constat ipsa esse illegitima: præsumptio enim stat pro eo quod

existit contra id quod an existat dubitatur vel incertum est. Ubi igitur, non solum in materia justitiæ, sed in materia cujuslibet alterius virtutis dubitatur an quis obligatur vel liber sit ab obligatione, obligatio instar creditoris, libertas instar debitoris se habent; illique favendum erit, quæ facta vel usu præexistens hac ratione in possessione aut quasi possessione esse dicitur, et præsumptionem ac titulum pro se habet quo caret altera. Sic in materia obedientiæ, superiori, qui est in possessione juris imperandi, subditus in dubio tenetur obedire, uti ex jure canonico, SS. Patribus et ratione demonstrat *Lacroix*, l. I, n. 432. Sic in materia religionis, qui dubitat an votum emisit non obligatur, eo quod contra libertatem certo præexistentem non possit prævalere dubia obligatio.

Resp. 3º: In dubio *practico*, vel *negativo*, juxta omnes, melior est conditio possidentis; non autem, juxta multos, in dubio *opinativo*, seu ubi vera et solida probabilitas possessori adversatur; arbitrantur enim tunc cessare præsumptionem, quæ secus in ejus favorem allegari potuisset.

80. QUÆR. 6º *Si dubites utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tene-risne adhuc satisfacere.*

Resp. 1º Affirm. prorsus, quoties agitur de dubio proprie dicto, seu de *dubio negativo*, aut de *dubio practico*; ratio est, quia in tali dubio nunquam contra legem agere licet, ut sequitur ex principiis supra positis, n. 39, 41 et 70.

Resp. 2º: Si autem agatur de *dubio positivo*, seu de vera et solida probabilitate, controvertitur:

Iª Sententia affirmat. Ratio deducitur ex hoc principio communiter admissio: *Non satisfit obligationi certæ per adimpletionem dubiam.* Etenim lex semel existens et imperans jus habet exigendi rigorosam obedientiam, seu indubiam obligationis impletionem. Porro, quando dubitas, vel tantum probabiliter, aut etiam probabilius existimas te legem adimplevisse, ipsi rigorose minime satisfecisti. Ergo adhuc te urget et premit, usquedum certo satisfeceris. — Præterea id quod libertati concedimus, legi quoque in pari conditione non denegandum est; atqui concedimus libertati certæ ut non possit ligari per legem dubiam; ergo concedendum est legi certæ ut non possit solvi per deobligationem, seu per adimpletionem dubiam. — Tandem, in dubio melior est conditio possidentis; sed lex certo existens possidet contra libertatem, quam sibi obligatam habet; ergo in dubio prævalet contra libertatem. — *S. Lig. n. 28, 29*, qui hoc loco, pluribusque aliis locis (*l. VI, n. 477. — QQ. ref. ser. II, n. 1, 18, etc.*), videtur retractasse quidquid in contrarium scripserat, v. gr., *l. I, n. 99, versus finem.* Magistrum sequuntur fere unanimiter recentiores ejus discipuli. (*Scavini, t. I, n. 87, edit. Paris. — Neyraguet, c. III, inf. 2. — Gousset, n. 87. — Panzuti, n. 20. — Müller, § 84, reg. 1, etc.* Ex aliis citari possunt *Voit, n. 39, et de Voto, 587. — Filliuc., C. Collet, Antoine, etc.*

IIª sententia negat cum theologis non paucis valde conspicuis. Etenim, aiunt, non est imponenda obligatio, nisi de ea *certo constet*, ut supra de probabilismo dictum est. Porro non constat de obligatione cui jam *probabiliter*, aut *probabiliter* satisfactum est. Ergo. — Præterea, sicut ex illo principio: *Non est imponenda obligatio, etc.*, eruitur non obligari voluntatem humanam a lege cujus nondum probata est existentia; ita necessario

consequitur non obligari eandem voluntatem, simul ac legis existentia fit incerta; quemadmodum enim obligatio pendet a notitia certa legis, ita etiam continuatio obligationis pendet a continuatione notitiæ ejusdem certæ. Atqui lex cui probabiliter satisfactum est probabiliter jam non existit, adeoque ejus existentia fit incerta. Ergo.

Quoad axioma, quod objicitur: *Non satisfit obligationi certæ per inpletionem dubiam*, respondetur ipsum verum esse quoties sermo est de dubio practico vel negativo, non vero si libertati faveat vera et solida probabilitas. Hanc sententiam tenent *Suarez, in 3 S. Thom., ad q. 90, disp. XXII, sect. 9, n. 6.* — *Roncaglia de Voto c. II, q. 4; et Tract. II, c. v, q. 3º de Leg.* — *Tamburinus, Meth. conf. l. II, c. I, n. 10.* — *Lugo, de Pœnit. disp. XVI, n. 59, 60.* — *Bonacina, de Integrit. conf. diss. v, q. 5, sect. 2, punct. 2, § 3.* — *Lacroix, lib. I, n. 599, 600.* — *Salmanticenses, de Voto c. I, n. 145.* Etc. etc.

Adde ex castris probabilioristarum *Billuart, de Integrit. conf. § 4, et alios* qui dicunt satis esse si legi probabilius fuerit satisfactum.

Negari nequit sententiam hanc probabilitate saltem *extrinseca* gaudere, cum non pauci nec minoris notæ theologi ei patrocinentur. — Aliunde motiva in quibus innititur minime spernenda videntur. — *V. Casus a n. 56 ad n. 78.*

QUÆR. 7º *An inter plures opiniones probabiles liceat modo hanc, modo oppositam sequi?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia inter probabiles opiniones nulla datur *formaliter* tutior et securior altera. Omnes enim sunt æque securæ. Insuper si teneris opinionem sequi quæ tibi probabilior apparet, nec possis ex probabili aliorum sententia operari, mille scrupulis agitari debes, et singulis horis opus variare, cum jam uni opinioni ceu probabiliori adhæreas, jam contrariæ, etc. — *Pal., de Consc. disp. II, punct. 2, n. 2, 3.* — Non potes tamen, quod unam et eandem rem, uti simul sententia affirmante et sententia negante probabili, ut ex una, v. gr., commodum reportes, ex alia incommoda quædam tibi præcaveas. *Qui enim sentit commodum, et onus sentire debet*, ut fert regula juris 55 in Sexto. — Sed vid. *Casus, t. I, n. 75.*

TRACTATUS DE LEGIBUS

Lex est regula externa et remota actuum humanorum, sicut conscientia, seu dictamen practicum rationis, est eorundem regula interna et proxima.
Agendum 1° De legibus in genere; — 2° de præcipientibus legum speciebus.

PARS PRIMA DE LEGIBUS IN GENERE

Dicemus de legis natura, — auctore, — objecto et subjecto, — promulgatione et acceptatione, — obligatione, — interpretatione, — dispensatione et cessatione.

CAPUT I

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS

81. — DEFINITIO. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata (*S. Thom. 1. 2., q. 90, art. 4*). Hinc differt a præcepto. Lex enim essentialiter fertur communitati a persona publica et pro bono communi, dum præceptum proprie dictum etiam a persona privata emanare potest, et subditos privatos respicere in privatum eorum bonum. Tale est imperium patris in filium, aut Principis in aliquem subditum. Sæpe tamen leges etiam præcepta dicuntur. Sic leges divinæ Moysi in monte traditæ præcepta Decalogi nuncupantur.

Multiplex discrimen est inter legem et præceptum, scilicet : 1° *Ratione jubentis*, quia legislator est persona publica, præcipientis vero potest esse persona privata. 2° *Ratione subjecti*, quia lex fertur in communitatem, præceptum etiam in personam privatam. 3° *Ratione finis*, quia finis legis directus et immediatus est semper bonum commune, præcepti sæpe est bonum privatum. 4° *Ratione loci*, quia lex afficit territorium, præceptum vero personam, atque, ut aiunt, *ossibus hæret*. 5° *Ratione durationis*, quia præceptum cessat morte præcipientis, lex vero non exstinguitur simul cum legislatore.

Divisio. Lex multiplici modo distinguitur :

1° *Divina*, vel *humana*, prout Deum, aut hominem auctorem immediatum habet.

2° *Naturalis*, vel *positiva*, prout natura ipsa rationali, vel actu positivo legislatoris intimatur.

3° *Ecclesiastica*, vel *civilis*, prout a potestate ecclesiastica vel civili fertur.

4° *Moralis*, aut *pœnalis*, vel *mixta*, prout sub sola culpa, vel sub sola pœna, vel sub utraque simul obligat.

5° *Affirmativa*, vel *negativa*, prout præcipit actus positionem, vel illam prohibet. Hinc dicitur etiam *præceptiva*, vel *prohibitiva*.

6° *Prohibens* simpliciter, vel *irritans*, aut *permittens*, prout actum illicitum tantum, aut invalidum reddit, vel agentem prohibet inquietari.

7° *Favorabilis*, vel *odiosa*, prout beneficium seu favorem concedit, vel onus aut gravamen infert.

8° *Scripta*, vel *usu servata*, prout mandato scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur et servatur.

82. — QUÆR. *Quales sint proprietates seu conditiones legis humanæ?*

Resp. : Sunt sequentes, quæ in ipsa legis definitione includuntur, scilicet, debet esse *possibilis*, *honestas*, *utilis*, *justa*, *permanens* seu *stabilis*, et *promulgata*. — Ita ex prima parte Decreti, D. 4, can. 2.

1° *Possibilis*, id est accommodata moribus et circumstantiis personarum, etc.

2° *Honestas*, id est nihil statuens, quod inhonestum sit, ac bonis moribus seu rectæ rationi aut divinæ legi positivæ repugnans; neque enim ad actus malos et ultimo hominis fini adversos obstringere lex potest.

3° *Utilis*, bono communi : 1° quia bonum communitatis est finis essentialis et primarius legis; 2° quia lex est actus publicæ potestatis quæ in solum bonum commune instituta est.

4° *Justa*, id est secundum normam justitiæ distributiivæ, adeo ut alii non magis quam cæteri graventur, sed subditis cum æqualitate proportionis, spectatis eorum viribus et facultatibus, imponatur : secus in conscientia non obligat.

5° *Permanens*, seu *stabilis*, id est statuta sine tempore definito, ita ut semel lata, nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret quamdiu stat communitas cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiæ pro quibus lata est.

6° *Promulgata*, quia lex est regula generalis et publica actionum, dirigens et obligans communitatem. Regula autem dirigere et obligare nequit communitatem, quam regit, nisi sit ei per promulgationem applicata.

CAPUT II

DE AUCTORE LEGIS SEU DE LEGISLATORE

83. — Legislator dicitur Superior, cui sive independens ac suprema, sive subordinata potestas inest leges ferendi pro communitate, in quam habet jurisdictionem.

Principia.

I. Deus solus est legislator supremus et universalis, a quo necessario cæteri legislatores, quicumque sint, omnem suam potestatem accipiunt, sive *immediate*, sive *mediate*. Deus enim est regula summa et essentialis

cujuslibet ordinis, et ipse solus gaudet supremo dominio in creaturas rationales, quarum est principium et finis ultimus. — Constat etiam ex Scriptura : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Prov. VIII, 15, 16. — *Non est potestas nisi a Deo.* Rom. XIII, 1.

II. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quæ ad finem ipsi propositum assequendum conducunt.

Constat 1° ex Scriptura sacra. Sic enim Christus Petro, Matth. XVI, 19 : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, etc.* — Et Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* — Item Act. XV, 28 : *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato.* Porro verba : *Quodcumque ligaveris... qui vos audit, me audit... imponere vobis...* significant collatam Ecclesiæ potestatem ligandi seu leges statuendi.

Constat 2° ex ratione. Ecclesia enim est societas perfecta in suo genere. Ergo gaudere debet potestate expedita ad proprium regimen necessaria. Atqui Ecclesia suo regimini providere non posset, nisi facultatem condendi leges haberet; multi enim sunt abusus reprimendi inter fideles, multaque ad Dei cultum promovendum aut servandum, et ad animarum salutem procurandam constituenda sunt. Ergo...

Constat 3° ex traditione et constanti Ecclesiæ praxi, seu ex variis Constitutionibus apostolicis, et Conciliis, quibus statuta disciplinaria condita sunt.

84. — III. Principes sæculares leges, quæ ad finem temporalis felicitatis conducant, condere possunt.

Constat 1° ex Scriptura sacra, Prov. VIII, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt...* ut supra in I princ. Et I Petr. II, 13 : *Subditi estote, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.*

Constat 2° ex ratione : etenim Principes a Deo habent potestatem regendi subditos, ut supra dictum est; atqui hanc potestatem exercere non valerent nisi facultate leges statuendi gauderent. Ergo...

IV. Semper obtemperandum est legitimis Superioribus aliquid justa lege præcipientibus, sive immediate a Deo sive mediante populo eos auctoritatem recepisse existimes. — Ratio est, quia in utraque sententia sunt æque a Deo societati gubernandæ præpositi, ac propterea ab eo accepta pollent auctoritate. Hinc nullius momenti est in praxi controversia, utrum Principes sæculares *mediate* an *immediate* potestatem a Deo habeant.

Censenda autem est justa lex, quoties de ejus injustitia apud viros doctos et probos communiter non constat : quia rectus ordo requirit, ut in dubio præsumptio Superiori faveat.

Quæsitæ.

85. — QUÆR. *Quinam in Ecclesia leges condendi facultate polleant?*

Resp. : Papa, Concilium generale, Episcopi et Concilia particularia.

1° *Papa, seu Pontifex Romanus pro tota Ecclesia.* Ipsi enim dictum est in persona Petri : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joan. XXI, 15, 16.

Vox autem *pascere* idem significat ac gubernare et regere. — Adde verba *Matth. XVI, 19*, supra relata : *Quodcumque ligaveris*, etc. Papa enim est verus successor Petri in cathedra Romana; est proinde *Summus Pontifex*, *Summus Claviger*, *Pastor Pastorum*, Christi *Vicarius* in terris.

2^o *Concilium generale* itidem *pro tota Ecclesia*. Concilium enim generale iuridice constat ex omnibus totius mundi Episcopis a Papa convocatis, et Romano Pontifice, supremo totius Ecclesiæ capite, cujus auctoritate decreta ejus necessario confirmanda sunt. Ergo plenissimam habet in universam Ecclesiam jurisdictionem.

3^o *Episcopi pro diœcesi*. Hoc enim necessarium est ad rectam diœcesis administrationem. Constat etiam ex illo Act. xx, 28 : *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Hoc autem jus accipit Episcopus in sua canonica institutione. Nihil porro potest Episcopus circa legem Summi Pontificis, cum inferior in superiore jurisdictionem non habeat. Nec proinde quidquam statuere potest, quod legi communi opponatur vel illam infirmet. — Statuta Episcopi etiam extra Synodum (audito tamen consilio Capituli) facta et promulgata, juxta veriore sententiam, eandem perpetuitatem habent ac Constitutiones synodales. — *Ita Bened. XIV, de Synod. diœces. l. XIII, c. v, n. 1*. — Archiepiscopi vero et Patriarchæ leges ferre nequeunt pro diœcesibus suffraganeorum, quia non sunt Superiores proprie dicti, quamvis eorum lites ad se delatas dirimere possint.

4^o *Concilia particularia pro provincia*. Etenim si Episcopi seorsim sumpti leges pro diœcesibus statuere valent, similiter et in Concilio, sive nationali sive provinciali, leges pro natione vel provincia constituere possunt. Attamen horum Conciliorum decreta ad S. Congr. Conc. Trid. mitti debent ut recognoscantur. Sic ex antiquo jure a Sixto V confirmato in Bulla *Immensa æterni*, ubi de S. Congr. Concilii dicitur *Provincialium vero* (Conciliorum) *ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet, eaque singula expendet et recognoscet*. Constat etiam ex Benedicto XIV, *de Syn. diœc. l. XIII, c. III*, ubi hæc habet : *Ea* (decreta), *antequam promulgentur, transmitti jussit Sixtus V ad sacram Congregationem Concilii, non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. Non semel tamen accidit, provincialia Concilia non solum a sacra Congregatione Concilii recognosci, et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, ita petentibus Metropolitanis a quibus sunt celebrata, per apostolicas litteras confirmari*. Confirmatio vero Synodorum per Apostolicam Sedem duobus modis sedulo distinguendis fieri potest : in forma communi, vel in forma specifica. In *forma communi*, qua eorum statuta, neque absolute approbantur, neque a fortiori sanciuntur auctoritate Apostolica, sed promulgari dumtaxat permittuntur; in *forma specifica*, qua, præmisso diligenti examine, eorum decreta *motu proprio* atque *ex certa scientia* confirmantur ab Apostolica sede, ideoque naturam induunt legis pontificiæ quoad eos ad quos diriguntur. *V. Bened. XIV, de Synod. diœc. l. XIII, c. v, n. 11, et l. XII, c. v, n. 13*. — Nec tamen transmissio ad S. Congr. Conc. et multo minus confirmatio per Sedem Apostolicam necessariæ sunt pro statutis Synodi diœcesanæ. — *Bened. XIV, ib., l. XII, c. III, n. 6*.

86. — QUÆR. 2º *An leges condere possint Capitulum cathedralis, sede vacante, Prælati Regularium, et Abbatisseæ, seu Monialium Superiorissæ?*

Resp. 1º: Capitulum, sede vacante, statuta ferre potest, quæ pro circumstantiis necessaria sint vel utilia, etiamsi per ipsa abrogentur statuta antecedentia; eaque durabunt, quamdiu a succedentibus episcopis revocata non fuerint. — S. Lig. n. 104.

Resp. 2º: Capitula seu Congregationes generales et Prælati Regularium veras leges condere valent, intra limites suæ jurisdictionis, juxta proprias Ordinis constitutiones. Habent enim statuta a Summo Pontifice approbata, quæ illis hanc facultatem tribuunt.

Resp. 3º Abbatisseæ, vel Superiorissæ Monialium non possunt leges proprie dictas ferre, cum jurisdictionis ecclesiasticæ non sint capaces. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res præceptas, vel circa ea quæ ad profectum Monialium juxta regulas conducunt. Habent enim jus præcipiendi tum ex voto obedientiæ a subditis emisso, tum ex necessitate disciplinæ, quæ in communitate servari debet.

87. — QUÆR. 3º *Quinam Principes sæculares potestatem condendi leges habeant?*

Resp. : Omnes ii qui suprema gaudent auctoritate, nec sunt alterius delegati, ut hujus nomine agant; ejusmodi sunt Imperatores, Reges, Magistratus Reipublicæ legitime constitutæ, etc.; non vero Duces militum, nec Præfecti provinciarum, qui proprio nomine agere nequeunt. — V. Cas., n. 79 et seq.

Si qui autem sunt, qui, licet agant nomine proprio, nihilominus Superiori subdantur; horum leges a Superiore irritari aut reformari possunt, v. gr., leges principis feudatarii in ordine civili a primario Principe, sicut et in ordine ecclesiastico leges Episcopi, aut Concilii provincialis, aut Prælati Regularis, corrigi vel aboleri a Romano Pontifice possunt.

CAPUT III

DE OBJECTO ET SUBJECTO LEGIS

ARTICULUS I

DE OBJECTO LEGIS

88. — Objectum legis generatim est quidquid lex præcipere vel prohibere potest.

Principia.

I. Objectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. Ex dictis sequitur.

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti objectum legis esse possunt; nam cum actus ejusmodi conferre ad bonum commune possint, eo ipso possunt præcipi aut vetari.

Quæsitæ.

89. — QUÆR. 1^o *An actus heroici sub legem humanam cadant?*

Resp. : Generatim sub legem cadere non videntur, quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo ejusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis*. Attamen aliquando, exigente bono communi, præcipi possunt. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitæ, si detrimentum inde Respublica captura sit.

QUÆR. 2^o *An lex humana possit præcipere actus mere internos?*

Resp. : 1^o Lex civilis certo non potest, quia sine his actibus legislator finem suum obtinet. — Præterea de internis judicare nequit.

2^o Neque lex ecclesiastica, juxta plures, id potest; quia (aiunt) legifera Ecclesiæ potestas ad externam tantum fidelium gubernationem pertinet. — *S. Lig.*, l. I, n. 100. — *S. Thom.*, *Suarez*, *Bened.* XIV, etc., contra alios qui probabiliter etiam affirmant, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit.

90. — QUÆR. 3^o *An lex humana possit præcipere actus mixtos, seu partim internos et partim externos?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia actus mixti constituunt simul unum *morale indivisum*. Sic Ecclesia præcipit devotam attentionem in Missæ celebratione. — *Ita omnes.*

QUÆR. 4^o *An lex humana præcipere possit actus externos occultos?*

Resp. Affirm. Quia potestatem habet dirigendi quidquid externum est. Actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt; quod autem puniri nequeant, id per accidens contingit. — *S. Lig. ibid.*

QUÆR. 5^o *An Confessarius actus mere internos injungere possit?*

Resp. Affirm. Quia munus dirigendi pœnitentes in via salutis hanc facultatem exigit. Hinc piæ meditationes pœnitentibus injungere potest. — *Voit*, n. 163.

ARTICULUS II

DE SUBJECTO LEGIS

Principia.

91. — I. Omnis homo nascitur et remanet subjectus legi naturali. Cum enim lex naturalis sit ipsamet divina voluntas præscribens rectæ rationi consentanea, in mente cujusvis hominis per rationem ipsi inditam indelebili caractere imprimitur et promulgatur. Igitur per accidens fit, ut obvoluta ratione, non statim agnoscat, vel aliquando cognosci desinat.

II. Omnes et *soli subditi* rationis habitualiter compotes sunt legi humanæ subjecti. — Ratio *primi* est, quia lex ferri nequit nisi in subditos. Ratio *secundi* est, quia homines habitualiter usu rationis carentes legibus dirigi non possunt.

III. Soli homines actualiter ratione utentes possunt legem moraliter violare, quia deficiente cognitione nemo peccare potest, juxta dicta in *Tract. de Act. hum.*, n. 4. — Hinc qui ad breve tempus ratione carent, dicuntur *excusati* ab impletionem legis, licet eidem sint subditi.

Resolves.

92. — 1° Non licet provocare infantes et amentes ad rem intrinsece malam, v. gr., ad blasphemias, turpitudines, etc. : quia illi, utpote naturam rationalem habentes, lege naturali *in actu primo*, seu radicaliter, obligantur; ideoque formaliter peccant, qui eos ad actus intrinsece malos provocant. — *Reuter, n. 167.*

2° Infantes nondum rationis usum adepti et perpetuo amentes non sunt legi humanæ subditi, ut patet ex *principio II*. Licet igitur eis dare carnes edendas diebus quibus illæ ab Ecclesia prohibentur, etc.

3° Amentes tamen ad breve tempus, vel qui multa lucida habent intervalla, ebrii et dormientes, sunt legi subjecti, quia sunt in statu habituali usus rationis; per accidens tamen sunt ab ea excusati, si non sint actualiter rationis compotes. Hinc non licet eis dare carnes diebus prohibitis. — *S. Lig. l. I, n. 155, etc.*

4° Infideles, nimirum quicumque Baptismo non sunt expiati, legibus ecclesiasticis non obligantur; quia Ecclesiæ jurisdictioni nondum subjiciuntur, quamvis teneantur Ecclesiam ingredi.

5° Hæretici, schismatici, et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, legibus ecclesiasticis *per se* tenentur, quia, quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiæ subditi : attamen *per accidens* in praxi non videntur peccare; quia fere nesciunt se ex conditione sua ad servandas has leges teneri, etiamsi forte necessitatem et obligationem ingrediendi catholicam Ecclesiam jam cognoscant.

6° Eadem de causa excommunicati, quamvis de Ecclesia ejecti fuerint; Ecclesiæ legibus adstringuntur quoad actus qui eis non interdiciuntur; secus enim ex malitia sua commodum reportarent.

Quæsitæ.

93. QUÆR. 1° *An Clerici teneantur legibus civilibus?*

Resp. : 1° Certo non obligantur legibus quæ repugnant immunitati ecclesiasticæ adhuc vigenti, vel eorum statui, aut sacris Canonibus. *Ita communiter.* — 2° Certo obligantur ad omnes leges quæ bonum commune immediate spectant. — 3° Quoad alias leges, videntur teneri sicut et cæteri, quia sunt pars communitatis, et Ecclesia id exigit et præcipit. — *Ita communius.* — *Suarez.* — *Reuter, n. 168.*

QUÆR. 2° *An pueri teneantur ad leges ecclesiasticas statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum expleverint?*

Resp. Affirm. probabilius, quia omnis homo ratione utens est eo ipso legi subditus, ut constat ex *princ. II*. — *S. Lig. n. 155 (ut probabilius).* — Attamen probabiliter negant non pauci, quia, ut aiunt, Ecclesia censetur attendere ad ea quæ communiter contingunt. — *Sic Lacroix, n. 676 (ut probabile).* — *Reuter, n. 167.* — *S. Lig. (ut probabile), lib. III, n. 270.* — *Elbel, n. 369.*

94. — QUÆR. 3° *An peregrini teneantur legibus sui territorii?*

NOTA. *Domicilium* acquisivisse in aliquo loco is dicitur, qui ibi habitat cum animo perpetuo manandi. Ejusmodi autem animus in foro externo præsumitur, si habitatio fuerit decennalis, vel si ibi domus fuerit ædificata, aut major pars

honorum adspertata, vel saltem si manendi voluntas expressis verbis fuerit manifestata. — *S. Lig. n. 156.* Conditiones domicilii acquirendi juxta jus Gallicum explicat Cod. civ. art. 102 et seq. — *Quasi Domicilium* habet, qui alicubi habitat cum animo manendi per majorem anni partem, v. gr., quia famulus est aut scholasticus. — *II omnes peregrini non sunt, quamvis habeant alibi proprium territorium, sed reputantur, quasi essent loci incolæ. Hinc*

Peregrinus dicitur, qui extra proprium territorium per aliquot dies vel ad summum per minorem anni partem alicubi versatur, animo ad sua redeundi. Is proinde nec domicilium ibi habet nec quasi domicilium. *Vagus* appellatur, qui nullibi domicilium aut quasi domicilium habet, sed de uno in alium locum continuo se transfert.

Jam ad quæsitum.

Resp. 1° Neg., generatim, quia lex, quæ respicit communitatem, est *territorialis*, nec afficit personas nisi per territorium. — *Ita omnes.*

Resp. 2°: Si abeant animo se obligationi legis subducendi, *controvertitur.* Affirmant Concina, Collet, Antoine et quidam alii; quia, ut inquirunt, *nemini fraus sua patrocinari debet.*

Sed communius et probabilius DD. negant; quia exiens e territorio non in fraudem legis agit, sed utitur jure suo. — *S. Alph. lib. I, n. 156.* — *Elbel, n. 370.* — *Lacroix, n. 683,* etc. Vide dicenda *inf., n. 110.*

Quæ diximus de legibus proprii territorii, intelligenda sunt etiam de legibus communibus, quoad peregrinos qui versantur in territorio exemplo.

QUÆR. 4° An peregrini teneantur legibus loci in quo versantur?

Resp. 1°: Omnes peregrini et vagi tenentur ad leges speciales loci in quo versantur, 1° quoad contractus, 2° quoad necessaria ad bonum commune. — *Ita omnes.*

Resp. 2°: Quoad alias leges, triplex est sententia probabilis.

Iª Sententia probabilior illos excusat, secluso scandalo, quia lex non obligat nisi subditos. — *Ita S. Lig., l. I, n. 156,* etc.

IIª Sententia eos obligat ad omnes leges, quia *qui sentit commodum, et onus sentire debet.* — *Collet. — Antoine.*

IIIª Sententia sic distinguit: Tenentur ad omnes leges, si pervenerint ad terminum itineris; si vero non pervenerint, tantum ad leges negativas tenentur. — *Ita cum quibusdam Suarez (De leg. l. 3, c. 33, n. 3 et seq. — De relig. tr. 2, l. 2, n. 8 et seq.), qui tamen concedit primam quoque sententiam esse probabilem.*

Ex dictis circa peregrinos resolves.

95. — 1° Si in tuo territorio vel parœcia sit jejunium, et eodem die pergas ad locum ubi non est jejunium, potes vespere cœnare. — *Ita communiter.*

2° Probabiliter potes etiam jentare, si mane exiturus sis, ut contra *alios* docent *Busemb., Less., Sanch., etc.,* et probabile putant *Salmant.,* apud *S. Lig., n. 157.* Ratio est, quia jejunium est quid individuum.

3° Mane existens in loco ubi non est jejunium, vesci potes carnibus, etsi circa meridiem reversurus sis domum, ubi est jejunium. Domi tamen certo teneris abstinere a carnibus. — *S. Lig. n. 157.*

4° Si in tuo territorio vel parœcia sit speciale festum, et in alium locum, ubi non sit festum, profecturus sis, non teneris audire Sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum ubi viget præceptum, antequam tempus obligationis cesset. Ratio est, quia præceptum non obligat, ut expectes. — *S. Lig., l. I, n. 157.* — *Salmant., n. 66, contra Antoine, etc.*

5° Tenentur peregrini omnibus legibus communibus eo loco vigentibus; etsi in suo territorio essent abrogatæ, vel per dispensationem hic et nunc non obligarent. Ratio, quia subsunt legislatori communi, et absentes non gaudent proprii territorii privilegio. Sic Gallus extra patriam tenetur ad Missam die Epiphaniæ, etc., Hispanus ad abstinentiam die sabbati, etc. — *S. Lig., Hom. apost., n. 39.*

6° Probabiliter non tenentur peregrini ad legem particularem alicujus loci servandam, etiamsi eadem lex particularis in suo territorio vigeat: ratio, quia nec tenentur legibus patriæ, quia absunt; nec legibus loci in quo versantur, quia utpote peregrini illis non subjiciuntur. — *Lacroix, n. 686. contra S. Lig., l. I, n. 156.*

7° Si quis legi communi jam in sua patria vel suo territorio satisfecerit, probabiliter non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi serius urget. Sic Italus vel Hispanus, qui in patria jejunavit in pervigilio S. Petri non tenetur iterum jejunare in Gallia, ubi hoc jejunium in sabbatum sequens transfertur. Ratio quia non datur obligatio iterum idem præceptum adimplendi, cum jam suo tempore adimpletum est: ubi enim jam est solutum debitum determinatum, non est iterum solvendum. — *V. Cas., n. 79 et seq.*

CAPUT IV

DE PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE LEGIS

ARTICULUS I

DE PROMULGATIONE LEGIS

Promulgatio est publicatio legis, facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

Principia.

96. — I. Promulgatio publica legis necessaria est ut ipsa obliget, nec sufficit ejus privata notitia, quia sic præceptum non est sufficienter communitati propositum et manifestum. — *S. Lig. n. 95.*

II. Promulgatio sufficit sine notitia legis ad obligandum in foro externo, quia legis rite promulgatæ notitia generatim præsumitur. In foro autem interno, notitia legis insuper requiritur, quia nemo peccare potest sine obligationis cognitione, juxta dicta in *Tract. de Act. hum., n. 4 et seq.*

III. Ex natura rei sufficit, ut lex promulgetur in aliqua præcipua civitate, seu in tali loco, unde ad notitiam communitatis pervenire possit, et statim obligat ac promulgata fuerit. Attende tamen ad consuetudinem receptam, vel ad statuta particularia variorum locorum.

Quæsitæ.

97. — QUÆR. 1° *An obliget lex dubie promulgata?*

Resp. Neg., quia non est sufficienter manifestata et intimata, et proinde dubia est; lex autem dubia non obligat. — *S. Lig. n. 97.*

QUÆR. 2° *An leges pontificiæ obligent statim ac promulgatæ sunt?*

Resp. Affirm. Lex enim promulgata eo ipso statim vim habet, et obligat etiam in actu, ut aiunt, secundo eos omnes qui eam cognoscunt.

QUÆR. 3° *An sufficiat ut leges episcopales promulgentur in civitate episcopali? — et papales Romæ?*

Resp. Affirm., quia hoc sufficit ut populo christiano manifestari possint. Præterea modus promulgationis est in potestate legislatoris. — Porro in praxi Episcopi obligare volunt per promulgationem in urbe episcopali factam, et Pontifices per eam quæ Romæ fit.

Quoad Conc. Trid., certum est decreta ejusdem ad Fidem et mores spectantia obligare etiam in iis locis ubi specialiter non sunt promulgata; itemque decretum circa matrimonia clandestina non obligare nisi in parœciis ubi promulgatio præcessit. Quoad alia decreta quæ reformationem respiciunt, tenenda est sententia asserens ipsa ubique obligare, cum Romæ debito modo promulgata sint. — *Scav.*, et *Annal. Juris pont.*, ser. II, col. 2308. — *V. Cas.*, n. 80 et seq.

ARTICULUS II

DE ACCEPTATIONE LEGIS

98. — Acceptatio legis est submissio, qua subditi, saltem quoad majorem et saniozem partem, formaliter vel virtualiter legem acceptant.

Principia.

I. Per se lex, quoad vim obligandi, nullo modo pendet ab acceptatione populi; secus enim simul cum Superioris potestate corrueret omnis legum auctoritas, atque adeo totius ordinis socialis subversio sequeretur. Constat etiam ex propositione 28 ab Alexandro VII damnata, quæ sic jacet: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* — *Ita omnes.*

II. *Per accidens* quandoque lex non acceptata non obligat, ratione taciti vel expressi consensus Superioris aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratæ. Constat ex praxi in variis casibus atque ex consensu communi theologorum. — *S. Lig. n. 138.*

Quæsitæ.

99. — QUÆR. 1° *An obliget lex, si major et sanior pars populi eam non acceptaverit?*

Resp. 1°: Si major et sanior pars populi, propter rationabilem causam, legem *ad tempus* solum non acceptet, eo fine ut a Principe obtineat ejus dispensationem vel abrogationem, ex benigna interpretatione haberi poterit obligatio legis tanquam suspensa, usquedum res componatur.

Resp. 2° : Si e contra lex absolute et pro semper, sine ullo ad Principem recursu, a majore et saniore populi parte (quæ eo casu minus sana verius dicenda est) rejiciatur, peccant non acceptantes, quoadusque lex fuerit per desuetudinem legitime præscriptam abrogata : non enim ab eorum voluntate pendet ut lex obliget vel non obliget.

Resp. 3° : Interim minor pars, quæ parata est ad legem observandam statim ac a majori parte acceptabitur, *probabilius* non peccat, per se loquendo, dum ejus observationem omittit; quia, inquit *Salm.* (cap. I, n. 107), non censetur Princeps velle a paucioribus observari cum magno eorum incommodo, quod a pluribus non acceptatum est. — *S. Lig.* n. 127, 139. — *Suarez*, l. III, c. XIX, n. 13.

QUÆR. 2° *An obliget lex in dubio an sit acceptata?*

Resp. Affirm., quia præsumi debet acceptata, nisi de contrario constet : *Præsumitur enim factum, quod de jure faciendum erat*, juxta regulam supra relatam, n. 76. — *S. Lig.* n. 97.

QUÆR. 3° *An obliget Ecclesiæ lex quæ, aliquo gubernio civili prohibente, acceptata non fuit?*

Resp. Affirm. per se, quia Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non vero a potestate civili; et proinde est ab ea omnino independens. Ipsi enim a Christo dictum est : *Quodcumque ligaveris..., erit ligatum*, etc., *Matth.* XVI, 19. — *S. Lig.* n. 137.

QUÆR. 4° *An Episcopi possint leges pontificias non admittere?*

Resp. : *Negandum est.* Etenim Episcopi, licet Principes sint in suis Ecclesiis, Romano tamen Pontifici, immediato Christi in terris Vicario, totiusque Ecclesiæ capiti et gubernatori, subjiciuntur. Ei igitur parere debent, et sic exemplum obedientiæ propriis subditis præbere, legem pontificiam promulgando et ejus observantiam in diœcesi sua procurando. Excipe tamen si graves obstent rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent Episcopi has rationes S. Sedi exponere, deinde vero ejus definitioni acquiescere tenebuntur. — *Vide Bened. XIV, de Synod. l. IX, c. VIII.*

CAPUT V

DE OBLIGATIONE LEGIS

Agendum 1° de vi obligationis; — 2° de modo obligationi satisfaciendi; — 3° de causis ab ea excusantibus.

ARTICULUS I

DE VI OBLIGATIONIS

Principia.

100. — Lex quælibet veram inducit obligationem, saltem ad pœnam; in hoc enim a consilio lex differt, quod hanc impune pro lubito suo posthabere subditus non possit. — *Ita omnes.*

II. Lex humana quælibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest.

Ratio est, quia Superiores a Deo constituti sunt cum potestate præcipiendi. Hinc ap. Rom. XIII, 12 : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. — Ita omnes.*

III. Lex obligat *sub gravi* aut *sub levi* pro gravitate materiæ aut circumstantiarum, vel finis a Superiore specialiter intenti. Lex autem affirmativa obligat *semper*, sed non *pro semper*: lex negativa vero obligat tum *semper*, tum *pro semper*, id est pro singulis momentis. — *Consentiunt omnes.*

IV. Lex divina positiva, et humana, non obligant *generatim* cum incommodo *valde gravi*, seu cum gravi nocimento, quod *per accidens* observationi legis conjunctum sit. Constat ex Jure naturali et canonico, ex praxi Ecclesiæ et consensu omnium.

Quæsitæ.

101. — QUÆR. 1^o *An legislator possit præcipere sub levi in materia gravi, et vice versa?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, saltem probabilius, quia obligatio pendet ab ejus voluntate, sicut lex ipsa. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 143.*

Resp. ad 2^{um} *Neg.*, quia deest proportio inter obligationem gravem et materiam levem. Excipe si materia non sit undequaque levis, sed gravis ex fine, etc. — *S. Lig., ibid., et alii communiter.*

QUÆR. 2^o *Quænam materia legis censenda sit gravis vel levis?*

Resp. : Colligendum id est 1^o ex verbis ipsis legis; 2^o ex ejus objecto, fine et circumstantiis; 3^o ex gravitate pænæ inflictæ; 4^o ex interpretatione consuetudinis. — Sed in genere materia gravis est, quando finis legis sit prorsus magni momenti, et ad hunc finem lex multum conducat, etsi *de se* sit quid leve; secus, materia censebitur levis. Sic grave est pro celebrante Missam, si omittat infundere in Calicem aliquot guttulas aquæ. Non autem erit grave, si die jejunii unciam panis manduces extra refectioem. — *S. Lig., n. 144. — Lacroix, n. 663, et alii communiter.*

QUÆR. 3^o *An lex humana possit aliquando impedire ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia aliquando bonum commune id exigit, nec prohibet lex naturalis, ut, bono communi exigente, apponantur conditiones, quibus invalidentur actus alioquin validi. Sic a lege tum ecclesiastica tum civili plura pacta irritantur.

QUÆR. 4^o *An gravis sit violatio legis in re levi ex contemptu?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si contemptus afficiat *directe* legislatorem *formaliter* talem, quia contemnitur ipsa auctoritas, ex qua leges vim obtinent.

Resp. 2^o *Neg.*, si contemptus respiciat tantum materiam ut levem *in se*, aut si peccans legem transgrediatur ex incuria, ira, aut alia ejusmodi causa. Ratio est, quia tunc non ipsa auctoritas contemni videtur. — *S. Lig. n. 142.*

102. — QUÆR. 5^o *An obliget in conscientia applicatio legis seu sententia quæ fundatur in falsa facti præsumptione?*

Resp. 1^o *Neg.*, si applicatio legis fundetur tantum in præsumptione facti particularis, culpæ, fraudis, vel damnificationis; ratio est, quia si deficit factum, eo ipso deficit totum obligationis fundamentum. Hinc si condemnaris ad pecuniam solvendam pro damnis quæ ab asino tuo illata fals)

existimentur, non obligaris ad solvendum, nisi *per accidens*, v. gr., ratione scandali; sed tunc potes te compensare etiam post latam sententiam. — *S. Lig. n. 100-150.* — *Suarez.* — *Roncaglia, et alii communiter.*

Resp. 2° Si lex fundetur in præsumptione periculi universalis, culpæ, fraudum, etc., ejus applicatio semper obligat in conscientia, etiam seclusa omni culpa; quia bonum commune requirit ut omnes stabiliter obligentur: secus mala non impedirentur efficaciter; et lex alioquin intendit præcavere periculum hallucinationis, necnon reddere homines cautiores. Hinc teneris ad solvendam mulctam, ad quam condemnaris pro damno vere illato ab animali tuo, etsi damnum illud absque tua theologica culpa evenerit. — *S. Lig. n. 100.* — *V. dicenda in Tract. de Restit., ubi de injusto damnificatore.*

ARTICULUS II

DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS

Principia.

403. — I. Ad satisfaciendum obligationi cuilibet requiritur intentio faciendi id quod præceptum est, si lex sit *affirmativa*, v. gr., lex auditionem Missæ die festo præcipiens. Ratio est, quia secus actus non ponitur modo humano. — Minime vero, si *negativa* sit, ut lex prohibens diebus festis opera servilia. Ratio est, quia lex negativa non plus intendit, quam operis omissionem. — *Ita omnes.*

II. — Non tamen requiritur intentio implendi præceptum, seu agendi ex motivo formalis obedientiæ; quia legislator præcipit tantum operis positionem vel omissionem. — *S. Lig. n. 163.* — *Sanchez, et alii communiter.*

III. Non requiritur, ut lex impleatur ex motivo Caritatis, nec in statu gratiæ, nisi præcipiatur ipse Caritatis actus, vel status gratiæ, ut in sumptione Eucharistiæ. Ratio est, quia opus præcipitur, non vero motivum, nisi forte et hoc exprimatur. Constat etiam ex propositione 16 *Baii* a Pio V damnata, quæ sic se habet: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine Caritate.*

IV. Non requiritur intentio implendi finem præcepti, nisi finis ille præcise *per se* præcipiatur; quia ordinarie per solam actus positionem, quæcumque sit demum intentio agentis, finis ipse legis sufficienter obtinetur; ideoque non censetur fuisse a legislatore præceptus, nisi id expresse declaretur.

Hinc axioma: *Finis præcepti non cadit sub præcepto.* — *S. Thom. 1, 2., q. 100, art. 9, etc., et alii.*

Resolves.

404. — 1° Satisfacit, qui audit Missam, ignorans illam hac die esse præceptam, vel qui cognoscit quidem obligationem, sed intendit tantum hic et nunc devotioni satisfacere, cum proposito aliam Missam audiendi. *S. Lig. n. 163.*

2° Non vero satisfacit, qui opus voti vel juramenti ponit intendendo *ex-*

presse non satisfacere; ratio est, quia a promittentis voluntate pendet, ut talis obligatio maneat. — S. Lig. ibid.

3° Non satisfacit, qui omnino coactus Sacro interest; talis enim actus ob defectum voluntatis non est humanus. Secus, si metu tantum quis inducatur, ut, v. gr., famulus metu domini, puer metu magistri, etc. — *S. Lig. n. 165.*

Quæsitæ.

105. — QUÆR. 1° *An satisfaciatur obligationi legis, qui in ea implenda peccat?*

Resp. Affirm., modo actus sit honestus *in se*, et tantum malus ex circumstantia extrinseca, ita ut substantia rei præceptæ ponatur. Ratio est, quia præceptum imperat solam actus substantiam, non autem modum. Hinc satisfacit, qui inter Missam audiendam cogitationibus vanæ gloriæ vel luxuriæ occupatur, vel qui audiens Missam intentionem habet furandi. Non satisfacit tamen præcepto confessionis vel communionis per confessionem vel communionem sacrilegam, quia tunc ipsa substantia actus præcepti, id est confessio peccatorum deletiva vel communio quæ spiritualiter pascit animam, non ponitur. Constat etiam *ex prop. 14 damnata ab Alexandro VII.* — *S. Lig., n. 162, et alii communiter contra paucos.*

QUÆR. 2° *An diversa præcepta unico actu adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si præcepta hæc diversa cadant in eandem materiam ob idemque motivum, ut jejuniū vigiliæ incidens in quatuor Tempora; secus autem, si cadant in diversam materiam, vel in eandem quidem, sed ob motivum diversum, ut jejuniū ex pœnitentia, et ex lege ecclesiastica debitum. — *S. Lig. n. 166.*

106. — QUÆR. 3° *An diversa præcepta diversis actibus simul adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si actus isti sint sociabiles, id est, si tales poni possint, quales exiguntur, quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes inter audiendum Sacrum recitare Horas canonicas, vel exsolvere injunctam pœnitentiam, etc. — *S. Lig., n. 166, et alii communiter.*

QUÆR. 4° *Quid agendum in concursu duorum præceptorum insociabilium?*

Resp. Servandum est majus præ minori, quod tunc obligare desinit. Præceptum autem naturale præcepto mere positivo prævalet, divinum præceptum prævalet humano, ecclesiasticum civili, etc.

QUÆR. 5° *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?*

Resp. 1° Affirm., si determinatio temporis facta fuerit ad finiendam obligationem. Sic, v. gr., si non jejunasti die vigiliæ, peccasti, sed a lege liberaris; quia onus est diei ipsi affixum.

Resp. 2° Neg., si tempus non fuerit determinatum nisi ad sollicitandam, seu urgendam obligationem. Sic non liberatur a communicandi obligatione, qui tempore paschali legi non satisfacit. — *S. Lig. l. III, n. 220.*

Resolves.

107. — 1° Si debeas 100 nummos Titio, tuque voveas restituere, uno actu satisfacis duabus obligationibus, scilicet justitiæ et voti. Item Sacerdos

beneficiatus vovens fideliter recitare Horas, triplici obligationi unica recitatione satisfacit.

2° Contra si Caio debeas 100 francos ex mutuo, 100 ex censu, non satisfacis solvendo semel 100, quia obligationes in diversam materiam cadunt. Similiter si ex voto et ex pœnitentia a Confessario imposita tenearis audire Sacrum, non satisfacis plerumque utrique obligationi, si unico sacro die Dominica intersis. — *Voit n. 202. — S. Lig. n. 166.*

Dixi *plerumque*, quia subinde Confessarii injungunt opus alias præceptum.

3° Nec potes plures Missas tibi a Confessario impositas audire simul, dum simul in pluribus altaribus celebrantur, quia talis non præsumenda est intentio Confessarii; nisi Confessarius ad fructum sacrificii respexerit. — *S. Lig. Hom. Apost., de Pœnitentia, n. 57.*

4° Qui tenetur audire Missam singulis diebus ex pœnitentia per unum mensem, satisfacit unicam audiendo die Dominica, quia rationabiliter præsumitur Confessarium noluisse pœnitentem obligare ad duas Missas eodem die audiendas, nisi id expresserit. — *Ita communiter. — S. Lig. Hom. Apost., n. 31. — V. Cas., p. 99 et seq.*

ARTICULUS III

DE CAUSIS A LEGE EXCUSANTIBUS

1° De natura eorum quæ deobligant. — 2° De appositione voluntaria causarum deobligantium.

§ I. De natura eorum quæ deobligant.

108. — Causæ deobligantes sunt vel *eximentes*, vel *impedientes*. Priores eæ sunt quæ subditum totaliter subtrahunt dominio legis, puta, si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. Posteriores eæ sunt, quæ subditum sub lege remanentem ab ejus impletiōne impediunt, seu excusant. Hæ autem causæ impedientes ad ignorantiam et impotentiam reducuntur.

Principia.

I. Causæ *eximentes* totaliter liberant a legis obligatione; nemo enim præceptum imponere potest homini non sibi subjecto. Porro ubi adest causa aliqua eximens, ille, qui legi subiciebatur, cessat esse eidem legi subditus aut ratione territorii, a quo abest, vel ratione Privilegii. Ergo. — Recole dicta supra *de peregrinis, n. 94.*

II. Ignorantia invincibilis ab observanda lege excusat, quia nemo obligari potest ad aliquid sibi prorsus incognitum. — Ignorantia autem vincibilis non excusat a culpa, cum potuerit, aut possit seria diligentia deponi. — *S. Lig. Hom. ap., n. 43. Recole dicta de Act. hum., n. 13, et de Consc., n. 36.*

III. Impotentia physica semper ab observanda lege excusat, ut habet per vulgatum axioma: *Nemo ad impossibile tenetur*. Excusat itidem impotentia moralis; quia non censetur legislator obligationem urgere cum tanto incommodo, juxta communem Doctorum interpretationem, et juxta dicta *de obligatione legis, n. 100.*

Hinc metus gravis, secluso damno societatis aut Religionis, a lege humana excusat; quia lex humana non obligat cum gravi nocumento, ut dictum est supra, n. 100. Excusat etiam quandoque, etsi difficilius, a præcepto divino positivo, v. gr., ab integritate confessionis; imo et a præcepto naturali affirmativo, v. gr., servandi depositum cum vitæ periculo. Numquam tamen excusat a præcepto naturali negativo, quia hujus objectum est intrinsece malum. Nec dicas, licere furari in extrema necessitate, tunc enim furtum esse desinit. — *S. Lig. n. 175. Hom. apost., n. 44.*

109. — QUÆR. *An teneatur ad partem qui ad totum est impotens?*

Resp. Affirm., quando materia legis est divisibilis; et in singulis partibus remanet ratio præcepti. Constat insuper ex prop. sequenti ab Innoc. XI, damnata: *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Excipe, si pars possibilis sit adeo tenuis, ut nullo modo ad finem præcepti conducatur. — *Ita communiter.*

Hinc 1º Qui non potest jejunare in Quadragesima, debet abstinere a carnibus, si possit. Item qui non potest omnibus diebus jejunare, tenetur diebus quibus potest sine gravi incommodo.

2º Si quis carens Breviario, pauca ex Horis memoriter sciat, non tenetur ea recitare; secus si partem notabilem, v. gr., Vesperas, vel Completorium memoria teneat. — Recte *S. Lig. l. IV, n. 134*, dicit: Sacerdotem infirmum, qui non valet totum Officium legere, et dubitat an possit legere partem, neque ad partem teneri, ne periculum anxietatis, aut detrimentum notabile sanitatis subeat.

3º Qui vovit piam peregrinationem, nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur, quia nec finis, nec ratio præcepti obtineri potest. — *S. Lig. Hom. ap., n. 45.*

§ II. *De appositione voluntaria causarum deobligantium.*

110. — Causæ deobligantes a servanda lege apponi possunt vel *directe*, vel *indirecte*, prout scilicet agentem movet aut finis sese legis obligationi subtrahendi, aut alia causa, præviso tamen legis servandæ impedimento.

Insuper ejusmodi causæ possunt esse vel *proximæ* vel *remotæ*, prouti lex urget aut brevi, aut solum post notabile temporalis intervallum.

Principia.

I. Licet semper apponere causas eximentes et *probabilius etiam directe et proxime*. Ratio est, quia lex *per se* non facit aliquem sibi subditum esse, sed fertur potius in eum qui jam est subditus; ideoque, saltem per se loquendo, neminem obligat ut sibi sit aut maneat subditus, sed potius obligat eum qui est et manet subditus ad sui observationem. Igitur, si actione aliunde licita te subtrahas ejus dominio, non agis *in fraudem* ejus, sed uteris jure tuo. — Dixi *per se loquendo*, quia si legislator id expresse prohibeat, prout factum esse videbimus quoad absolutionem a reservatis et matrimonia clandestine contrahenda, fraudas legem adeundo locum liberum ut vim ejus effugias.

II. Non licet autem *directe* apponere *impedientes* causas sive proximas,

sive etiam remotas : ratio, qui quousque legi quis subjacet, non potest, velle eam infringere, quin talis voluntas sit ipsiusmet legis violatio. — *Reuter, n. 198.*

III. Imo ne indirecte quidem causas proxime impediētes apponere licebit, nisi proportionata adsit aliunde necessitas. Ratio est, quia lex *proxime* urgens ligat *proxime* voluntatem, et eam astringit ad adhibenda media necessaria, ne ipsa violetur, atque adeo ad impediēta non injicienda.

IV. *Probabilius* autem licet, etiam sine ratione, causas apponere *remotas* et *indirecte impediētes*. Ratio est, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si quisque, multo ante obligationem legis, ad omnia opera cum illa obligatione insociabilia derelinquenda, tempusque obligationis expectandum astringeretur. — *Lacroix.*

Quando autem causa censenda sit impediēns *proxime*, quando tantum *remote*, norma quapiam generali statui vix, aut ne vix quidem potest. Ut *remote* quidem impediēns fere haberi solet quæ tempus præcepti implendi aliquot dierum spatio præcedit; at præ oculis semper habenda erunt tum mens legislatoris ac rei præceptæ gravitas, tum etiam prudentium judicium ac proborum praxis. — *V. Sanchez, In Decal. lib. I, cap. xv, n. 4.*

Resolves.

411. — 1^o Peccat qui die jejunii, sine justa causa, laborem aliquem assumit quo impotens ad jejunandum fiat; ratio, quia lex *proxime urgens* exsposcit, ne sine justa causa obex illi implendæ apponatur. — *S. Lig., Hom. ap., n. 20.*

2^o Certum est autem, excommunicatos teneri ad absolutionem a censura quærendam, ut præcepto divino Communionis paschalis satisfacere possint. Ratio est, quia præcepta divina strictius urgent quam humana, minusque humanam patiuntur interpretationem. — *S. Lig., Hom. ap. n. 21.* — Eadem ratione non potes, incepto jam tempore paschali, abire in locum ubi communicare non poteris, quin prius ipsi præcepto satisfeceris. — *Lacroix, n. 791.*

3^o Non peccat contra præceptum audiendi Sacrum, qui iter ingreditur prævidens fore, ut sequenti die Dominica Sacrum audire non possit. Non excusatur tamen qui id faciat præcepto saltem moraliter jam urgente, nempe aut eodem die festo, aut una alterave ante hora. Excipe nisi aliqua necessitas seu justa causa intercedat.

4^o Peccant sartores et sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta necessaria, si id possint sine gravi incommodo. — *Reuter, n. 199.* — *V. Casus, n. 103 et seq.*

CAPUT VI

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA

§ I. De interpretatione legis.

412. — DEFINITIO. Interpretatio legis est genuina ejus explicatio juxta mentem legislatoris.

DIVISIO. — Est 1° *authenticæ*, *doctrinalis* et *usualis*, prout fit ab ipso Superiore, vel a viris doctis, vel ex consuetudine.

2° *Stricta*, vel *lata*, prout fit stricte juxta naturalem verborum proprietatem, aut large juxta sensum benigniorem.

3° *Simplex* seu *comprehensiva*, vel *extensiva*, cum verba vel ut sonant, vel ultra eorum sensum naturalem accipiuntur.

REGULÆ INTERPRETATIONIS

I. Verba legis accipienda sunt juxta propriam et usu receptam significationem, nisi quid absurdum aut injustum inde sequatur.

II. In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes.

III. Lex pœnalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis amplam interpretationem poscit. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi et odia restringenda.* — *S. Lig., n. 200, et alii omnes.*

QUÆR. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis?*

Resp. Affirm. quoties alias accusari posset legislator injustitiæ, vel imprudentiæ. Hoc autem habetur in sequentibus: 1° in correlativis, v. gr., inter sponsum et sponsam; hinc si sponsa liberatur a sponsalium obligatione ob longam sponsi absentiam, sponsus pariter ob sponsæ absentiam liberatur; 2° in æquiparatis, ut sunt electio et præsentatio ad beneficium; item ova et lacticinia quoad legem abstinentiæ; 3° in connexis, ut sunt Diaconus et Subdiaconus. Item in contentis: quocirca qui potest testari, etiam legata facere potest. — *S. Lig. n. 200.*

§ II. De Epikeia (Ἐπιεικεία).

413. — *Epikeia* est benigna, sed æqua legis interpretatio, qua lex ad quempiam casum, quamvis in verbis legis non exceptum, sese extendere non censetur, quippe illum legislator aut non prævidisse aut comprehendere non voluisse prudenter creditur. Ita, v. gr., si lex prohibeat gestare arma noctu, gestare possum, si exire debeam et inimicum meum ad mortem me quærentem sim offensurus.

QUÆR. *An Epikeia locum habeat, si superior facile interrogari possit?*

Resp. Affirm., si observantia legis manifestum detrimentum afferat; secus in aliis casibus. — *S. Thom. 2. 2., q. 120, art. 1.*

CAPUT VII

DE DISPENSATIONE LEGIS

414. — DEFINITIO. Dispensatio est relaxatio legis in casu particulari.

DIVISIO. Dispensatio esse potest:

1° *Licita*, vel *illicita*, prout fit justa de causa, vel non.

2° *Valida*, vel *invalida*, prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit.

3° *Absoluta*, vel *conditionata*, prout simpliciter, vel adjecta aliqua conditione conceditur.

4° *Subreptitia*, vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario aliquid falsum asseritur.

Agendum 1° de potestate dispensandi; — 2° de causis ad dispensandum requisitis; — 3° de cessatione dispensationis.

ARTICULUS I

DE POTESTATE DISPENSANDI

Principia.

I. Legislatores dispensare potest : 1° in legibus suis quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantum habet ad ligandum; 2° in legibus prædecessorum suorum, quia pari cum iis gaudet potestate; 3° in legibus suorum inferiorum, quia hi ab ipso potestatem aut certe ipsi subordinatam illam habent.

II. Inferior non potest dispensare in legibus Superioris sui, nisi ex potestate delegata, et in quantum ipsi delegatum est vel ab ipso Superiore, vel a jure, vel a consuetudine. Ratio, quia inferior in legem sui superioris jurisdictionem non habet. — *Ita omnes.*

Quæsitæ.

115. — QUÆR. *An Papa dispensare possit in lege divina?*

Resp. Potest dispensare ex justa causa in iis in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et in juramentis. In cæteris, num ex gravissima causa vere dispensare possit, an tantum declarare jus divinum tunc cessare, *controvertitur*. In praxi parum refert. — *S. Lig., Hom. apost. n. 56.*

QUÆR. 2° *In quibusnam legibus dispensare possit Episcopus?*

Resp. 1° : *De jure ordinario*, in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus, et in legibus communibus cum singulis quoad casus, qui sæpe accidunt, ut in plerisque votis, jejuniis, abstinentia, observantia festorum, Officio divino in casibus particularibus, etc. — *S. Lig. n. 190.*

Resp. 2° : *De jure extraordinario*, in cæteris legibus pontificiis ratione necessitatis, privilegii, aut consuetudinis legitimæ, si qua alicubi vigeat.

In praxi attendendum est utrum Episcopus proprio nomine, an potius tanquam S. Sedis delegatus, dispenset.

QUÆR. 3° *An Episcopus dispensare possit cum peregrinis in votis, juramentis et communibus Ecclesiæ præceptis?*

Resp. 1° *Affirm.*, si isti intentionem habeant commorandi in diœcesi per majorem anni partem, quia cum contrahant quasi domicilium, eo ipso subditi fiunt, et jam non sunt proprie peregrini. *Ita communissime*, ait *S. Lig., n. 158, et Lacroix, n. 799.*

Resp. 2° : Si vero tantum transeant, *controvertitur*. — *Affirmant*, qui cum Suarezio (*Sup., n. 94, Quær. 4°*) censent peregrinum per accessum, vel unius diei, ad locum in quo sistit, fieri subditum Episcopi hujus loci. Si enim, inquit, tenetur legibus, æquum est ut gaudeat etiam privilegiis. *S. Ligor. (ibid.)* dicit hanc sententiam merito probabilem haberi. — *Negant*, qui arbitrantur acquisitione tantum domicilii aut quasi domicilii

fieri aliquem subditum alicujus loci. — Alii tandem distinguunt; *affirmant* quidem pro legibus Ecclesiæ, *negant* vero pro votis et juramentis. — *S. Lig., ibid.*

116. QUÆR. 4° *An Parochi in aliquibus dispensare valeant?*

Resp. : *De jure ordinario*, ratione consuetudinis possunt dispensare cum subditis pro casibus particularibus in jejuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis, et aliis hujusmodi, quæ frequenter occurrunt, et indigent prompta dispensatione. — *Ita communiter.* — *S. Lig., Hom. apost., n. 59.*

QUÆR. 5° *An Superior dispensare possit cum semetipso?*

Resp. Affirm., si sit primarius; imo et secundarius, si habeat facultatem generalem dispensandi cum aliis. — *S. Lig., Hom. apost., n. 64.*

QUÆR. 6° *An delegatus subdelegare possit?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quia hæc facultas *per se* non includitur in concessione Superioris, nisi expressa fuerit. Excipe tamen, si quis delegatus fuerit ad dispensandum in universitate causarum per modum officii; quia tunc, ex interpretatione communi, adest tacita Superioris facultas ad subdelegandum. — *Ita S. Lig., n. 193; lib. VI, n. 366.*

ARTICULUS II

DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS

Principia.

117. — I. *Ad liceitatem* dispensationis semper aliqua causa requiritur. Ratio est, quia secus Superior non erit fidelis dispensator, aut erit imprudens. — *S. Thom. 1. 2., q. 97, art 4.*

Idcirco peccat et qui in tali casu dispensationem petit; inducit enim dispensatorem ad rem illicitam, atque adeo peccat eodem peccati genere in petendo, ac legislator in concedendo.

II. *Ad validitatem* vero nulla causa requiritur *ex parte concedentis*, si dispense in sua aut in inferioris lege. Ratio est, quia ille qui potest ligare, etiam solvere potest; secus autem, si in lege sui Superioris dispense, quia non præsumitur accepisse potestatem temere dispensandi. — *Ita communiter.*

III. *Ad validitatem ex parte petentis*, requiritur ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quæ cadat in causam motivam, quia Superior non dispense nisi sub tacita conditione, scilicet, *si preces veritate nitantur.* — *S. Lig. n. 183.*

Quæsitæ.

118. QUÆR. 1° *An peccet graviter Superior dispensans sine causa in re gravi?*

Resp. 1° Neg. probabiliter *per se*, quoad legislatorem; quia, præciso scandalo vel aliorum damno gravis non oriatur deordinatio in re publica, propterea quod unus aut alter, ex dispensatione, legem non observet. Aliunde legislator auctor est et conditor legis, quæ ab ejus voluntate pendet. Ergo. — *Ita communiter cum S. Lig., n. 178, contra alios.*

Resp. 2° Affirm., quoad inferiorem, quia non censetur delegatus ad dispensandum nisi justa de causa: atque adeo si aliter faciat, graviter concessa sibi potestate abutitur, et admittit culpam *ex genere suo* gravem. — *S. Lig. n. 180.*

QUÆR. 2° An liceat uti dispensatione tacita vel præsumpta?

Resp. ad 1^{um} Affirm., modo ex aliquo signo prudenter colligi possit. — *Ita communiter.*

Resp. ad 2^{um} Neg., quia scire debet Superior id de quo agitur; attamen licentia facile præsumi potest, cum agitur de rebus minoris momenti, et est iuxta, non vero contra legem. — *S. Lig. n. 187.*

QUÆR. 3. An liceat petere, vel concedere dispensationem in dubio, an causa sufficiat?

Resp. ad 1^{um} Affirm., quia non pertinet ad subditos de sufficientia causæ judicare, sed tantum rem sincere Superiori exponere. — *S. Lig. n. 178.*

Ad 2^{um} Affirm. pariter. Ratio est, quia secus onus Superioribus impositum intolerabile evaderet, et innumeris scrupulis tum quoad dispensantem, tum quoad petentes, esset obnoxium. — *S. Lig., ibid.*

QUÆR. 4° Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?

Resp. 1° In dubio positivo, utrum casus in lege contineatur, seu cum probabile est casum lege non comprehendi, non requiritur dispensatio, ut patet ex dictis de probabilismo; extensio enim legis ad illum casum incerta manet. — *S. Lig. n. 192.*

2° In dubio autem, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione, *controvertitur*. Communior sententia, quam S. Ligorius (*n. 97*) veriore esse affirmat, requiri contendit dispensationem. Alii negant. — *Lacroix, n. 598, 818.*

QUÆR. 5° An sit valida dispensatio metu extorta?

Resp. Affirm., modo existat causa dispensandi, nec constet, in Superiore omnino dispensandi animum defuisse, et alioquin quævis alia absit nullitatis causa. — *S. Lig. n. 184.*

Resolves.

419. — *1° Invalida est dispensatio*, quoties in postulato irrepsit error circa causam motivam, aut circa objectum ipsum dispensationis, sive oratoris aut alterius culpa, sive etiam ex mera inadvertentia id evenerit; si, v. gr., ponas in petitione impedimentum affinitatis pro impedimento consanguinitatis, vel *3^{um} gradum* pro *2°*; secus tamen si ponas *2^{um}* pro *3°*, quia minor gratia in majori ejusdem generis continetur.

2° Valet dispensatio, si error irrepsit in rescripto Superioris, v. gr., incuria secretarii, quia concessionem jam factæ supervenit, et Superior concedit ita: *Fiat, ut petitur.*

3° Valet dispensatio ex justa causa concessa alicui improbo, quem probum reputavit Superior, etsi, cognita improbitate, non fuisset dispensaturus; ratio quia probitas non reputatur causa motiva, sed mere impulsiva. Excipe, nisi quis motus fuerit ob probitatem. — Valet etiam, si causa falsa tempore petitionis, vera fiat tempore concessionis; sed non vice versa.

4° Valet dispensatio, licet plures causæ falsæ, etiam motivæ *per se*, cum

causis veris et sufficientibus expositæ sint; quia ubi causa aliqua *motiva* vera adest, sufficiens suppetit dispensationis fundamentum.

5° Valet dispensatio concessa a Superiore, licet ab inferiore jam fuerit negata, nec hujus negationis mentio fiat. — Imo probabiliter valet, etiamsi, a Superiore negata, ab inferiore concedatur; quia potestas inferioris non est restricta per negationem Superioris, nisi hic expresse eam restringat. — *Suarez, de Leg. l. VI, c. xxii.* — *Lacroix n. 811.*

6° Valet dispensatio pro aliquo inscio aut etiam invito obtenta, quando necessitas hoc exigit. — *S. Lig. n. 186.*

De his v. Canonistas super tit. *de Rescriptis.*

ARTICULUS III

DE CESSATIONE DISPENSATIONIS

Dispensatio multiplici ratione cessare potest, nimirum: 1° cessatione causæ; 2° revocatione; 3° renuntiatione.

Hinc resolves.

120. — 1° Cessat dispensatio, cessante causa motiva totali ante illius executionem; non enim tunc preces veritate nituntur. — Secus, si causa motiva cesset ex parte tantum, quia causa dispensationis adhuc superest. Hinc cessat dispensatio a jejunio concessa ob infirmitatem, ubi plene convalesceris; secus, si infirmitas ex parte remaneat. — *S. Lig., n. 196, et alii communiter.*

2° Cessat dispensatio, etiamsi causa motiva cesset post illius executionem, sed ante effectum seu usum gratiæ inchoatum; imo et in materia divisibili, post usum quoque gratiæ inchoatum, quoad illam partem pro qua nondum est inchoatus, nisi Superior gratiam absolute concessisse censeatur. — *Ita communiter.* — *S. Lig., ibid.*

3° Dispensatio omnino cessat accedente revocatione expressa Superioris, quia obligatio vel deobligatio a Superioris voluntate pendet. Illicita tamen revocatio sine justa causa foret. — Non cessat autem ob revocationem inferioris sine justa causa, quia revocandi facultas in ejus arbitraria potestate non est. — *S. Lig. n. 197.* — *Salm.* — *Roncaglia, etc.*

4° Ad validitatem renuntiationis requiritur acceptatio Superioris, quia solus Superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere. — *S. Lig., ibid., et alii communiter.*

CAPUT VIII

DE CESSATIONE LEGIS

121. — Lex variis modis cessare potest.

1° Per *abrogationem*, vel *derogationem*, prout omnino aut tantum ex parte aboletur: quemadmodum enim Superior legem ferre, sic eandem vel tollere vel coarctare potest.

2° Per *cessationem causæ motivæ adæquatæ*, seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis eam urgere legislator rationabiliter nequit.

3° Per *desuetudinem*, seu per *consuetudinem contrariam* debitam vestitam conditionibus; tunc enim Superioris consensus saltem legalis accedit. — *Ita communissime.*

QUÆR. 1° *An cesset lex cessante causa finali in casu particulari tantum, id est respectu aliquot personarum?*

Resp. Neg., nisi servari sine gravi incommodo non possit; ratio, quia finis legis adæquatus respicit ea quæ communiter contingunt, non vero casus particulares; non ergo hi obstant, quominus finis legis atque adeo lex ipsa perseveret. Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. — *Suarez, Laymann, et S. Lig., n. 199.*

QUÆR. 2° *An possit quis libros prohibitos legere, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat?*

Resp. Neg., ob rationem modo allatam; insuper adde hallucinationis periculum. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 199. — V. Cas. n. 109 et seq.*

PARS SECUNDA

DE SPECIEBUS PRÆCIPUIS LEGUM

Agendum. 1° de lege naturali et divina;—2° de lege ecclesiastica et civili; — 3° de lege pœnali irritante; — 4° de lege non scripta, seu de consuetudine; — 5° de lege favorabili.

CAPUT I

DE LEGE NATURALI ET DIVINA

ARTICULUS I

DE LEGE NATURALI

122. Lex naturalis est divina voluntas, naturali lumine manifestata, præcipiens ea quæ ad rectum ordinem servandum sunt necessaria.

Hinc lex naturalis nihil aliud est, quam lex æterna naturæ rationali per lumen naturale intimata, sive habitualiter per rectam rationem, sive actualiter per ejus dictamen.

Objectum legis naturalis est id omne quod naturali naturæ ita vel convenit, vel disconvenit, ut ab ipsius naturæ Conditore præcipi vel interdici necesse sit: omnia ea videlicet amplectitur quæ legi æternæ sunt conformia. — Hinc versatur lex naturalis: 1° circa prima morum principia, v. gr., *bonum est faciendum; malum est vitandum; alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*; 2° circa principia secundaria morum, sive immediatas primorum

principiorum conclusiones, ut sunt pleraque præcepta Decalogi; 3° circa conclusiones mediatas, vel magis remotas.

Quæsitæ.

123. — QUÆR. 1° *An objectum legis naturæ interdum ignorari possit?*

Resp. : 1° Primaria morum principia a nemine ignorari possunt. — 2° Item conclusiones proximæ, ita ut in iis dari non possit ignorantia invincibilis, nisi vel raro, vel ad breve tempus in rudibus et pueris. *Ita communiter.* — 3° Ignorari autem possunt et sæpe ignorantur conclusiones remotæ. Hinc circa eas tot controversiæ inter Doctores etiamnum agitantur. — *S. Lig., n. 170 et seq.; de Consc., n. 8.*

QUÆR. 2° *An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo qui cognoscit malitiam actus?*

Resp. Neg. saltem quoad desideria efficacia. Ratio est, quia velle quod malum est formaliter, et quidem cognitum ut tale, est velle quod Deo displicere noscitur, et proinde est velle ipsi displicere. Difficile autem est ignorari malitiam actus, quo quis se Deo displicere noscit. — *S. Lig., de Consc., n. 9, etc.*

QUÆR. 3. *An lex naturalis sit mutabilis?*

Resp. Neg. Etenim cum id jubeat aut prohibeat quod natura sua bonum vel malum est, plane consequitur, non modo a creaturis, sed ne ab Auctore quidem naturæ, legem naturalem immutari posse.

Nec dicas 1° Deum pluries immutasse legem naturalem, v. gr., permitiendo polygamiam Patriarchis, furtum, divortium Hebræis, etc. Nam in præfatis exemplis lex naturalis mutata non est, sed tantum circumstantia materiæ; unde factum est, ut id quod per se recto ordini adversatur, ob novas circumstantias jam non adversaretur.

Nec dicas 2° quasdam esse materias quæ mutationem subeant, v. gr., copulam carnalem quæ adversatur juri naturali inter solutos, non vero inter conjunctos legitimo matrimonio; nam jus naturale ideo prohibet copulam extra matrimonium, quod ejus finis legitimus tunc deficiat.

Aliqui tamen distinguunt legem naturalem *strictam*, seu omnino immutabilem, ut, v. gr., quæ prohibet blasphemiam, et aliam *latam*, quæ mutatis circumstantiis potest mutari, uti, v. gr., quæ prohibet proximi occisionem. Ita *Voit*, n. 534. Alii autem hanc distinctionem rejiciunt. Quidquid sit, certum est, distinctionem illam cadere saltem in materiam legis naturalis, quæ consequitur ordinem rerum a Deo libere statutum, prout distinguitur ab ordine rerum omnino essentiali. Nam ordo ille, et omnia quæ ipsum consequuntur, utpote a libera Dei voluntate dependentia, subjiciuntur dominio Dei, ac proinde pro variis circumstantiis mutari possunt.

ARTICULUS II

DE LEGE DIVINA POSITIVA

124. — Lex divina positiva duplex est, scilicet vetus et nova.

I. Lex vetus, seu veteris Testamenti, continebat præcepta triplicis generis.

1° *Moralia*, quæ spectabant rectitudinem moralem, et id statuebant quod lege naturali jam præscriptum erat. Talia sunt Decalogi præcepta.

2° *Cæremonialia*, quæ referebantur ad Dei cultum, et statuebant cæremonias et sacrificia.

3° *Judicialia*, quæ ad politicam et œconomicam administrationem seu ad rectam gubernationem populi pertinebant.

Lex vetus a Christo abrogata fuit, utpote *posita donec veniret semen cui promiserat*, ut ait Apost. *Galat. III, 19*. Sola igitur pars legis veteris, quæ ad mores spectabat, in lege nova servata est et confirmata.

II. Lex nova seu evangelica, quæ dicitur lex gratiæ, vel libertatis, vel novum Testamentum, continet documenta triplicis generis, scilicet 1° *præcepta moralia*, circa virtutes præsertim theologicæ; 2° *præcepta cæremonialia*, circa Sacramenta et Missæ sacrificium; 3° *mera consilia*, sed magno præmio digna.

Lex nova differt a lege veteri, præsertim in sequentibus: 1° Vetus fuit umbra et figura; nova est lux et veritas. — 2° Vetus lex timoris erat; nova vero lex gratiæ et amoris est.

Lex vetus dicitur imperfecta, non quidem in se, sed relative ad perfectiorem. Erat enim perfecta in se, cum Deum auctorem haberet, et Deus per illam attingeret scopum quem sibi præstituerat.

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quamvis ab ea observanda excusentur ii, ad quorum notitiam nondum pervenit. Sic enim Christus, *Matth. XXVIII, 19, 20*: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

CAPUT II

DE LEGE ECCLESIASTICA ET CIVILI

ARTICULUS I

DE LEGE ECCLESIASTICA

125. — Lex ecclesiastica dicitur, quæ pro recta Ecclesiæ gubernatione et æterna animarum salute a potestate ecclesiastica fertur.

Collectio variarum legum ecclesiasticarum Jus canonicum constituit.

Corpus juris canonici sex constat partibus, tria volumina constituentibus. Sunt autem: *Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII*, et *Extravagantes communes*.

I *Volumen* continet Decretum a Gratiano, monacho Benedictino, collectum, et anno fere 1151 publicatum sub titulo: *Concordantia discordantium Canonum*. Opus distribuitur in tres partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma iudiciorum, et tertia de rebus sacris.

Prima pars dividitur in centum et unam distinctiones, quæ subdividuntur in capita seu canones. Sic indicari solet: *cap. Jejunium, 7, dist. 76*; vel etiam *dist. 76, cap. 7*.

Secunda pars dividitur in triginta et sex causas; causæ autem dividuntur in quæstiones, et quæstiones in capita. Citatur modo sequenti : *cap. Qui viderit 13, quæst. 5, causa 32*; vel *caus. 32, q. 5, c. 13*. Tract. *de Pænitentia*, septem habens distinctiones, sic citatur, v. gr., *cap. Mensuram, 86, dist. 1 de Pænitentia, vel de Pænitentia, dist. 1, c. 86*.

Tertia pars constat quinque distinctionibus, quæ in varia capita dividuntur. Citantur : *cap. Est unitas 49, dist. 4 de Consecrat., vel de Consecrat. dist. 4, c. 49*. Hæc enim pars de consecratione Ecclesiarum, altarium, etc., tractat.

II Volumen continet Decretales a Gratiano omissas, vel post ipsum editas, a *S. Raymundo de Pennafort*, Ordinis Prædicatorum, jussu Gregorii IX collectas et anno 1230 publicatas. In quinque dividitur libros, qui habent titulos et capita; hoc autem modo citantur : *cap. Pervenit, 28, de Appellationibus, vel Decretal. lib. 2, tit. 28, c. 28*. Caput posteriori hoc modo indicatum multo facilius invenitur.

III Volumen continet librum Sextum, Clementinas, et Extravagantes tum Joannis XXII, tum communes.

Sextus, vel liber sextus Decretalium, sic appellatur, quia quinque libris Decretalium Gregorii IX adjicitur, et Decretales a Gregorio IX usque ad Bonifacium VIII editas habet. Prodiit anno 1298 auctoritate Bonifacii VIII : dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur, *in Sexto, vel apud Bonifacium*.

Clementinæ, sic dictæ a Clemente V, qui eas colligi jussit post Concilium Viennense, cui anno 1314 præfuit, sunt Constitutiones ab ipso Clemente vel a Concilio Viennensi editæ. Eas Joannes XXII promulgavit anno 1317, in quinque libris, qui non secus ac Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur *in Clementinis*.

Extravagantes Joannis XXII sunt Constitutiones, quas ipse prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra Corpus juris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent *Extrav. Joannis XXII, tit. 4, c. 1*.

Extravagantes communes, ita vocatæ quia a Joanne XXII et a pluribus aliis Pontificibus editæ sunt, et ipsæ in quinque dividuntur libros, qui habent capita cum titulis. Sic ordinariè citantur : *cap. Vas electionis, de Hæreticis, Extravag. communib. seu Extrav. comm. lib. 5, de Hæreticis, c. 2*.

Aliæ Conciliorum Constantiensis et Tridentini, ac Pontificum Romanorum Constitutiones postea editæ sunt, sed in corpus juris nondum fuerunt collectæ.

Quæsitæ.

126. — QUÆR. 1^o *Quænam sint Romanæ Congregationes, earumque officia varia?*

Resp. : Principales eæ sunt, nimirum : Congregatio Concilii, Congregatio Episcoporum et Regularium, Congregatio de Propaganda Fide, Congregatio sacrorum Rituum, Congregatio Indicis, Congregatio S. Officii, Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, Congregatio Immunitatis.

1^o *Congregatio Concilii* (Tridentini) seu *Cardinalium*. Tota constat ex Cardinalibus, qui *Patres S. Concilii Tridentini interpretes* dicuntur, et quorum unus titulo *Præfecti Congregationis* insignitur. Pius IV pro Concilii Trid. observantia hanc primum instituerat; postea vero, rerum exigentiis motus, Sixtus V decreta Concilii, in iis quæ ad morum aut disciplinæ reformationem pertinent, et dubia videntur, etiam interpretandi potestate donavit.

2^o *Congregatio Episcoporum et Regularium*. Tota et ipsa ex Cardinalibus coalescit. Duo, ut nomen indicat, suscipit tractanda: ea nempe quæ respiciunt bonam dioceseon totius orbis catholici administrationem, et quæ ad Regularium utriusque sexus controversias, litesve, secundum sacros Canones, cognoscendas et dirimendas pertinent.

3^o *Congregatio de Propaganda Fide*. Ex solis Cardinalibus conflatur. Tota est in procuranda propagatione Fidei per orbem terrarum. Collegium dictum *de Propaganda Fide* pro efformandis Missionariis, ab *Urbano VIII* Romæ fundatum, ad ejusdem curas pertinet.

4^o *Congregatio Sacrorum Rituum*. Præter Cardinales, etiam Consultoribus Prælati vel Regularibus constat. Liturgiam sacram, et quæ ad eam pertinent, definit et ordinat. Examen quoque causarum *Beatificationis* et *Canonizationis Sanctorum* inter ejus officia commemoratur.

5^o *Congregatio Indicis* a S. Pio V instituta. In ea locum habent Cardinales et alii plures docti viri. Unicum munus, magni autem momenti pro bono societatis tam ecclesiasticæ quam civilis, exercet: curam nempe gerit librorum qui in lucem eduntur, ne quid per eos contra Religionem et bonos mores inter Christianos valeat propagari; quos existimat fidelibus noxios, hos accurate notat, vetat ac refert in *Indicem*, qui ideo dicitur *Index librorum prohibitorum*, ut ab eorum lectione, tanquam a venenatis pascuis, fideles abstineant. Aliquando tamen libri tum a Congr. S. Off., tum ab ipso Pontifice peculiaribus *Brevibus* ac *dogmaticis Constitutionibus* prohibentur, præsertim si hæresim sapiant.

6^o *Congregatio S. Officii*, seu *sacræ universalis Inquisitionis*. *Suprema* dicitur, et constat tum Cardinalibus, tum Prælati atque theologis.

Illius est cognoscere de hæresi, necnon de hæresis suspicione, aut de aliis irreligiositatibus. A *Paulo III* instituta, et a *Sixto V* confirmata fuit.

7^o *Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum*. Habet facultatem et munus dirimendi omnes difficultates ac dubitationes circa SS. Reliquias et Indulgentias. Constat ex numero Cardinalium a S. Pontifice determinando, et ex aliis Prælati et theologis.

8^o *Congregatio Immunitatis*, quæ Cardinalibus, paucisque aliis coalescit. Causas de Immunitate ecclesiastica sive reali, sive personali, sive locali, inspicit et cognoscit.

NOTA. Occurrunt nonnunquam in responsionibus SS. CC. termini non ita facilis intelligentiæ, quorum est hæc significatio:

Dilata, id est differtur respondere, ut res maturiori examini subjiciatur utpote difficilis solutionis.

Affirmative et amplius, *Negative et amplius*, id est, cum res fuerit in S. C. satis superque discussa, et plenis votis prout jacet decisa, non amplius admittitur tale quæsitum.

Nihil, hoc est non admittitur petitio utpote incongrua.

Relatum vel Lectum, id est, cum relatum vel lectum fuerit in S. C. postulatum, non fuit admissum.

Qui modi haud contemnendi sunt, cum inducti sint ad evitandas longiores verborum circumlocutiones; et quælibet scientia et ars habeat suos, uti jam ab initio monuimus.

127. — QUÆR. 2^o *Quid de sacris tribunalibus gratiosis et contentiosis?*

Resp. 1^o: *Tribunalia gratiosa* tria numerantur, scilicet: *Sacra Pœnitentiaria*, *Dataria*, et *Cancellaria Romana*.

1^o *Pœnitentiaria* est tribunal institutum ad gratias quasdam in foro interno elargiendas. Illius munus est concedere facultates absolvendi a peccatis et censuris Papæ reservatis, dispensationes in votis et irregularitatibus, necnon generatim in impedimentis matrimonii occultis, ut suo loco fusius dicetur. Ad ipsam pertinet etiam solvere dubia practica, seu dirimere difficultates, quæ ipsi proponuntur.

Constat *S. Pœnitentiaria* ex uno *Pœnitentiario majori* de Collegio Cardinalium et variis officialibus, uno theologo, uno canonista, etc. Eam reformavit *Pius IV*, an. 1562, et reformationem *S. Pius V* explevit¹.

2^o *Dataria* sic appellata est ex stylo in Cancellariis consueto, eo quod *datam*, seu epocham gratiæ concessæ notat. Est amplissimum tribunal ratione negotiorum quæ ad illud referuntur, et gratiarum quæ ab eo produnt. Procedunt enim exinde Ecclesiarum Cathedralium erectiones, uniones, divisiones, suppressiones, novorum canonicatum vel dignitatum creationes, beneficiorum reservatorum collationes, et impedimentorum matrimonii publicæ dispensationes.

Dataria constituitur ex *Datario*, qui *Prodatarius* nuncupatur, si Cardinalis sit, ut fere semper, *Subdatario*, et pluribus subalternis officialibus.

3^o *Cancellaria* inter *gratiosa* tribunalia omnino eminent. Est Pontificis tribunal, per quod litteræ Apostolicæ conficiuntur, scribuntur et expediuntur. Origo illius officii non est certa. Officium illud primariæ dignitatis est, et ejus Cancellarius cæteros aulæ Romanæ ministros præcedit. Plures sub se officiales habet quorum aliqui sunt *Prælati majores*.

Resp. 2^o: Inter tribunalia *contentiosa* primum tenet locum *Rota Romana*, de qua admodum pauca referemus. De ejus origine et nominis ratione non satis constat. Est autem *Rota Romana* tribunal pontificium, institutum ad cognoscendas et decidendas causas contentiosas ex toto orbe catholico ad curiam Pontificis delatas. Judices, ex quibus constituitur hoc tribunal, sunt duodecim ex diversis Ecclesiæ partibus assumpti. Hos inter, octo sunt Itali, duo Hispani, unus Gallus et alter Germanus. Sic ex constitutione Sixti IV. Hi omnes *auditores Rotæ Romanæ* dicuntur, eo quod, ut aiunt, olim fuerint meri causarum auditores et relatores, non autem proprie judices.

128. — QUÆR. 3^o *Quid de Bullis, Brevibus et Rescriptis pontificiis?*

Resp.: 1^o *Bullæ* sunt quædam Romanorum Pontificum Constitutiones,

¹ De modo quo conficiendæ sint litteræ ad S. Pœnitentiariam directæ, V. infra, t. II, n. 974. QUÆR. 12^o.

quæ graviora, ut plurimum, negotia respiciunt, et in Cancellaria apostolica membranis subfuscis et crassioribus, caractere *Longobardico* seu *Teutonico* exaratae, expediuntur. *Bullæ* dicuntur a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibentè hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis, quod inhæret funiculo serico vel cannabis¹.

Varia nomina ex variis objectis sortiuntur. Aliæ sunt *gratiosæ*, quæ *gratiæ* collationem continent. — Aliæ *justitiæ*, quæ *justitiæ* administrationem respiciunt. — Aliæ *consistoriales*, quæ in *Consistorio* expediuntur. — Aliæ *dimidiæ*, quæ a Pontifice nondum consecrato feruntur, et in sigillo non exhibent ejusdem nomen. *Bullæ* citantur vocabulis quibus incipiunt. *Bullaria* dicuntur Bullarum collectiones.

2^o *Brevia* dicuntur quædam Romanorum Pontificum Constitutiones pro negotiis ut plurimum levioribus. Per *Secretarium Brevium*, in membranis albis atque subtilibus, latino eoque nitido caractere conscriptæ, expediuntur. Sigillum habent ceræ rubræ, in quo impressa est imago S. Petri piscationem agentis, et ideo dicuntur expediri sub *Annulo Piscatoris*.

3^o *Rescripta* vocantur rogatorum Pontificum responsa. Duplex illorum genus. Alia instar *Epistolarum familiarium* feruntur, quæ dare solent Summi Pontifices sive cum orantur ab iis quibuscum habent peculiarem amicitiae relationem, sive cum de consilio tanquam viri docti et pii rogantur; nec iis ulla vis obligandi inest, utpote quæ magis ex animi comitate quam ex vera auctoritate procedant. Alia instar *Decretorum* a Pontificibus, tanquam S. Petri successoribus, et Ecclesiæ universalis Pastoribus atque Magistris feruntur; ac proinde illis vis inest maxima, cum per ea jus pontificum et suprema jurisdictio exerceatur.

129. — QUÆR. 4^o *An vim legis habeant Epistolæ pontificiæ, et responsa in corpore Juris non inserta.*

Resp. Affirm., si de earum authenticitate constet, et sufficienter promulgatæ sint, scilicet si eo modo publicentur, quo leges publicari solent, vel si ex usu et sensu Ecclesiæ universalis jam a pluribus sæculis habentur pro authenticis et sufficienter promulgatis. — *S. Lig., n. 100. Hom. apost., n. 34.*

130. — QUÆR. 5^o *Utrum vim legis habeant SS. Congregationum Declarationes et Decreta?*

Resp. 1^o: Decreta et Declarationes S. Congr. Rituum ut oracula ipsius Pontificis habenda sunt: sic ex Bulla Sixti V *Immensa*, et ipsius S. Congregationis decisione 23 Maii 1846, quam Pius IX approbavit confirmavitque. Hujusmodi Declarationes et Decreta *etiam in similibus casibus* obligare tenet communissima sententia, cui S. Congregationis et Tribunalium Urbis favet jurisprudentia. — Excipe, nisi agatur de responsis, quæ dantur in casibus particularibus ob peculiaria quædam rerum ac locorum adjuncta; ea enim ad similes casus non esse extendenda declaravit ipsamet S. Congregatio in una Capuccinorum, 8 apr. 1854.

Resp. 2^o: Cæterarum vero Congregationum Declarationes ac Decreta tan-

¹ Motu proprio SS. DD. Leonis PP. XIII, 29 dec. 1878, sublatus est in Litteris Apostolicis usus characteris teutonici; et limitatus est usus plumbei numismatis cum adjectis cordulis ad solemniora S. Sedis acta.

quam leges obligant in casibus particularibus, pro quibus fiunt. Utrum *in similibus casibus*? Quidquid plures senserint, quorum sententias refert *S. Alph. l. I, n. 106*, omnino tenendum videtur SS. Congregationes fuisse institutas ut unaquæque earum, auctoritate ipsamet pontificia sibi communicata, certas quasdam ac determinatas causas ultimo terminet; adeoque earundem decreta et declarationes, modo intra limites commissæ jurisdictionis contineantur, vim habere, quam haberent decreta ipsa vel rescripta pontificia. Obligant ergo vel non obligant *in similibus casibus*, eadem ratione ac si a Papa immediate emanarent, sive accedat eis, sive non accedat expressa subsequens Pontificis confirmatio, ut constat ex bullis institutionis SS. Congregationum, ac præsertim ex *Constit. Sixti V Immensa*, an. 1588. Obligant nempe, quando ex materia vel forma generalia sunt, v. gr., quando legem dubiam interpretantur, aut sub forma decreti generalis eduntur, etc.; non obligant quando speciales casus ob causam specialem respiciunt.

Advertit *S. Ligorius*, hujusmodi Declarationum promulgationem fieri posse multiplici modo: nimirum sive de speciali mandato Pontificis, sive per usum plurium annorum, vel relatione auctorum eas communiter referentium¹. — *S. Lig. Elench. Retract.*, 2^a serie, p. 2. — *Scavini, de Leg. c. III, n. 185*.

ARTICULUS II

DE LEGE CIVILI

131. — Lex seu jus civile est collectio legum vel decretorum Principum temporalium, quibus ad bonum commune societas dirigitur.

Singulæ nationes, seu communitates politicæ, proprias habent leges, quibus reguntur. Sed jus duplex præsertim distinguimus, scilicet: *Romanum* seu commune, et *Gallicum novum*, quod etiam nonnullis aliis guberniis magna ex parte commune est.

I. *Jus Romanum*. — Jus Romanum dicitur *commune*, quia vim fere ubique habuit ad nostra usque tempora. Magno autem in honore semper habitum est, tanquam exquisitum, et *quasi ratio scripta*.

Continetur in celeberrimo Codice, seu corpore Juris civilis, edito Justiniani jussu. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur.

In 1^a parte sunt *Institutiones Justiniani*, quæ, quasi rudimenta et elementa pro tironibus Juris civilis, quatuor libris continentur.

In 2^a parte sunt *digesta* seu *Pandectæ*, quæ in 50 libros distribuuntur.

In 3^a parte est codex, vocatus *Repetitæ prælectionis*, in 12 libros divisus.

In 4^a parte continentur 68 *Authenticæ* seu *Novellæ*, quæ numerico ordine designantur.

132. — II. *Jus Gallicum*. — Jus Gallicum novum a paucis annis existit; Gallia enim maxima ex parte jure communi ante Napoleonis tempora regebatur. Jus novum continetur in codice vulgo dicto *Code Napoléon*.

¹ Communis est fere Theologorum et Canonistarum sententia declarationem legis interpretativam promulgatione non indigere ut obliget, si *comprehensiva* sit et non *extensiva* (*supra*, n. 112): sensum enim explicat legis præexistentis, novam autem legem non statuit. — V. *Reiffenstuel, J. Canon. Proœm. n. 133*.

Quinque sunt illius partes, seu codices particulares : 1^o *codex civilis*, 2^o *codex processus civilis* (de procédure civile); 3^o *codex commercii*; 4^o *codex instructionis criminalis*; 5^o *codex pœnalis*. His accesserunt plures alii codices minores, minorisque momenti : nempe *codex silvarum* (code forestier), — *codex agrorum* (code rural), *codex municipiorum* (code municipal), etc. Res singulæ, in singulis codicibus contentæ, in breves et claros articulos distribuuntur, numerisque arabicis indicantur; ideoque facillime inveniuntur. Insuper multæ sunt leges, quæ in tabulis vulgo dictis *Bulletin des lois*, inscribuntur et asservantur.

CAPUT III

DE LEGE PŒNALI ET IRRITANTE

ARTICULUS I

DE LEGE PŒNALI

133. — Lex pœnalis ea est, quæ non obligat ad actum, vel ad omissionem, nisi sub pœna temporali, id est quæ obligat tantum ad acceptandam pœnam ut justam.

Principia.

I. Nequit dari lex *pure pœnalis*, ita ut nullo modo in conscientia obliget, quia omne præceptum Superioris aliquatenus obligare debet; secus enim non esset verum præceptum. — *Ita omnes.*

II. Potest autem dari lex *mere pœnalis*, ad alterutrum in conscientia obligans, nempe vel ad legem implendam, vel ad pœnam subeundam, si violata lex fuerit. Ratio est, 1^o quia ad legis essentiam sufficit ut imponat aliquam obligationem in conscientia, nec necesse est ut obligatio actum vel omissionem determinate respiciat; 2^o quia lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris : legislator autem ad solam pœnam obligare potest, si communi bono procurando sufficiat. — *Ita communissime theologi cum S. Lig. n. 143. — Suarez. — Salmant., etc.*

Quæstio vero an dentur aliquæ leges mere pœnales, minime potest speculative resolvi, cum dari possint alicubi, et non alibi. Soli igitur in sua regione aut ratione docti et periti de hoc judicare valent. Generatim paucæ, et in rebus minoris momenti, admitti possunt. Contendunt autem non pauci theologi, esse mere pœnales leges, quæ respiciunt quædam tributa imposita mercibus quæ transvehuntur, et quæ *Vectigalia* nuncupantur. *De his dicemus in Tract. de Restitutione, versus finem.*

Quæsitæ.

134. — QUÆR. 1^o *Quomodo dignosci possint leges mere pœnales?*

Resp. : Præcipue ex communi sensu Doctorum, et persuasione praxique subditorum præsertim timoratorum.

QUÆR. 2^o *An ignorantia excuset a pœna per legem lata?*

Resp. 1^o *Affirm.*, pro foro interno, si ignorantia excuset a culpa : in foro

autem externo non excusat, quatenus nunquam licet publicæ auctoritati resistere.

Resp. 2^o *Neg.*, si ignorantia non excuset a culpa, aut circa solam pœnam versetur. Excipe si pœna sit gravissima seu exorbitans, vel censura ecclesiastica, quæ requirit contumaciam. — *S. Lig. n. 169.*

QUÆR. 3^o *An sint leges aliquæ Ecclesiæ mere pœnales?*

Resp. : Mere pœnales sunt regulæ multorum Ordinum religiosorum, quæ non ad culpam obligant. Esse autem in potestate Ecclesiæ ejusmodi leges condere, si velit, etiam quoad universitatem fidelium, dubitari non potest. Verumtamen raro utitur, imo nunquam forte usa est hac potestate, propterea quod leges plerumque non ferat, nisi de rebus necessariis aut saltem magni momenti, ad salutem animarum spectantibus, in quibus magis expedit, ut conscientia obligetur, quam ut pœna infligatur. Aliunde, utpote pia mater, pœnam fere non statuit, ubi non adest culpa. — *Reuter, n. 126. — V. Cas., n. 125.*

ARTICULUS III

DE LEGE IRRITANTE

135. — Lex irritans ea est, quæ statuit aliquem actum a principio invalidum esse, vel judicis sententia invalidandum. Hinc dantur leges ipso facto irritantes, aliæ vero post sententiam tantum. Aliæ sunt irritantes absolute, et aliæ conditionate si nimirum deficient requisitæ conditiones. Insuper aliæ immediate irritant actum ipsum, ut impedimentum matrimonii ob clandestinitatem; et aliæ mediate, personas ipsas inhabiles reddendo, ut impedimentum consanguinitatis.

Principia.

I. Omnis legislator leges irritantes condere potest; ratio, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanæ propulsari satis nequirent. — *Suarez.*

II. Leges, quæ statuunt actus rescindi posse, eos ante judicis sententiam non irritant, ut ex terminis patet, et proinde ante ejusdem sententiam vim non sortiuntur.

III. Sententiæ autem judicis irritantis standum est in iis omnibus quæ intrinsece ex irritatione nascuntur, quia auctoritati præcipienti obtemperandum est. *Suarez.*

Quæsitæ.

136. — QUÆR. *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?*

Resp. Affirm., si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges matrimonii impedimenta statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus. — *Reuter, n. 232.*

QUÆR. 2^o *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediatur?*

Resp. Neg. per se, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitæ, nec tollit gravia incommoda quæ sequerentur, si lex in omni

casu non irritaret. Sic mulier violata a viro incognito, invalide nubit cum ejusdem fratre, non obstante ignorantia invincibili impedimenti affinitatis.

Excipe tamen, si lex irritet unice in pœnam et odium delicti; quia tunc solam malitiam punire intendit, et proinde, cessante causa, effectus etiam cessare debet. — *Suarez.* — *Lacroix*, etc.

QUÆR. 3^o *An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi, irritet?*

Resp. Affirm., nisi agatur de damno communi; ratio, quia lex irritans actum potius quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiae, sed de bono communi; secus enim homines facilius sibi fingerent incommoda et lex totum robur suum amitteret. Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis, sine dispensatione initum. — *Lacroix*.

CAPUT IV

DE LEGE NON SCRIPTA, SEU DE CONSUETUDINE

137. — DEFINITIO. Consuetudo, prout causaliter consideratur, est agendi mos ex frequentibus communitatis totius, vel majoris ejusdem partis, actibus inductus; formaliter vero est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege accipitur, cum deficit lex. — Ita ex Isidoro habet *cap. Consuetudo* 5, *dist. 1.* — In hac definitione nomen legis intelligitur de lege scripta.

DIVISIO. Consuetudo alia est *secundum jus* seu *legem*, quæ legem præexistentem interpretatur, confirmat aut adjuvat; et hæc constituit jus, non ubi plene deficit lex, sed ubi lex deficit quoad interpretationem, firmitatem aut observationem. — Alia est *præter jus* seu *legem*, quæ jus constituit, ubi lex nihil præcipit aut prohibet, id est totaliter deficit, et huic apprime convenit definitio Isidori. — Alia est *contra jus* seu *legem*, quæ statuitur contra receptionem legis aut ad abolendam legem receptam; et hæc instituit jus legis revocatorium, ubi lex abrogans scripta deficit.

Principia.

I. Consuetudo, debitis vestita conditionibus, vim habet revera novum jus inducendi, vetus abrogandi, vel penitus, vel ex parte, v. gr., quoad pœnam, remanente obligatione, aut vice versa; itemque legem modificandi, vel interpretandi. Constat ex variis Juris tum canonici tum romani locis, quibus indubie eruitur, consuetudinem pro lege habendam esse. Constat pariter ex communi sententia theologorum et legisperitorum. Hinc axioma: *Consuetudo, optima legum interpret.*

II. Conditiones ad legem inducendam vel abrogandam sunt: 1^o Ut consuetudo sit rationabilis. Ad hoc autem requiritur, ut nervum ecclesiasticae disciplinæ non disrumpat; ut præterea non sit fomes et occasio peccatorum, nec bono communi pernicioso. *Bouix.* — 2^o Ut sit a communitate (et quidem a majore ejusdem parte, habili ad condendam legem, *Bouix*) inducta per actus repetitos (et non interruptos usque ad completam consuetudinem, *Reiffenstuel*), voluntarios (id est, non vi aut metu, errore vel ignorantia inductos, *Bouix*), publicos, cum animo saltem implicito se obligandi (si

agatur de consuetudine præter legem). — 3^o Ut duret tempore requisito, si præscriptione statuatur. — 4^o Ut ei accedat consensus Principis vel expressus, vel tacitus, vel legalis. Principe enim non consentiente, atque a fortiori resistente, seu, quod idem est, sine voluntate aut contra voluntatem Principis, nihil a populo fieri potest quod vim legis obtineat.

Quæsitâ.

138. — QUÆR. 1^o *Quid sit consensus tacitus, quid consensus legalis?*

Resp. : Consensus *tacitus* tunc adest, quando Princeps consuetudinem novit et tamen ei non contradicit, cum commode contradicere posset : sic enim dum tacet, consentire videtur.

Consensus *legalis*, qui et *generalis*, ac *juridicus* appellatur, ille est, qui datur per legem, sive per jus ipsum, quod in antecessum et universaliter approbat omnes consuetudines rationabiles et legitime præscriptas. Ad ejusmodi consensum non requiritur ut Princeps consuetudinem cognoscat. — Communissima est Doctorum sententia consensum legalem admitti a jure canonico tanquam sufficientem ad consuetudinem firmandam, quæ de cætero est rationabilis, et tempore duravit ad præscribendum requisito. Et patet ex *c. Cum tanto 11, tit. 4, de Consuetudine, lib. 1 Decret.* — *Reiffenstuel, in 1 Decret., tit. 4, § 5, n. 138.* — *Bouix, de Princ. p. 370.*

QUÆR. 2^o *Utrum requiratur tempus aliquod determinatum, ut consuetudo vim legis obtineat.*

Resp. 1^o *Neg.*, si Princeps in eam vel expresse, vel tacite consentiat. Namque statim ac subditorum voluntati accedit Principis voluntas, omnes obligantur ut ei obsequium præsentent, et eam pro lege habeant.

Resp. 2^o *Affirm.*, si per consensum legalem tantum firmetur. Ita enim jura exigunt, et quidem sapienter, ne citius quam par est, in scio Principe, novæ leges introducantur, aut veteres leges abrogentur. — *Ita communiter.*

Hæc temporis duratio per analogiam *præscriptio* appellari consuevit; unde præscriptio locum non habet nisi quoad consuetudinem quæ vim suam habet a solo consensu legali.

QUÆR. 3^o *Quodnam tempus requiratur ut consuetudo dicatur legitime præscripta?*

Resp. : Pro consuetudine *secundum* aut *præter jus*, decennium communiter requirunt; pro consuetudine vero quæ est *contra jus*, *controvertitur*, nec conveniunt inter se theologi aut jurisperiti.

Plerique dicunt, decennium sufficere et requiri ad legem civilem præscribendam. Idem etiam affirmant multi pro lege ecclesiastica, licet alii quidam, cum *Billuart*, 40 annos requirant. — Ita *S. Lig. n. 107; Hom. apost. n. 11¹.*

139. — QUÆR. 4^o *Quandonam consuetudo censeatur inducta cum animo se obligandi?*

Resp. : 1^o Si Doctores in id consentiant; 2^o si consuetudo sit de re gravi et difficili, et tamen dici possit constanter et communiter servata; 3^o si

¹ In casibus particularibus expendendis, cavendum est ne confundatur tempus ad præscribendum *contra legem* necessarium et tempus quod requiritur ad præscribendum *contra jus* tantum per legem alicui personæ vel personarum cœtui collatum. De priori solum hic agitur.

Superiores graviter reprehendant consuetudinum violatores. — *S. Lig.* n. 107.

QUÆR. 5^o *Quid in dubio an consuetudo legis vim habeat?*

Resp. : In dubio, facta inquisitione, valet principium : *Lex dubia non obligat*. Hæc autem inquisitio consistit in sensu hominum proborum indagando.

140. — QUÆR. 6^o *Quid tenendum de variis consuetudinibus ecclesiasticis Galliæ propriis?*

Resp. : Hac de re sic propriis verbis *Bouvier* (*editio juxta animadversiones a nonnullis theologis Romanis propositas emendata*), c. II, art. 5 :

« Certum est, quoad Galliam Summos Pontifices consuetudines omnes
« juri communi contrarias non admittere... Licet enim Summi Pontifices
« contra hasce consuetudines non semper potuerint reclamare, ob gravia
« incommoda, sive publica, sive personalia, sibi aut aliis merito timenda,
« hoc tamen silentio easdem consuetudines ratas non habuisse credendum
« est. Jam Sancta Sedes mentem suam aperuit tum in specie circa obliga-
« tionem Bullæ S. Pii V de liturgia Romana, tum in genere circa pontificias
« Constitutiones disciplinam generalem spectantes, quas admitti jussit a
« Concilio provinciæ Parisiensis anni 1849, ut videre est in actis ejusdem
« Concilii.

« Certum est tamen, mentem Sanctæ Sedis non fuisse, omnes consuetu-
« dines diœcesibus Galliæ proprias penitus destruere.

« Quænam vero juris communis, aut Conciliorum generalium Decreta,
« quænam Apostolicæ Constitutiones vim legis habeant, et quænam con-
« suetudines supremi legislatoris consensu in diœcesibus ratæ habendæ
« sint, in dubio ad Sanctam Sedem recurrendum est. » — *V. Cas.*, n. 132.

« Multa quæ respiciebant beneficia, privilegia fori externi, formas judi-
« ciorum, nunc sunt absque re in Gallia. Unde maxima pars difficultatum
« Juris Ecclesiastici evanuit.

« Consuetudinibus apud nos certe et sine [injuria auctoritatis Ecclesiæ
« receptis omnes Sacerdotes tuta conscientia uti possunt : imo ab illis in
« praxi recedere nequeunt, quia ordo perturbaretur, v. gr., si jurisdictionem
« ab Episcopo acceptam insufficientem judicarent, dispensationes concessas
« æstimarent nullas, etc. Episcoporum et non simplicium Sacerdotum est de
« regulis disciplinæ judicare. » — *Bouvier, ibid.*, c. III, art. 1, § 2.

CAPUT V

DE LEGE FAVORABILI, SEU DE PRIVILEGIO

141. — Privilegium est gratia constans et permanens certis personis, vel certis dignitatibus *contra* vel *præter* legem communem a Superiore concessa.

Distinguitur privilegium

1^o *Personale, locale, vel reale*, prout conceditur certæ personæ, aut incolis certi loci, aut alicui rei, v. gr., certæ Ecclesiæ;

2° *Contra legem*, vel *præter legem*, prout per illud alicui legi derogatur, vel secus;

3° *Favorabile*, vel *odiosum*, prout privilegiato prodest secluso aliorum gravamine; aut alios aggravat, dum uni favet.

Principia.

I. Privilegium *contra legem* tantum concedi potest ab illis qui a lege valide dispensare queunt, et quidem solis subditis, non secus ac si de dispensatione ageretur, quia genus quoddam dispensationis est.

II. Privilegium autem *præter legem*, seu privilegium improprie dictum, potest concedi etiam non subditis, quia non est actus jurisdictionis, sed actus meræ facultatis et quasi donatio. Sic Princeps potest concedere extraneo privilegium venandi in suo territorio.

III. Privilegium *favorabile* large interpretandum est. Contra, privilegium *odiosum* strictæ interpretationis esse debet. Evincitur ex jure, et consonat communis Doctorum consensus. — *S. Ligor. Append. de priv., in fine Tract. de Legibus, n. 7.*

IV. Nemo tenetur *per se* uti privilegio, quia unusquisque juri suo renuntiare potest; aliquando tamen *per accidens* privilegiatus obligatur ad usum privilegii: 1° ratione caritatis; sic qui habet facultatem absolvendi a reservatis, peccatorem reservata habentem et in gravi necessitate positum audire tenetur; 2° ratione boni communis, quando nempe privilegium non est personale, sed reale, addictum loco, vel dignitati, vel statui; sic privilegio immunitatis uti debent omnes clerici, et regulares renuntiare non possunt privilegio exemptionis. — *S. Lig., ibid., n. 3.*

Quæsitæ.

142. — QUÆR. 1° *Quomodo cesset privilegium?*

Resp.: 1° Morte personæ, vel interitu rei, prout est personale, vel reale; 2° lapsu temporis præscripti, vel revocatione; 3° cessatione causæ finalis; 4° renuntiatione acceptata ab eo qui illam acceptare potest.

QUÆR. 2° *An peregrini possint gaudere privilegiis locorum quæ peragunt, etsi sint contra legem communem?*

Resp. Affirm. Constat ex consuetudine generali. Sic Galli transeuntes per Hispaniam, carnibus die sabbati vesci possunt. Sic etiam Itali in Gallia existentes, ab obligatione Missæ audiendæ in festo Epiphaniæ Domini et nonnullis aliis, quæ ibi non servantur, festis eximuntur.

De privilegiis autem in particulari dicitur suo loco, et præsertim de privilegiis *Clericorum, Episcoporum*, in *Tract. de Statibus particularibus, in princ. tom II.*

TRACTATUS DE PECCATIS

Agendum 1° de peccatis in genere ; — 2° in specie.

PARS PRIMA

DE PECCATIS IN GENERE, SEU DE NATURA, GRAVITATE
ET DISTINCTIONE PECCATORUM

CAPUT I

DE NATURA PECCATI

143. — DEFINITIO. Peccatum communiter definitur : Libera transgressio legis divinæ, id est, cujuslibet legis in conscientia obligantis. — *S. Lig. n. 1.* — Vel « est voluntarius recessus a lege Dei ». — *Ita S. Thom. 1. 2., q. 72, art. 1.* — Vel « est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam ». — *S. Aug. lib. XXII contra Faustum, c. XXVII.*

DIVISIO. Peccatum multipliciter distinguitur, scilicet :

1° *Actuale*, vel *habituale*, prout est vel actus aut omissio legi difformis, vel status peccati nondum deleti.

2° *Mortale*, vel *veniale*, prout vel solvit amicitiam divinam, vel est levis tantum Dei offensa, quæ veniam facile mereri potest.

3° Peccatum *commissionis*, vel *omissionis*, prout fit positione actus prohibiti, aut omissione actus præcepti.

4° Peccata contra *Deum*, *proximum*, et *seipsum*, prout specialiter et immediate Deo repugnant, vel justitiæ et caritati proximo debitæ adversantur, aut speciatim temperantiam et passionum moderationem respiciunt.

5° Peccata *malitiæ*, vel *ignorantiæ*, vel *infirmittatis*, prout vel ex mera malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel ex mera fragilitate committuntur.

Peccatum dicitur *formale*, quando lex libere et scienter violatur. Dicitur autem *materiale*, quando transgressio legis est prorsus involuntaria.

Nihil dicemus de peccato originali, cujus tractatio ad theologiam speculativam pertinet.

Ad peccatum formale, præter malitiam objectivam actus, requiritur ad-

vertentia mentis et consensus voluntatis. Ac 1° quidem requiritur advertentia mentis ad malitiam, quia malitia peccati non potest esse objectum voluntatis, nisi ope intellectus aliquo modo cognoscatur: *ignoti enim nulla cupido*; 2° requiritur consensus ex parte voluntatis; peccatum enim voluntate perficitur, juxta illud Matth. xviii, 19: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, etc.* — *Recole dicta de Act. hum. n. 3 et seq.*

De utraque hac conditione breviter agendum.

I. De advertentia mentis.

Principia.

144. — I. Ad peccatum actuale requiritur necessario aliqua advertentia actualis. Repugnat enim hominem peccare, quin aliquo modo vel hic et nunc, vel in causa, saltem *in confuso*, ad peccatum advertat. *Nihil enim volitum, quin fuerit præcognitum.* — *Ita communissime, ait Lacroix, n. 16.*

Contradicunt quidem aliqui, asserendo sufficere ad peccatum advertentiam *virtualem*, seu *interpretativam*, quæ in eo consistat quod homo *debeat* et *possit* advertere, quamvis *actualiter* non advertat. — *Ita Collet, Concina, etc.* — Sed hæc sententia rejicienda est. Etenim nihil potest esse volitum, nisi eo modo et tempore quo est cognitum: effectus enim causæ voluntariæ non sunt voluntarii, nisi quando vel determinate, vel confuse saltem cognoscuntur. Peccatum igitur absque ulla actuali cognitione commissum est mere materiale. Nec dicant illud esse forsitan voluntarium *in causa*: nam si fuit vere voluntarium in causa, tunc necessario affuit aliqua cognitio, ac proinde tunc peccatum, si non quoad executionem, quoad voluntarietatem saltem et id quo formaliter constituitur, plene jam existit.

II. Voluntatis motus primo-primi, nempe qui præveniunt quamlibet rationis deliberationem, et eliciuntur antequam attendatur ad objecti convenientiam cum regula morum, prorsus culpa carent. Ratio, quia, quatenus deliberationem rationis et advertentiam ad moralem malitiam præveniunt, nec voluntarii sunt nec liberi, et consequenter formalis peccati sunt expertes. Ita theologi omnes.

III. Motus voluntatis secundo-primi, qui scilicet ad aliqualem rationis usum consequuntur, eliciuntur tamen cum tenui tantummodo, obscura, et imperfecta ad regulam morum advertentia, in qualibet etiam gravi materia sunt solum peccatum veniale. Ratio, quia ejusmodi actus sunt imperfecte liberi et solum semi-deliberati; adeoque propter imperfectionem actus a gravi culpa excusantur. Ita pariter communis theologorum.

Resolves.

1° Ignorantia vincibilis circa præceptum aliquod est peccatum, et in re gravi potest esse grave, si negligentia notabilis fuerit: ratio, quia omnis lex obligat primo ad sui notitiam, et proinde violatur præceptum non solum per actum ipsi oppositum, sed etiam per voluntariam ejus ignorantiam.

2° Actus mali eam habent malitiam, quæ apprehenditur. Unde si incidat cognitio de malitia tali, seu taliter specifica, hæc vere per actum voluntatis contrahitur. — *Ita communiter.*

3° Si quod peccatum prævisum in causa fuerit, et dein cum advertentia actu a priori formaliter distincto ponatur, duplex habebitur peccatum, nempe 1° in causa voluntaria, 2° in se ipso.

4° Si ignorantia, culpabilis in principio, invincibilis evadat, actus malus non est peccatum in se, sed ratio peccati a sola causa repetenda est. Porro invincibilis evadet, si nulla amplius de negligentia præterita, aut de actuali ignorantia cogitatio subeat quia tunc deficit potestas proxima et expedita ad ignorantiam depellendam. Evadit etiam invincibilis ignorantia, si suboriens de ea dubium depelli non possit.

5° Obcæcati et consuetudinarii, quamvis, ob defectum clarioris tunc cognitionis, forte peccent quandoque minus graviter in actu quam alii, non tamen excusantur, quia status ejusmodi, ubi nulla est emendationis cura, est illis voluntarius et culpabilis.

6° Cæterum ægre admittenda est inadvertentia perfecta in consuetudinariis, quia saltem *in confuso* peccati malitiam advertunt. Si quando tamen actus malos omnino inadvertenter ex consuetudine perpetrent, hi actus peccata quidem in se dici nequeunt, quia hic et nunc non sunt voluntarii; verumtamen voluntarii sunt in causa, atque adeo semper ipsis imputantur, quia stricta obligatio pravæ consuetudinis corrigendæ semper urget.

Id ipsum dicendum est de aliis peccatis, quæ sunt voluntaria mere in causa; nimirum tunc reatus formaliter contrahitur, cum causa ponitur voluntarie; et cum totus reatus formaliter in causa resideat, eodem modo hic aderit, sive actus ejusmodi consequantur, sive non, et sive pauciori, sive majori numero iidem frequententur: quando vero re ipsa consequuntur, singuli eorum unum actum malum cum causa constituunt, sicut diximus supra (n. 23), de actu externo et interno peccati; et, juxta veriore sententiam (S. Lig. l. IV, n. 149), totidem dicuntur et sunt peccata, quot sunt actus seu effectus inter se omnino distincti.

II. De consensu voluntatis.

Principia.

145. — I. Utcumque pravi fomitis, seu pravæ concupiscentiæ stimulis animus pulsetur, nulla unquam aderit peccati labes, nisi aliquo modo voluntas eis consentiat. Constat ex *Conc. Trid.*, sess. V, can. 5, aiente: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit: quæ, cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet.*

II. Eo modo debet voluntas motibus concupiscentiæ non consentire, ut eis repugnet, seu ab eis dissentiat. Constat iterum ex *Conc. Trid.*

Resolves.

1° Motus utcumque pravi, quousque voluntati displicent, etiam post advertentiam ad regulam morum, omni culpa vacant.

2° Motibus concupiscentiæ, post rationis advertentiam, resisti debet saltem per displicentiam virtualem, animum scilicet ad alia distrahendo, nec sufficit se negative seu neutraliter tunc habere, etiamsi periculum consensus abesse videatur. *Ita communiter theologi.*

3° Potissime vero id valet quoad motus concupiscentiæ in re venerea; qui ne prætextu quidem luctæ et exercitii virtutis retineri debent.

4° Nulla tamen adest obligatio carnalibus motibus positive resistendi, cum talis resistentia subinde magis illos excitet; multo minus necessaria est resistentia materialis.

5° Non modo quoad carnales motus, sed etiam quoad motus contra Fidem et Caritatem resistentia mere indirecta per distractionem mentis consulenda est, potiusquam directa aliqua resistentia seu oppugnatio. — *S. Alph. n. 6.*

6° Nec item tenemur ad positivam resistentiam adversus quamlibet tentationem, quæ diu protrahatur; hoc enim nimis molestum, et innumeris scrupulis obnoxium foret.

7° Quando absit periculum consensus, in motibus concupiscentiæ mere negative se habere, juxta veriore sententiam, peccatum tantum veniale est, licet de objecto gravi agatur, nec alia adsit causa a resistentia excusans. — *S. Alph. n. 9.*

QUÆRES : *Quænam sint remedia contra motus concupiscentiæ?*

Resp. : Ea generatim, quæ eorum causis opponuntur. Hinc si proveniant ex phantasia, hæc compescenda est, aut ad alia convertenda; si ex objectis externis, aut occasionibus, hæc fugienda, nisi justæ rationes contra exigant, aut ab omnibus objectis quis moveatur; si ex complexione, vel humorum abundantia, mortificatio adhibenda est; si ex timore, vincendus hic est, seu spernendi sunt motus. — *V. Casus, n. 21.*

CAPUT II

DE GRAVITATE PECCATI, PRÆSERTIM DE PECCATO MORTALI ET VENIALI

146. — DEFINITIONES. *Gravitas peccati* est quantitas seu mensura malitiæ, qua peccatum est magis vel minus Dei offensivum, et proinde majori vel minori pœna dignum.

Peccatum mortale est transgressio legis graviter obligantis, seu gravis offensa Dei, privans amicitia divina, et gratia sanctificante, et peccatorem reddens æterna pœna dignum.

Peccatum veniale est transgressio legis leviter obligantis, seu levis offensa Dei quæ nec privat amicitia divina, nec gratia sanctificante, nec proinde ab æterna beatitudine excludit.

Quædam peccata sunt mortalia *ex toto genere suo*, quando eorum objectum seu materia, ex seipsa, præseindendo a conscientia erronea, semiplena advertentia vel imperfecto consensu, intra totum suum genus, adeoque omnibus suis speciebus inferioribus, et quæcumque ea demum sit, gravem

semper continet deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, perjurio, hæresi, etc., contingit. — Mortalia dicuntur *ex genere suo* (*non toto*), quando eorum materia, intra suum genus, nunc gravis est nunc levis, cujusmodi sunt peccata contra justitiam. — Venialia vero *ex genere suo* dicuntur peccata quæ, spectata objecti materia seu natura, intra suum genus non admittunt gravem reatum, et ideo quousque in aliud, accedente aliunde nova deformitate mortali, non transferuntur, nequeunt mortalia esse. — *S. Lig. n. 51. — Lacroix, n. 199.*

Hijs positis, sint sequentes propositiones :

PROPOSITIO I

Non omnia peccata sunt æqualia, sed sunt alia aliis graviora.

147. — *Prob. 1° ex Scriptura sacra. Jeremias, vii, ait de Israelitis : Pejus operati sunt, quam patres eorum.* — Sic Christus Pilato, Joann. xix: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

Prob. 2° ex ratione. Dicendum, data proportione, de injuriis hominum in Deum, quod dicitur de injuriis filiorum in parentes, vel subditorum in Principes; atqui istæ sane inter se differunt *ratione gravitatis*: ergo etiam illæ. — Insuper peccata sunt oppositio ad virtutes et præcepta; atqui sunt virtutes aliæ aliis excellentiores, et præcepta alia aliis graviora: ergo oppositio ad hæc erit gravior, vel minus gravis. Aliunde etiam intentio prava delinquentis potest varios malitiæ gradus admittere, ut patet. Ergo...

QUÆR. *Undenam repetenda est major, minorve peccatorum gravitas?*

Resp. : Repetenda est generatim: 1° ex objecto, fine et circumstantiis, prout magis vel minus naturæ rationali, vel legi repugnant; 2° ex duratione actus mali, vel ex ejus intensitate; 3° ex advertentia majori vel minori ad malitiam actus, vel ex diverso gradu consensus actui pravo præstiti; 4° ex præstantia virtutum vel præceptorum quibus peccata opponuntur; 5° ex variis modis quibus virtutes aut leges violantur.

PROPOSITIO II

Dantur peccata mortalia.

148. — *Prob. 1° ex Scriptura sacra. I Cor. vi et seq. dicitur : Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* — Et Rom. i, 32: *Qui talia agunt, digni sunt morte.* — Et I Joann. iii, 14: *Qui non diligit, manet in morte.* — Adde innumera alia S. Scripturæ testimonia, ex quibus luculenter constat, multos homines propter peccata sua a Deo fore rejiciendos et pœnis æternis cruciandos.

Prob. 2° ex Ecclesiæ auctoritate. Ecclesia enim docet dari peccata mortalia. Sic *Trid., sess. VI, can. 27: Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, præ-*

terquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit. — Item, sess. XIV, c. v, ait : *Oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia... in confessione recenseri.* Ergo dantur peccata mortalia.

PROPOSITIO III

Dantur peccata mere venialia.

149. — *Prob. 1° ex Scriptura sacra. Prov. XXIV, 16, dicitur : Septies cadet justus, et resurget.* Ergo qui cadit seu peccat dum justus est, non peccat mortaliter, siquidem non privatur justitia; ergo tantum venialiter. Ergo... — Item, Jacob. III, 2 : *In multis offendimus omnes, atqui non peccamus omnes mortaliter, cum multi sint justis ante Deum, ut constat ex multis locis Veteris et Novi Testamenti, v. gr., ut dicitur de Zacharia et Elisabeth, Luc. I, 6; de S. Joseph, Matth. I, 19, etc.* Ergo sunt justis non immunes a peccato; ergo dantur peccata venialia.

Prob. 2° ex definitione Ecclesiæ. In Trid. loco supra citato dicitur : Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, ut in quæ frequentius labimur, multis aliis remediis (præter sacram. Pœnit.) expiari possunt. Constat etiam ex propos. 20 *Bañ* a Pio V et aliis SS Pontif. damnata, quæ sic sonat : *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Quæsitæ.

150. — QUÆR. 1° *In quo consistat differentia formalis inter peccatum mortale et peccatum veniale?*

Resp. : Differentia inter peccatum mortale et veniale in hoc sita est, quod qui peccat mortaliter, a Deo fine suo ultimo recedit, ut ad creaturam se convertat, atque in ea tanquam in fine suo quiescat; contra vero qui peccat venialiter, non recedit a Deo, sed actum ponit qui ad Deum neque tendit, neque ullo modo tendere potest. — *Ita communiter cum S. Thom., 1. 2., q. 72, art. 5.*

QUÆR. 2° *Quænam ad peccatum mortale requirantur?*

Resp. : Tria necessario requiruntur, scilicet : 1° materia gravis vel in se, vel ob circumstantias; — 2° advertentia plena ad malitiam gravem actus; — 3° consensus plenus voluntatis in prævaricationem.

Itaque : 1° requiritur materia gravis; secus enim non distingueretur peccatum mortale a veniali ratione materiæ.

2° Requiritur etiam plena advertentia, plenusque consensus, quia, cum per peccatum mortale homo totaliter recedat a Deo, ut creaturis adhæreat, id fieri non potest, nisi peccator deliberate objectum peccati Deo præferat, et sic suum finem ultimum in creatura constituat. Insuper a bonitate divina prorsus alienum est, hominem æternæ damnationi addicere sive propter transgressionem levem, sive propter actum non perfecte liberum et voluntarium. — *Ita omnes. — S. Lig. n. 5, 6, 53.*

Porro advertentia plena et sufficiens censetur, si cogitatio expressa, vel saltem implicita malitiæ mortalis consensum vel actum peccaminosum præcedat. Et hoc quidem etiam unico instanti fieri potest per simplex judi-

cium de malitia, quin mens per discursum pluries in seipsam speciali actu reflectat; attamen semper vera et plena mentis deliberatio, et objecto pravo plena adhæsiō requiritur.

QUÆR. 3^o *Quænam requirantur ad peccatum veniale?*

Resp.: Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis exigua, ad actus malitiam, et aliquis voluntatis consensus quantumvis imperfectus: requiruntur ista quidem, quia hisce sublatis nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse potest: sufficiens vero, quia illis positis mali cognitio et volitio, quæ ad peccatum constituendum necessariæ sunt, aliqua ratione habentur.

151. — QUÆR. 4^o *Quomodo peccata possint dignosci mortalia ratione materiæ?*

Resp.: Triplex regula assignatur.

I^a Regula. Recurrendum est ad *Scripturam sacram*. Quæ enim sint gravia, vel quæ levia, non humano sed divino sunt pensanda iudicio, ait *S. Aug., Ench. c. LXXVII.* Porro ea sunt mortalia existimanda, quæ in *S. Scriptura* declarantur digna morte, aut excludere a regno cælorum; vel quæ enuntiantur cum particula *væ*, quæ sane deformitatem vere gravem denotat. Sic *Apost. de operibus carnis, Galat. v, 19,* ait: *Quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... prædico vobis, sicut prædixi, quoniam quæ talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* — Recole etiam longam seriem peccatorum mortalium, quæ recenset *Apost. I Cor. vi et seq., ut supra Prop. II.*

II^a Regula. Recurrendum est ad *Ecclesiam*, seu ad definitiones *SS. Pontificum*, ad *Decreta Conciliorum generalium*, etc., in quibus plura declarantur mortalia, vel tantum venialia. *Ecclesia* enim est columna veritatis, et proinde ab ejus doctrina regula et mensura morum repetenda est.

III^a Regula. Recurrendum est ad *SS. Patres, ad Ecclesiæ Doctores*, nec non ad communem theologorum doctrinam. Etenim *SS. Patres et Doctores* fuerunt a Deo in medio *Ecclesiæ* positi tanquam lucernæ ardentes ad depellendas erroris tenebras, et ad fideles in via veritatis illuminandos. Theologi vero melius norunt quam cæteri *Scripturæ ac Patrum testimonia*, et *Ecclesiæ Decreta*, interpretari, atque casus non definitos cum definitis, non declaratos cum declaratis conferre, atque ex paritate vel similitudine opportunas deducere conclusiones. Quæ igitur ab ipsis unanimiter tanquam mortalia habentur, ut talia æstimanda sunt; *Doctorum enim consensus veritatis indicium est.*

152. — Deficientibus præmissis regulis, valde difficile est determinare quandonam peccatum sit grave vel leve. Generatim autem gravia censentur:

1^o Omnia peccata quæ sunt directe contra Deum, vel aliquam ejus perfectionem: item omnia peccata quæ vergunt in grave præjudicium generis humani, ut sunt variæ luxuriæ species;

2^o Omnia peccata quæ graviter repugnant fini magni momenti per legem intento, ut omissio jejunii, Missæ, confessionis annuæ, *Communions Paschalis*, etc.;

3^o Omnia peccata quibus graviter læditur proximus in bonis vitæ, fortunæ, famæ, etc., ut homicidium, detractio proximo valde noxia, furtum notabile, etc.

Ceterum limites inter peccatum mortale et veniale sæpe sæpius nullo

modo determinari possunt, ut constat ex innumeris Doctorum ea de re controversiis. Non est autem adstruendum mortale, nisi de eo certo constet, ut recte notat *S. Lig. Syst. mor., ad finem, et l. VI, n. 604, 605.*

153. — QUÆR. 5^o *Quomodo peccatum ex genere suo mortale fiat veniale, et vice versa?*

Resp. 1^o Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale quadruplici modo, ratione scilicet : 1^o parvitatæ materiæ; — 2^o imperfectæ advertentiæ; — 3^o imperfecti consensus; — 4^o conscientiæ erroneæ. — *Ita S. Thom., 1. 2., q. 88, art. 1 et 2. — S. Lig. n. 54.*

Resp. 2^o : Peccatum autem ex genere suo veniale fieri potest mortale : 1^o ratione conscientiæ erroneæ; — 2^o ratione scandali; — 3^o ratione pravi finis graviter mali; — 4^o ratione contemptus *formalis* legis, seu auctoritatis præcipientis; — 5^o ratione pravi affectus in rem alioqui leviter malam, adeo ut vel præceptum graviter obligans transgredi quis sit paratus; — 6^o ratione periculi seu occasionis proximæ in peccatum mortale labendi; — 7^o ratione demum cujuscumque circumstantiæ quæ mortalem in se malitiam contineat, et actui, prout bene observat *S. Thom., 1. 2., q. 88, art. 5*, ita accedat, ut ejus speciem immutet. — *Ita omnes.*

QUÆR. 6^o *An sit peccatum grave, periculo labendi probabiliter in mortale semet sine causa exponere.*

Resp. Affirm., si agatur de occasione proxima peccati, ut res per se patet; secus vero in aliis casibus, *Sanchez, In Decal. lib. I, cap. VIII, n. 1.*

154. — QUÆR. 7^o *An graviter peccaret qui sola mortalia vitare vellet, et de omissendis venialibus minime curaret?*

Resp. Neg. probabiliter per se juxta salis communem theologorum sententiam : etiamsi id ex proposito, et non ex mera incuria fieret, secluso tamen contemptu aut peculiari fragilitate. Ratio est, quia animus ita comparatus non inducit per se et necessario *proximum* peccandi graviter periculum. — Ast in praxi res lubrica est, cum facilitas peccandi venialiter causa sit, cur anima paulatim debilitetur, et facilius gravibus tentationibus demum vincatur, juxta illud *Eccli. XIX, 1* : *Qui spernit modica, paulatim decidet.* — *S. Lig. l. IV, n. 12.*

155. — QUÆR. 8^o *An peccet graviter, qui sine causa sufficienti ponit actionem ex qua turpes motus passurus sit?*

Resp. Non peccat graviter, si actio sit honesta, aut saltem non sit per se graviter influens in pravos effectus, adeoque mortalis per se in genere luxuriæ; modo eos non intendat, et absit periculum proximum consentiendi in pravam delectationem. Secus, si actio *per se* graviter in motus influat, ut sunt actus, qui per se graves sunt culpæ in genere luxuriæ, aut ex seipsis proximum inducunt peccandi periculum. — *S. Lig. l. III, n. 482-484.*

QUÆR. 9^o *An peccet graviter, qui deliberat de consensu rei graviter illicitæ præstando, si tandem non consentiat?*

Resp. : Solutio quæstionis pendet a qualitate deliberationis. Si enim hæc imperfecta sit, nempe si non sit nisi quædam hæsitatio, seu resistantiæ omissio ex torpore, pigritia, aut negligentia, peccatum veniale non excedet. — *Lacroix, n. 226.* — Si vero deliberatio sit plena, erit peccatum mortale, quia voluntas paratam se ostendit ad Deum peccato postponendum. — *Lacroix, l. V, n. 229.* — *Sanchez, in Decal. l. I, cap. I, n. 16.*

QUÆR. 10^o *An peccata venialia multiplicata peccatum mortale efficere possint?*

Resp. : Peccata venialia quantumvis multiplicata, per se loquendo et ratione multiplicationis, numquam in mortale coalescere possunt, quia singula in specie inferiori manent. Quandoque tamen ratione materiæ coalescentis ad mortale deveniunt, ut, v. gr., in materia justitiæ accidit.

Resolves.

156. — 1^o In praxi ad distinguendum peccatum veniale a mortali, sedulo attendendum est : 1^o ad naturam actus ; 2^o ad ejus gravitatem ex parte objecti, finis, et circumstantiarum ; 3^o ad gradum deliberationis, malitiæ, infirmitatis et ignorantiae.

2^o Ubi clarum non est aliquod peccatum esse mortale, non debet esse præceps Confessarius in judicando illud esse reapse grave tum objective tum subjective, quia in dubio pro minima parte standum est vel saltem res est divino judicio relinquenda. — *S. Lig. n. 52.* — *S. Thom.* — *S. Antoninus*, etc.

3^o In dubio de perfecto consensu judicabis in favorem pœnitentis : 1^o si sit timoratæ conscientiæ et habitualiter paratus sit mori potius quam Deum offendere ; 2^o si advertens plenius ad tentationem territus fuerit, eamque statim repulerit ; 3^o si nesciat an vigilans vel dormiens, an sui plane compos quidpiam mali fecerit aut voluerit. — *Elbel, n. 178.* — *S. Lig. lib. VI, n. 476.*

4^o Confessarius non satisfacit muneri suo, si nullam curam adhibeat, quo pœnitentem a frequentia peccatorum venialium, eorum præsertim quæ plena cum advertentia committuntur, removeat. Quippe qui nihil prorsus satagit vitare venialia, paulatim in mortale aliquod prolabi demum solet. — *V. Casus, n. 144 et seq.* — *Roncaglia, c. I.*

CAPUT III

DE DISTINCTIONE PECCATORUM

Agendum 1^o de distinctione specifica ; — 2^o de distinctione numerica.

ARTICULUS I

DE DISTINCTIONE SPECIFICA

DISTINCTIO *specifica* peccati oritur ex speciali malitia, seu ex diversa deformitate, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt.

Prima regula posset esse eam distinctionem ex objectis desumi : verissima est enim doctrina *S. Thomæ* asserentis (1. 2., q. 18, art. 2 ; q. 72, art. 1) actus humanos ac præsertim peccata *primario* et *per se* distingui specie secundum objecta. Veruntamen, cum ipsorum objectorum malitia ab eorum oppositione cum lege et recta ratione, adeoque cum præceptis et

virtutibus, repetenda sit, statuunt communiter theologi duas alias regulas faciliores, et ad praxim magis accommodatas.

Regulæ.

157. — *I^a regula.* Desumitur distinctio specifica peccatorum ex oppositione ad diversas virtutes, necnon ex deformitate moraliter diversa contra eandem virtutem.

Ratio 1ⁱ patet, quia singulæ virtutes habent suam bonitatem specialem, et omnino distinctam : ergo etiam peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario contrahunt. Sic negatio veritatis revelatæ, desperatio, odium Dei, inter se specie differunt. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, scilicet Fidei, Spei, et Caritati.

Ratio 2ⁱ est, quia, ubi malitia est moraliter diversa contra aliquam virtutem, eidem speciali modo repugnat, et novam classem deformitatis constituit. Est autem moraliter diversa hæc malitia, quando opponitur variis officiis ejusdem virtutis, vel modo omnino disparato et opposito hanc virtutem lædit. Sic homicidium, furtum, detractio, specie inter se differunt, licet eidem virtuti, justitiæ scilicet, adversentur, quia opponuntur diversis officiis ejus virtutis, quæ jubet ut nemo lædatur sive in bonis vitæ, sive in bonis fortunæ, sive in bonis famæ; præsumptio et desperatio pariter inter se specie differunt, quia una per excessum, altera per defectum eidem virtuti Spei adversantur. — *S. Lig. n. 31.*

158. — *II^a Regula.* Specifica peccatorum distinctio desumitur etiam ex violatione præceptorum moraliter diversorum.

Peccatum enim est legis seu præcepti transgressio; ergo ubi præcepta specie morali inter se differunt, etiam peccata ipsis opposita specie differre debent. Sic omissio Missæ die festo, omissio jejunii præcepti, omissio confessionis annuæ vel Communionis Paschalis, specie inter se differunt. Dicuntur autem præcepta moraliter diversa, quoties diversum habent objectum, ut jejunium, auditio Missæ, abstinentia a carnibus; vel quoties motivum intrinsecum præcepti est diversum, licet objectum idem sit. Sic duplex peccatum specie diversum patrat, qui in Quadragesima omittit jejunium, ad quod aliunde ratione pœnitentiæ sacramentalis tenetur. Contra vero furtum est unicum peccatum, licet divina et humana lege prohibeatur, quia eadem est ratio prohibitionis. — *S. Lig. n. 33.* — Si quis autem recte attendat, perspiciet hanc secundam regulam vel ad primam revocari, vel saltem non posse ullo modo sine prima in usum deduci. Objecta enim variorum præceptorum ideo tantum in genere moris diversa sunt, quia pertinent ad diversas virtutes, aut ad diversa ejusdem virtutis officia; motivum vero intrinsecum uniusejusque præcepti est ipsamet virtus aut officium virtutis ad quod præceptum refertur.

Cæterum, quæ in utraque regula continentur, sequentes exhibent versiculi :

Virtus, præceptum, diversa objecta, modusque
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

Resolves.

159. — 1^o Quatuor diversa peccata committit, qui, ligatus voto casti-

tatis, peccat cum consanguinea conjugata, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe, castitatem, religionem, pietatem et justitiam.

2° Tripliciter peccat, qui occidit Sacerdotem vel Religiosum in ecclesia; quia violat justitiam occidendo, et Religionem duplici modo specificè diverso, violando scilicet personam sacram et locum sacrum.

3° Non committit peccata specie diversa, qui omittit Missam die Dominica, in quam aliud festum de præcepto incidit, v. gr., B. M. Assumptio, nec qui violat jejunium vigiliæ aut quatuor Temporum in Quadragesima incidentium, quia præcepta illa non sunt formaliter diversa.

4° E contrario, tria peccata specie diversa patrat unico actu, qui omittit jejunium, ad quod eadem die obligatur ex præcepto Ecclesiæ, ex voto, et ex poenitentia sacramentali; idcirco in confessione triplicis hujus obligationis violatio aperiri debet.

5° Specie differunt hæresis et omissio actus Fidei, qui ex præcepto fieri debeat; item desperatio et omissio actus Spei; vel odium Dei et omissio actus Amoris debiti; atque ita plura commissionis et omissionis peccata, quorum unum repugnat præcepto affirmativo, alterum negativo: sæpe enim utriusque præcepti motivum intrinsicum diversum est. Si tamen aliquando idem sit, materialiter tantum et non formaliter negativum præceptum differt ab affirmativo, ideoque peccata commissionis et omissionis non distinguuntur specie, prout multi docent cum *S. Thoma* (1. 2., q. 72, art. 6). — *V. Suarez, disp. III, sect. 1.* — *Salm. tr. XX, c. x, p. 1.* — *Lacroix, l. V. n. 144, 145.*

6° Specie differunt detractio, judicium temerarium, et contumelia, quia modo diverso justitiam lædunt. Furta vero specie non differunt ob diversa bona fortunæ surrepta, quia hæc, cum referantur ad idem commercium, eundemque usum hominum, moraliter unum quid reputantur.

7° Specie differt violatio jejunii per esum carnis, et per multiplicem refectionem, quia præceptum virtualiter duplex violatur, quatenus scilicet cibi qualitatem et quantitatem præscribit.

ARTICULUS II

DE DISTINCTIONE NUMERICA

Agimus de distinctione numerica peccatorum intra eandem speciem: certum est enim peccata, quæ specie distinguuntur, multo magis adhuc numero distingui, unde nulla peculiaris regula de iis statuenda est.

Regulæ.

160 — *1ª Regula.* Numerica peccatorum distinctio desumitur *ex diversitate objectorum totalium* seu *moraliter diversorum.* — *Ita communiter cum S. Lig. n. 45.*

Objectum totale illud in præsentī dicimus, quod, vel ex natura sua vel ex modo quo intenditur, numero distinguitur in genere moris a quocumque alio objecto, et in se omnino completur, quod proinde per se solum unum numero *totum morale* ita efficit, ut, neque sit pars alterius objecti, neque

ad aliud quod compleat referatur. Sic in homicidio unicum habetur objectum *totale*, licet homicida varios actus prævios præmiserit, quæ varia habebant objecta, v. gr., quærendo arma, struendo insidias, aut pluries percutiendo, quia omnia ista objecta habenda sunt ut partes objecti principalis, et ad illud ordinantur. — Porro unum et idem objectum potest esse vel non esse *totale* pro vario modo quo intenditur. Sic vulnus inflictum in homicidio, tactus turpis in fornicatione non sunt objecta *totalia*, quia partes sunt tantum homicidii et fornicationis; si autem in se intendantur, quin ordinentur ad peccatum aliquod principale, habenda sunt ut objecta *totalia*.

Ratio assertionis est, quia objectum, prout docet *S. Thomas* (1. 2., q. 18, art. 2), est quodammodo forma actus; adeoque necessario efficit, ut actus talis sit, quale ipsum est. Ergo ubi sunt plura numero objecta in genere moris, plures sunt numero actus in eodem genere; ubi unum est objectum, unus reputatur esse actus; ergo totidem sunt peccata quot sunt objecta totalia.

Et hoc verum videtur juxta communem doctrinam, quam tenent innumeri auctores, ait *S. Lig. l. c.*, etiam quando actus, materialiter et physice unus sive interior sive exterior, terminatur ad plura objecta totalia, v. gr., si quis uno voluntatis desiderio cum pluribus feminis solutis cupiat fornicari, aut uno ictu plures occidat homines. Nihil enim impedit quominus plures formæ morales, qualia sunt peccata, unum physice subjectum simul afficiant. Et revera, ut bene advertit *P. Lacroix*, n. 149, unus actus, quo quis tres homines occidit, aut tres feminas desiderat, in judicio prudentium, æquivalet etiam, ratione objecti et numeri, tribus actibus per quos singulos occideret aut desideraret singulas. — Contradiciunt quidem graves auctores, sed quoad speculationem tantum, quatenus volunt ut talis actus unum esse peccatum dicatur; nam quoad praxim unanimi fere sententia docent, non sufficienter ejusmodi peccatum explicari in confessione, nisi vel numerus objectorum exprimat, vel saltem plura fuisse objecta in genere declaretur, dicendo: *plures occidi*, aut *plures desideravi*. — Ita, v. gr., *Bonac. disp. II, q. 4, p. 2, n. 2.* — *Busembaum, l. V, c. I, Dub. 3, art. 2, Res. 1.* — *Suarez, de Pœnit. disp. XXII, s. 5, n. 37.* — *Lugo, ibid., disp. XVI, n. 141.* — *Viva, ibid., q. 5, art. 6, n. 9, etc.*

161. — *II^a Regula.* Numerica peccatorum distinctio desumitur etiam ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum. — *S. Lig. n. 36, et alii communissime.*

Enim quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, singuli evadunt in se completi, neque actus sequens potest dici continuatio precedentis. Sic qui pluribus vicibus moraliter interruptis alium percutit, vel furatur, tot peccata committit, quot sunt percussiones, vel furta; quia tot actus diversos hæc constituunt.

Actus autem voluntatis triplici modo interrumpuntur, scilicet: 1^o *Per retractationem*, seu revocationem expressam voluntatis, quia hæc impedit quominus actus posterior cum priore jungatur, v. gr., si quis retractet pravam voluntatem male agendi, et postea eam resumat. — 2^o *Per cessationem voluntariam ab actu*, seu per mentis applicationem ad diversum objectum, v. gr., si quis libere cesset a proposito malo, et dein ad illud re-

deat. — 3^o *Per cessationem involuntariam sat notabilem ratione habita ad actus naturam, secundum iudicium prudentum, v. gr., per somnum, distractionem, occupationem, etc.*

162. — Ut autem hæc principia facilius applicentur, traduntur communiter sequentes regulæ :

1^o *Actus mere interni, qui nullum ordinem habent ad effectum exteriorem, plerumque moraliter complentur statim ac physice interrumpuntur, et proinde per se toties multiplicantur, quoties physice interrumpuntur. Ratio, quia tales actus, propter suam simplicitatem tum ex parte objecti tum ex parte ipsiusmet voluntatis, et propter defectum cujuscunque effectus exterioris in quo conveniant, per se loquendo moraliter non continuantur, neque in unum coalescunt, cum nihil habeant, neque in se, neque in alio per quod sibi invicem uniantur. Hinc pœnitens debet in confessione exprimere, si possit, quot vicibus internæ tentationi adhæserit; quod si nequeat, dicat *circiter*; vel saltem an valde frequenter, decurrente die, consensum dederit. — Dixi *per se* seu *plerumque* rem ita se habere, quia si aliquando plures hujusmodi actus, v. gr., odii, delectationis morosæ, etc., ex eodem passionis impetu procedant, unum peccatum mortale constituent, etsi aliquod breve intervallum inter actus intercesserit. — S. Lig. n. 37.*

2^o *Actus interni cum proposito externam actionem ponendi, multiplicantur toties quoties pravum propositum formaliter renovatur, id est quoties per retractationem, aut cessationem voluntariam desinit esse, et postea de novo assumitur : tunc enim posterius moraliter censi nequit continuatio prioris, et novus voluntatis actus formaliter distinctus intercedit. Si vero per cessationem involuntariam desinat, censetur aliquandiu, non autem semper et indefinite, ut sentit *Canus apud Lugo, de Pœnit. d. xvi, n. 562*, virtualiter perseverare, ideoque, ubi iterum assumitur, non habetur tanquam moraliter interruptum, dummodo non intercesserit temporis intervallum nimis diuturnum. Quodnam autem debeat esse ejusmodi intervallum, solo sapientum iudicio definiri potest. Idem enim propositum majori vel minori tempore perdurat pro varia intensitate, necnon pro variis circumstantiis personarum, ætatis, sexus, indolis, etc. — S. Lig. n. 39, putat difficulter posse impetum unius actus protrahi, ordinarie loquendo, plus quam ad duos vel tres dies. Hinc, ait, qui perseverat ita virtualiter in mala voluntate ultra duos vel tres dies, debet in confessione explicare tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa.*

3^o *Actus externi, seu externe consummati, multiplicantur toties quoties objectum est disparatum, vel in se terminatum; non autem multiplicantur etiam interposito notabili temporis intervallo, quando sunt veluti partes actus principalioris, seu quando ad finem unicum tendunt. Ratio, quia tunc unum quid morale efficiunt, quod non completur, nisi consummato actu principaliter intento. Sic qui furtum patrare statuerit, unicum committit peccatum, licet per plures dies de eo cogitaverit, propositum pravum sæpius renovaverit, ad hoc viam susceperit, tempus opportunum quæsierit, etc.; prior quippe voluntatis actus in illo ipso effectu vel opere externo perseverare virtualiter censetur.*

Resolves ex dictis.

163. — 1^o Unicum peccatum committit, qui, intendens fornicationem, mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis, et tandem fornicatur; ratio, quia omnes illi actus prævii ad actum consummatum natura sua ordinantur. Si vero ab initio voluisset tantum mulierem tangere, et postea libidine inductus copulam perfecerit, duplex erit peccatum adeoque non satis erit si copulam confiteatur. — *S. Lig. n. 43.*

2^o Unicum facit peccatum Sacerdos qui integrum Officium vult una die omittere, quia singulæ Horæ ordinantur ad complendum unum Officium. Duo autem peccata faceret, qui prius voluisset tantum omittere Matutinum, et postea nollet reliquas Horas recitare, quia duplex foret plane distinctus actus malæ voluntatis.

3^o Unicum perpetrat peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. gr., pluries se, vel alium turpiter tangit, etiam cum aliqua interruptione; pluries inimicum percutit, vel ei plurima mala imprecatur, etc., ratio quia unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illæ variæ moraliter uniuntur. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 50.*

4^o Unicum peccatum facit qui plures simul Fidei articulos negat, quia unicum est Fidei motivum, proinde æque infidelis est qui unum articulum ac qui omnes negat. — *Ita communiter. — Item probabiliter unicum facit peccatum, qui eodem actu duodecim Apostolos blasphematur; quia omnes blasphemiam in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum. — S. Lig. n. 47.*

5^o Unicum facit peccatum, qui summam aliquam determinatam pecuniæ furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit, quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur. E contrario plura patrat peccata, qui pluribus vicibus ex eadem pecuniæ massa furatur, quin totam auferre ab initio statuerit, quia singula furta objectum in se totale efficiunt.

6^o Plura peccata facit, qui cum eadem pluries successive fornicatur; quælibet enim fornicatio in se terminatur, seu objectum totale constituit. — *S. Lig. n. 46.*

7^o Plura peccata committit, qui jejunium præscriptum per plures dies omittere statuit; nam licet illæ omissiones oriantur ex una eademque voluntate, adhuc sunt plura peccata confitenda ut distincta, quia inter se nullam habent unitatem. — *Lugo, de Pœnit. d. xvi, n. 539. — S. Lig. n. 46.*

Quæsitæ.

164. — QUÆR. 1^o *An explicanda sint in confessione media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

Resp. Affirm., etiamsi media illa non fuerint mala in se, uti viam suscipere, scalam deferre ad furtum, etc. — *Ita S. Lig. n. 42*, qui id asserit tanquam *valde probabile*. Ratio est, quia peccatum tunc non manet tantummodo internum, sed mediis istis externum evadit. Actiones enim illæ licet indifferentes sint *in se*, malæ tamen ex fine malo evadunt. Hoc tamen intellige, quatenus explicare in genere oporteat inchoatam fuisse executionem peccati, simulque accusare numerum harum actionum exte-

riorum, quando moraliter interruptæ fuerunt : nam cæteroquin earum naturam aperire minime necessarium est, cum sint *in se* indifferentes. Nemine autem contradicente, si media ista in se mala sint, indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus, aut verba obscœna ad sollicitandum adhibita.

165. — QUÆR. 2^o *An plura peccata faciat, qui unico actu pluribus detrahit, vel coram pluribus?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, secundum regulam I^{am}, *supra*, n. 160.

Resp. ad 2^{um} : *Controvertitur. Probabiliter* unicum tantum facit peccatum : quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggrayans : jus enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. Proinde probabiliter nulla est obligatio explicandi in confessione numerum personarum coram quibus aliquis detraxerit, sed sufficit dicere : *Detraxi coram pluribus.* — *S. Lig.* (ut probabile), n. 49. — *Lug.* — *Azor, etc.*, contra *Lacroix et alios.*

QUÆR. 3^o — *An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico?*

Resp. 1^o *Affirm. per se*, si imprecantis intentio determinate feratur ad mala speciei diversæ, v. gr., infamiam et mortem; quia desiderium speciem sumit ab objecto desiderato, ut infra dicitur n. 167. — *S. Lig.*, n. 50, et *clarius, Hom. apost.* n. 65, et *alii communiter contra aliquos.*

Resp. 2^o *Neg. per accidens*, quando scilicet hæc mala diversa apprehenduntur sub generali mali ratione, ut media ad inimici perniciem; quod fieri solet quando imprecationes ex impetu iræ procedunt. — *S. Lig.*, *ibid.*

166. — QUÆR. 4^o *An plura faciat peccata, qui diu differt restitutionem?*

Resp. Neg., si perseveret habitualiter in voluntate rem alienam retinendi, quia mala voluntas *per modum continui* cum re injuste retenta perseverat. Attamen si injustus possessor per notabile tempus restitutionis faciendæ fuerit oblitus, et postea pravum propositum renovaverit, novum peccatum committet, quia mala ejus voluntas moraliter interrupta censetur. — *S. Lig.*, n. 40, et *alii communiter contra alios*, qui dicunt, injustum rei alienæ possessorem toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit. — *V. Casus*, n. 150 et seq.

PARS SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE

Agendum 1^o de peccatis internis; — de peccatis capitalibus.

CAPUT I

DE PECCATIS INTERNIS

167. — Triplex eorum classis distinguitur, scilicet :

1^o *Delectatio morosa*, seu libera complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut præsentem, sine desiderio.

2° *Gaudium*, seu deliberata complacentia rei malæ præteritæ, seu operis mali peracti sive a se, sive ab alio.

3° *Desiderium*, seu actus voluntatis rem malam ut obtinendam, adeoque opere exsequendam appetentis. Dicitur efficax, si adsit intentio seu absolutum propositum id exsequendi; inefficax, si adsit tantummodo velleitas, seu consensus conditionatus, v. gr., si quis dicat: *furarer, si possem*; aut *fornicaretur cum hac femina, nisi infamiam timerem. etc.* — *S. Lig. n. 15.*

Versatur igitur *delectatio morosa* circa objectum, non prout est in se, sed prout hic et nunc imaginationi objicitur; *gaudium* e contra et *desiderium* circa objectum prout in se aliquando fuit aut erit.

Quænam autem sit horum malitia, et quænam species, his paucis teneto:

I. *Desiderium etiam inefficax* est vere peccatum, et induit species tum objecti tum circumstantiarum.

Ac 1° est *vere peccatum*. Constat enim ex præcepto, *Non concupisces*, quod generatim et indefinite intelligi debet de prohibitione cujuslibet pravi affectus. Insuper omne rei prohibitæ desiderium rectæ rationi repugnat: turpe enim et inhonestum est desiderare, nempe sibi id exsequendum aut absolute aut conditionate proponere, quod exsequi non licet.

2° *Induit speciem objecti sui*. Quodlibet enim desiderium, etiam inefficax, in objectum suum tendit, et proinde est volitio *malitiæ specialis* istius objecti, adeoque ejus specificam malitiam contrahit. Constat etiam ex verbis Christi, Matth. v, 28: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*. Mæchari autem in Scriptura ubique pro adulterio intelligitur. Ergo...

3° *Induit etiam species circumstantiarum objecti*. Nam desiderium, cum tendat in objectum ut opere exsequendum, illud attingit uti est in se cum suis circumstantiis. Ergo totam malitiam etiam circumstantiarum contrahit. Hinc in confessione, v. gr., desiderii fornicandi, declarandæ sunt circumstantiæ consanguinitatis, affinitatis, vinculi matrimonialis, aut voti castitatis, quæ personam desideratam afficiant. — *S. Lig. n. 12.*

168. — II. *Gaudium* itidem est peccatum, et quidem ejusdem speciei ac actio mala circa quam versatur, induitque pariter species circumstantiarum ipsi adnexarum, non secus ac ipsum desiderium. Ratio, quia *gaudium*, ut supra diximus, est mali præteriti approbatio; hæc igitur actum peccaminosum amplectitur, qualis in se exstitit, suis nempe circumstantiis vestitum. Ergo etiam harum totam malitiam induit.

Hinc qui in peccatorum præteritorum recordatione sibi complacet, eaque approbat, in confessione explicare debet objectum hujus complacentiæ, atque circumstantias speciem mutantis, perinde ac si denuo opere peccasset.

Ad gaudium revocanda est jaectantia de peccato commisso, displicentia de malo non patrato, necnon tristitia de bono peracto.

169. — III. *Delectatio morosa* 1° est certum peccatum; 2° certo etiam variat gravitatem et speciem pro varietate objectorum menti exhibitorum.

Ratio primi est, quia naturæ rationali et legi divinæ repugnat voluntatem gratum habere id, quod rectæ rationi dissentaneum est, et Deo displicet. Insuper *delectatio* deliberata de objecto malo affectum in illud arguit:

atque affectus in objectum malum est affectus malus, ut patet. Ergo... Hinc Osee IX, 10 : *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*. Et Prov. xv, 26 : *Abominatio Domini cogitationes malæ*. Ergo...

Ratio secundi est, quia quisquis delectatur de objecto in se malo, illud approbat, eique affectu suo adhæret. Ergo quo gradu ac specie objectum sit malum, eodem plane erit mala ejusdem delectatio. Ergo... — *S. Thom. 1. 2., q. 74, art. 8. — S. Lig. n. 15.*

Quæsitæ.

170. — QUÆR. 1^o *An delectatio morosa induat etiam malitiam specificam circumstantiarum objecti, ut desiderium et gaudium?*

Resp. : Controvertitur. *Neg. probabiliter.* Ratio est, quia simplex delectatio non tendit in objectum ut ponendum, sed in eo quiescit ut repræsentato per intellectum. Porro intellectus abstrahit ab aliis objecti proprietatibus præter illam quæ delectationem movet. *Lugo, Layman, Reuter, Bonacina*, etc., contra alios, qui contendunt simplicem delectationem omnes objecti species induere, sicut ipsum desiderium. Utramque sententiam probabilem dicit *S. Lig. n. 15.*

171. — QUÆR. 2^o *An liceat desiderare malum sub conditione, si licitum sit?*

Resp. : Dist. *Affirm. per se*, si conditio apposita totam rei malitiam tollat; ratio, quia talis affectus nullam involvit deordinationem neque in se neque in objecto, a quo per conditionem malitia omnino excluditur. *Neg.* vero in alia hypothesi; ratio, quia talis affectus tendit in objectum malum, et quidem absolute, cum conditio non tollat malitiam ab objecto etiam ut repræsentato, et proinde tota malitia objecti in actum voluntatis refundatur. Et quidem sunt quædam objecta, circa quæ conditio utcumque apposita malitiam tollere nequit. Etenim quæ intrinsece mala sunt, mutari nequeunt, et proinde inutiliter conditio apponeretur, siquidem talia optare, per se foret desiderare ut lex et ordo naturæ immutetur. — *S. Lig. n. 27; Hom. apost., n. 50.*

Attamen *probabiliter* a peccato gravi excusandus ille esset, qui tali desiderio nollet certe, ut id quod malum est intrinsece, fieret licitum, sed tantum propensionem suam in illud objectum ostenderet. — *S. Lig., Hom. apost., ibid.,* cum aliis. Cæterum nemo non videt quam periculosa sint hujusmodi desideria, etiamsi apposita conditio totam malitiam auferret, præsertim in prohibitis jure naturali, licitis tamen in aliquo casu vel statu, v. gr., occiderem inimicum, si Deus mandaret; uxorem acciperem, si non essem sacerdos aut voto ligatus; libens nubere Caiæ, nisi haberem uxorem; quæ desideria Cajetanus (*V. Cogitationis peccata*) merito appellat tentationes fatuas et diabolicas; quippe quamvis licitum sit ejusmodi desiderium, illicita tamen est præsens de illo objecto delectatio, quæ in re venerea facile cum desiderio conjuncta reperietur. Imo dissuadenda sunt etiam alia desideria conditionata circa res solo jure positivo prohibitas, quia ut plurimum otiosa sunt, et aliquando affectu aliquo inordinato laborare possunt.

172. — QUÆR. 3^o *An liceat delectari de omissione inculpabili alicujus præcepti ex oblivione relictæ?*

Resp. : Nunquam licet sive de omissione mala, sive de opere malo, etiam inculpabiliter admissis, gaudere vel delectari prout in se et formaliter mala fuerunt; licet tamen per se, id est secluso periculo consensus in delectationem de causa mala, gaudere vel delectari de effectu bono et honesto, qui ex iis provenit. — *Ita omnes.* — An vero liceat etiam gaudere vel delectari de ipsa causa mala, non prout est mala, sed prout fuit causa boni effectus, affirmarunt multi cum *Lessio, de Just. et jur. lib. IV, c. III, n. 105*; — *Suarez, de Pecc. d. v, sect. 7, n. 15*; — *Lugo de Pœnit. d. VI, n. 389, etc.*; negat autem cum *Sanchez, Salm. et pluribus aliis, S. Lig. n. 20*, allegans propos. 15 ab Innoc. XI damnatam, quæ sic se habet: *Licetum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Non tamen constat, utrum hac propositione damnatum absolute fuerit gaudium quodcumque de opere malo inculpabili; an potius reprobatum fuerit dumtaxat gaudium quo filius, contra rectum Caritalis ordinem, morti parentis præponit bonum ordinis valde inferioris, nempe divitias ex ea consecutas. — *Vide P. Viva in hanc Propos., n. 12 et seq.* — *Infra, n. 223, Quær. 2º.* — Verum quidquid sit de quæstione speculativa, fatendum est S. Lig. doctrinam fere solam posse in praxim deduci: altera enim, utpote hallucinationi valde obnoxia, periculi plena est.

Resolves.

173. — 1º Doctrina S. Thomæ aientis (2. 2., q. 154, art. 5) peccatum non esse, si placeat pollutio nocturna ut naturæ exoneratio vel allevatio, nullo modo potest intelligi de delectatione pollutioni insita, quæ, utpote turpis, in se et objective mala est; et hoc modo se explicat S. Doctor. *in 4, dist. 9, q. 1, a. 4, q. 1, ad 3.* Imo S. Lig. (*hic n. 20*) non vult ut intelligatur de pollutione quæ evenerit ex tactu seu ex turpi somnio, quia hac ratione iterum est objective mala. Secus autem, inquit, si agatur de pollutione pure naturali, quæ naturaliter provenit ex natura se exonerante. Cæterum in praxi, ut diximus, ejusmodi complacentia, etiam per se et speculative honesta, propter periculum quod affert, omnino vitanda est.

2º Si pœnitens se accuset de aliqua prava cogitatione, interrogandus est an cognoverit esse peccatum; et si respondeat se eam detestatum fuisse statim ac cognovit turpem esse, judicandus est omnino a peccato immunis. — Si respondeat se habuisse per aliquod tempus aliquam confusam cognitionem malitiæ, eique adhæsisse, sed non plene advertendo ad ipsius gravitatem, tunc facile quidem a gravi peccato excusandus est, sed non a veniali. Quod si nesciat se expedire ab his interrogationibus, ordinarie præsumendum est, eum non consensisse, vel saltem defuisse in eo plenum consensum, vel perfectam advertentiam, maxime si timoratæ sit conscientiæ. — *Sættler.*

3º Quamvis aliud sit delectari de re mala, aliud vero delectari de modo, v. gr., industria, quo res mala peracta fuerit (quod sane carere culpa per se potest), attamen Confessarius facile suspicari debet de morosa delectatione in iis qui libenter audiunt turpia, licet hæc narrari non videantur nisi ad modum ingeniosum, quo peracta sunt, manifestandum; et profecto si sermo de actionibus honestis, ut ingeniosius peractis, haberetur, plerumque multo

minorem delectationem perciperent. Idem dicit de iis qui avide libros minus honestos lectitant.

4° Mortale non est tristari de obligatione non essentialiter præcepta, quatenus est molesta tantum, seu *in sensu diviso* legis, v. gr., de molestia jejunii. — *S. Ligor.*

5° Cautè Confessarius agere cum iis debet, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim hujusmodi delectationes non ex emolumento solo, sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur. Idem timendum est de eo qui dicit, se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex ejus infortunio, v. gr., ex gravi infirmitate, jactura rerum temporalium, etc. Potest enim interdum subrepere gaudium de proximi potius malo, quam de bono effectu inde proveniente, præsertim si inimicitiam cum eo antea gerebat; Confessarius igitur, si res postulare videtur, mentem pœnitentis prudenter introspicere, non negligat. — *S. Lig. n. 20. — V. Casus, n. 150 et seq.*

CAPUT II

DE PECCATIS CAPITALIBUS

Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita, seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius quam proprie peccata nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum : 1° Superbia ; — 2° Avaritia ; — 3° Luxuria ; — 4° Invidia ; — 5° Ira ; — 6° Acedia ; — 7° Gula.

Pauca de singulis.

I. De Superbia.

174. — *Superbia* est amor inordinatus propriæ excellentiæ.

Distinguitur *superbia perfecta*, seu in suo genere completa et consummata, et *superbia imperfecta*. — Perfecta quidem dicitur, quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis Superioris obtemperandi. Hæc autem eo ipso peccatum mortale semper in se includit. — In cæteris vero casibus imperfecta nuncupatur, et tunc *per se* peccatum veniale tantum inducere solet, nisi accedat injuria gravis proximi, v. gr., si graviter contemnatur, etc. — *S. Lig. n. 66.*

Filiæ superbiæ sunt ambitio, vana gloria, præsumptio, jactantia, ostentatio, et hypocrisis.

Remedia sunt consideratio propriæ infirmitatis, vanitatis gloriæ humanæ, et humilitatis Christi.

II. De Avaritia.

175. — *Avaritia* est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Opponitur justitiæ vel liberalitati. Si prius, in peccatum mortale facile prodibit, nempe quoties ad injustitiam gravem erga proximum impellet. — Si poste-

rius, *per se* venialia tantum pariet. Cæterum nimius erga res terrenas affectus in alia peccata etiam gravia propellere potest, imo et solet.

Filiæ avaritiæ sunt : durities cordis erga miseros, inquietudo animi, seu sollicitudo inordinata de terrenis, perfidia, dolus, etc.

Remedia : consideratio vanitatis terrenarum rerum, turpitudinis, infelicitatis et periculorum hujus vitii. — *S. Lig. n. 69.*

III. De Luxuria.

176. — *Luxuria* est inordinatus appetitus rei venereæ. Luxuria gravis est ex toto genere suo; sed hoc intelligendum est, si delectatio venerea sit in se *deliberata* et *directe* volita. Si vero *indirecte* tantum voluntaria sit, admittit aliquando parvitatem materiæ, ut jam supra indicatum est (*n. 155*) et melius infra dicetur (*n. 412*).

Filiæ : cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei, Fidei languor, imo et amissio, etc.

Remedia : oratio frequens et humilis, sensuum custodia, occasionum et otii fuga, carnis mortificatio, temperantia, Sacramentorum frequentatio. — *Vid. S. Lig. n. 74.*

IV. De Invidia.

177. — *Invidia* est tristitia de bono alterius, quatenus æstimatur ut malum proprium, aut saltem minus bonum. Ad eam revocatur gaudium de alterius malo, quod boni proprii augmentum censeatur. Est autem *directe* contra Caritatem, et ex genere suo gravis.

Filiæ : detractio, calumnia, susurratio, contumelia, etc.

Remedia : consideratio malorum ex invidia provenientium, officia Caritatis erga proximum, oratio frequens, humilitatis exercitium. — *Vid. S. Lig. n. 72.*

V. De Ira.

178. — *Ira* est exandescencia animi, motusque inordinatus in aliquem vel aliquid; vel est inordinatus appetitus vindictæ. Iracundia est habitus iræ. Ira mortalis est ex genere suo, si sit appetitus vindictæ; venialis autem, si sit tantum motus animi inordinatus.

Filiæ : indignatio, rancor, clamor, convicia, blasphemix, etc.

Remedia : consideratio malorum iræ, et mansuetudinis Christi. — *Vid. S. Lig. n. 80 et seq.*

VI. De Acedia.

179. — *Acedia* in genere idem sonat ac pigritia; strictius vero est torpor mentis, ac debilitas voluntatis, ex quibus spiritualium rerum fastidium ob laborem et molestiam ipsis adjunctam profluit. Si tanta sit, ut ex ea obligationes graves omittantur, gravis habenda est; si secus, levis est æstimanda. — *Ita communiter.*

Filiæ : torpor, evagatio mentis, nausea in oratione, etc.

Remedia : consideratio laborum Christi, mercedis æternæ, et periculorum acediæ, pia lectio, frequens confessio, etc.

VII. De Gula.

180. — *Gula* est inordinatus appetitus cibi vel potus.

Quinque præcipue modis vitium committitur : 1° si edas ante tempus ; 2° si nimis exquisita ; 3° si plus æquo ; 4° si voraciter ; 5° si majori industria præparata. Hæc in sequenti versu continentur :

Præpropere, laute, nimis, ardentem, studiose.

Est peccatum veniale ex genere suo. Fit autem grave, si graviter noceat sanitati, aut si quem ad officia ineptum reddat. Peccat qui manducat aut bibit usque ad satietatem ob solam voluptatem, ut constat ex prop. 8^a ab *Innoc. XI* damnata ; attamen per se veniale non excedit. — *Ita communiter.*

— *Recole dicta in tract. de Act. hum., n. 28.*

Filiæ gulæ sunt ebrietas, de qua mox fusius, hebetudo mentis, scurrilitas, multiloquium, et immunditia cujuslibet generis.

Remedia : considerare pessimos gulæ effectus quoad corpus et animam ; — mortificare carnem, præsertim in refectioe corporis ; — recordari frequenter de morte, seu de corruptione corporis mox futura. — *Vid. S. Lig. n. 74.*

APPENDIX

DE EBRIETATE

181. — Ebrietas est voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem¹. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 75.*

Ebrietas perfecta, nempe usque ad rationis privationem pertingens, peccatum grave est *per se*. Constat 1° ex ratione ; voluntarie enim se usu rationis privare, illam modo violento et innaturali perturbando, graviter naturæ rationali repugnat. Homo enim sic ad brutorum statum se dejicit, Deique imaginem in se deturpat. — *S. Lig., n. 75, et alii communissime.*

Constat 2° ex Scriptura sacra, I Cor. VI, 10 : *Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.* — Et Isaiæ v, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam...* Porro particula *væ* in Scriptura sacra gravissimum denotat malum.

Imperfecta autem ebrietas, qua mens equidem perturbatur, at discernere adhuc valet inter bonum et malum, per se peccatum est veniale tantum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

Quæsitæ.

182. — QUÆR. 1° *Quænam sint signa ebrietatis perfectæ?*

Resp. : Perhibentur sequentia, scilicet 1° nescire distinguere bonum a

¹ Plures auctoritate freti, ut ipsi arbitrantur, S. Thomæ (1. 2.; q. 88, a. 5. ad 1) addunt : *ex sola vini voluptate*. Quocirca, qui ad bibendum ab amicis provocatus ex mera vanitate potaret usque ad rationis privationem, intemperantiæ, non autem ebrietatis vitio peccasse dicendus esset. De hac sententia fuse tractat auctor *Vindiciarum Gobatian.* p. 2, propos. 14.

malo; 2° non recordari de dictis aut factis in ebrietate; 3° agere omnino insolita, quæ scilicet nunquam alias sana mente agi solent, etc. — Non autem sunt signa certa, hæsitatio linguæ, titubatio pedum, visus objectorum duplicium, aut in gyrum se vertentium. — *S. Lig. n. 78.*

QUÆR. 2° *An liceat se inebriare ad morbum depellendum?*

Resp. Affirm. probabilius, si ebrietas non sequatur nisi velut effectus medii per se liciti, v. gr., si copia notabilis vini generosi requiratur ad morbum arcendum. Constat ex dictis *de Act. hum. n. 9.* — *S. Lig., n. 76, et alii communiter.*

QUÆR. 3° *An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam subeundam?*

Resp. Neg., quia directe et *in se* intenderetur violenta et innaturalis usus rationis privatio, tanquam medium ad bonum effectum obtinendum. Porro *non sunt facienda mala ut eveniant bona.* — *Ita communiter cum S. Lig., n. 76; Lacroix, l. V, n. 314; Gobat, et alii.* Non est tamen damnanda praxis medicorum, qui opium adhibent sensus sopiendi gratia, cum virtus ipsius primaria sit soporifera; idem de æthere per aspirationem hausto dicendum videtur.

183. — QUÆR. 4° *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut a malo majori avertatur?*

Resp. 1° Affirm., si ebrietas sit ipsi materialis tantum: quia malum materiale permitti potest gravi de causa. — *Ita communiter contra Collet, Concina, etc.*

Resp. 2° Negant communius, si ebrietas sit formalis; quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* — Attamen *S. Lig., n. 77*, oppositam sententiam ut probabilem admittit cum pluribus aliis, juxta dicenda infra de scandalo, *n. 237, quær. 5°.*

QUÆR. 5° *An sint imputabilia omnia mala in ebrietate facta?*

Resp. 1° Neg., si prævisa non fuerint, ne *in confuso* quidem, quia quæcumque prævisa non fuerint, prorsus involuntaria sunt habenda.

Resp. 2° Affirm., ob rationem oppositam, si prævisa fuerint, saltem quoad mala operis, sive commissionis, sive omissionis.

Dixi, *saltem quoad mala operis*; nam quoad mala oris seu verba, aut etiam facta mere contumeliosa, *probabiliter* non sunt imputabilia, si contra homines proferantur; quippe nullam contumeliam ex communi æstimatione inferre censentur. Secus tamen si in Deum proferantur, ut blasphemiarum, etc..., quia hæc intrinsece mala sunt, et proinde, etiam materialiter prolata, in contumeliam honoris divini vergunt; alioquin autem, utpote prævisa, in ipsa causa voluntaria sunt. — *S. Lig., n. 78*, qui tamen sententiam Salmanticensium aientium neque blasphemias imputabiles esse, quia in homine ebrio verba sunt materialia tantum, non autem formalia, improbabilem dicere non audet.

Resolves.

184. — 1° Peccant graviter, qui, diu noctuque potantes, scienter ebrietatis periculo se exponunt. Item qui alios jussu consiliove inducunt ad ebrietatem; vel qui ad æquales haustus provocant cum præviso ebrietatis periculo.

2° Peccant graviter, qui, per experientiam scientes se inebriari in his vel illis consortiis, nihilominus in iisdem versantur. Item qui inter bibendum ad periculum ebrietatis advertentes, adhuc bibere pergunt.

3° Peccant etiam graviter, qui adeo bibunt ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant antequam sensibus et ratione destituantur, quia in somno non habent potentiam proximam ad usum rationis.

4° Nec excusantur a peccato gravi, qui prætextu patrii moris, aut boni affectus, vel urbanitatis, convivæ urgent et quasi necessitant ad bibendum usque ad ebrietatis periculum; secus autem, si tantum liberalior potus offeratur et sæpius propinetur, in moderata tamen quantitate.

5° Non peccant graviter *per se*, qui adeo validi, vinoque assueti sunt, ut nunquam inebrientur, etsi largius aliis bibant, nisi adeo temperantiam excedant, ut sanitatis grave detrimentum timeri merito possit. — *V. Casus, n. 176 et seq.*

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS

185. — Virtus est habitus agendi honeste seu juxta rectum ordinem.

Virtutes variæ speciei distinguuntur, scilicet :

1^o *Naturales*, vel *supernaturales*, prout viribus naturalibus, vel supernaturalis gratiæ auxilio acquiruntur et conservantur.

2^o *Infusæ*, vel *acquisitæ*, prout a Deo ipso in cor infunduntur, vel actibus repetitis agentis acquiruntur.

3^o *Theologicæ*, vel *morales*, prout Deum immediate respiciunt, vel pro objecto immediato actionis honestatem habent. Inde facile deducitur, virtutes theologicas moralibus esse perfectiores.

Quatuor sunt virtutes morales cardinales, ad quas cæteræ reducuntur, scilicet *prudentia*, *justitia*, *fortitudo* et *temperantia*. Cum de virtutibus moralibus in tota fere theologia morali sermo sit, hic speciatim agemus de virtutibus theologicis, nempe de *Fide*, *Spe* et *Caritate*.

CAPUT I

DE FIDE

186. — Fides in genere est assensus propter auctoritatem loquentis. Pressius ad rem nostram, Fides, in quantum est virtus, definitur : Habitudo supernaturalis, infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, propter auctoritatem Dei revelantis. In quantum vero est actus, dicitur assensus firmissimus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem præstitus. — *S. Lig. n. 2.*

Fides est 1^o *habitudo*, vel *actualis*, prout est habitudo vel actus.

2^o *Explicita*, vel *implicita*, ratione objecti, prout hoc in se est expressum et evolutum, aut tantum in alio contentum. Sic, v. gr., si dicas : Credo in SS. Trinitatem, elicis actum Fidei explicitum in illud mysterium. Si vero dicas : Credo omnia quæ docet Ecclesia esse credenda, elicis actum Fidei implicitum in singula dogmata revelata.

3^o *Formalis*, vel *virtualis*, prout fides vel est actualiter elicita, vel in mente perseverans inadvertenter vi sua in actiones influit.

4^o *Formata* seu *viva*, vel *informis* seu *mortua*, prout conjungitur, vel non, cum operibus Caritatis.

Agendum præcipue 1^o de necessitate Fidei; — 2^o de objecto Fidei; — 3^o de vitiis Fidei oppositis.

ARTICULUS I

DE NECESSITATE FIDEI

I. — Quoad actum internum.

187. — I. Actus internus Fidei omnibus adultis ad justificationem necessarius est *necessitate medii*. Constat ex *Epist. ad Hebr.* xi, 6, ubi Apostolus dicit : *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* — Et ex *Conc. Trid. sess. VI, c. vi.*

II. Necessarius est etiam *necessitate præcepti* quandoque in vita. Constat ex Scriptura sacra. Dicitur enim in *Epist. I. Joann.* iii, 23 : *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Item ex 1^a propositione ab Alexandro VII damnata, quæ sic se habet : *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium;* et 65^a ab Innocentio XI damnata, quæ asserebat : *sufficere homini ut mysteria Trinitatis et Incarnationis semel crediderit.*

Quæsitæ.

188. — QUÆR. 1^o *Quandonam urgeat præceptum Fidei elicendæ?*

Resp. 1^o : Urget *per se* 1^o post usum rationis completum ad incipiendam vitam christianam; 2^o item quando infideli adulto Fidei nostræ veritas sufficienter proposita est; 3^o in articulo mortis, ad proximius tendendum ad Deum; 4^o sæpius in vita, juxta plures saltem semel in anno, et juxta nonnullos singulis mensibus. Cæterum sufficienter hoc præceptum adimpletur exercendo alios actus Religionis. — *S. Lig. n. 7; Hom. Apost., n. 13.*

Resp. 2^o : Urget *per accidens* 1^o urgente gravi tentatione, quæ aliter vinci nequeat; 2^o quando ponendi sunt ex præcepto actus, v. gr., contritionis in confessione, qui, cum ex Fide procedere debeant, sine aliquo Fidei actu saltem implicito circa proprium suum objectum aut motivum esse nequeunt; 3^o post lapsum in hæresim, aut Fidem negatam. — *Ita omnes.*

QUÆR. *An actus expliciti requirantur ad præceptum Fidei adimplendum?*

Resp. : In illis, qui veritates fide tenendas jam didicerunt et crediderunt, generatim sufficiunt actus impliciti. Hinc præcepto satisfacit, qui devote audit Missam, adorat Crucifixum, orat, crucis signum format, Sacramenta recipit, etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig., ibid.*

II. — Quoad actum externum.

189. — I. Datur præceptum negativum prohibens veram Fidem negare, falsamve profiteri. Negare enim Fidem est Deum ipsum negare. Hinc Christus, *Matth.* x, 33, ait : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.*

II. Datur etiam præceptum affirmativum, obligans aliquando ad Fidem

etiam cum vitæ periculo confitendam. Christi enim honor aliquando exigit, ut fideles ad ipsum confitendum etiam vitam spernant. Constat ex verbis Christi ipsius, Matth. x, 32 : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Et Luc. ix, 26 : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* Item Apost. Rom. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

III. Præceptum autem exterius Fidei confitendæ jure naturali tunc obligat, quando secus honor Deo debitus, vel utilitas spiritualis proximi modo notabili subtraheretur : puta, si Deus afficeretur magna injuria, et proximus magno malo spirituali : vel si ex omissione confessionis sequeretur contemptus Religionis, scandalum, aliorum perversio; vel etiam si cessaret magnus honor in Deum, vel magna utilitas in proximum. Ratio est, quia id exigit Caritas quam Deo vel proximo debemus. — *S. Thom. 2. 2., q. 3, art. 1. — S. Lig. n. 11.*

Quæsitæ.

190. — QUÆR. 1^o *An liceat quandoque dissimulare Fidem?*

Resp. 1^o : Nunquam licet simulare falsam, quia perinde id esset ac veram exterius negare, quod intrinsece malum est. — Aperte autem hoc constat ex verbis Christi modo relatis.

Resp. 2^o : Licet ex gravi causa dissimulare seu occultare Fidem veram, secluso scandali periculo. Ratio est, quia non semper urget præceptum Fidei confitendæ. — *S. Lig. n. 10, 12. — Alii communiter.*

QUÆR. 2^o *An interrogatus de Fide possit uti verbis ambiguis?*

Resp. 1^o Neg., quando tergiversatio vel silentium æquivalet negationi, aut erubescentiæ seu formidini, quæ in iis adjunctis necessario honori Dei, vel utilitati proximi detrahant. Tunc enim locum habent conditiones in *princip. III* expositæ. Confirmatur id ex constanti Ecclesiæ praxi, et communi Patrum doctrina. — Insuper quoad publicam potestatem interrogantem, constat ex propositione damnata ab Innoc. XI, sub n. 18, quæ ejusmodi est : *Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et Fidei gloriosum, consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.* — *S. Lig. n. 13.*

Resp. 2^o Affirm., quando nullum præsentibus creatur scandalum, ac nulla apparet Fidei negatio aut formido, aut erubescencia; quia tunc nulla adest obligatio Fidem confitendi. — *S. Lig. ibid.*

191. — QUÆR. 3^o *An liceat uti signis aut vestibus infidelium?*

Resp. 1^o Affirm., si sint vestes aut signa propria alicujus *regionis*, licet regio hæc tota sit infidelis; quia hæc ad religionem *per se* non referuntur.

Resp. 2^o : Si vero sint vestes et signa *religionis*, subdistinguendum est : *probabilius* adhuc *affirmo*, si fiat gravi de causa, et vestes non sint tantum distinctivæ sectæ a secta, quia tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam. — Secus autem, si vestes aut signa sint unice aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur. — *Salm. tract. XXI, c. II, n. 110.*

Resolves.

192. — 1° Graviter quis peccat contra Fidem, etsi externe tantum genua flectat coram idolo, aliave signa religionis falsæ exhibeat, v. gr., frequentando cœnam hæreticam, etc.

2° Non peccat contra Fidem, qui templa hæreticorum vel infidelium ex mera curiositate visitat, seclusis tamen scandalo, perversionis periculo, aut lege hæc interdicante; nam sicuti profana ædificia, sic et templa hæreticorum adire, est actus per se indifferens, qui non nisi a pravo fine vel ex circumstantiis efficitur malus. — Ita *S. Cong. S. Off.*, 14 Jan. 1818, *Dub.* 3.

3° Peccabit tamen contra Fidem: 1. si quis ejusmodi templa adeat animo assistendi sacris hæreticorum functionibus; 2. vel etiam absque tali animo, si ingressus ipse in hæreticorum ecclesias aliquam inferat, vel inferre videatur, cum eisdem hæreticis in divinis communicationem, hinc et scandali occasionem præbeat; 3. aut si talis aditus indictus sit ab hæretico gubernio, tanquam protestatio ejusdem fidei ac religionis Catholicos inter et A catholicos; 4. vel utcumque *communiter* habeatur velut *tessera* unius ejusdemque communionis Catholicorum et A catholicorum. Nunquam enim licet hæreticorum sacris participare, nec propriam simulare fidem. — Ita *eadem S. Cong. eodem decreto*.

4° Catholicis *regulariter* non licet hæreticorum, aut schismaticorum, concionibus, baptismis et matrimoniis interesse. *S. Cong. S. O.*, die 10 Maii 1770. — Dicitur *regulariter*, quia si præsentia sit mere materialis, ut quandoque fieri potest, et ex adjunctis satis deprehendatur nullam continere aut præferre participationem cum hæreticorum ritibus, excusari poterit a peccato.

5° Patrini munere fungi in hæreticorum baptisinate, aut matrimonium inire coram ministro hæretico, semper illicitum est propter cooperationem et communicationem in divinis; prout expresse declaravit *S. Cong. S. O.* in citato decreto an. 1770, et *S. P. Pius VI*, tum in Instructione 26 Sept. 1791, tum in Responsis ad clerum Galliarum 28 Maii 1793. Neque a fortiori admitti potest patrinus hæreticus in baptisinate infantis catholici. — Quoad funera, distinguendum est: quæ ad officium mere civile pertinent, veluti comitari corpus usque ad fores templi vel cœmeterii, permitti possunt; alia quæ naturam aut speciem communionis cum hæreticis habent, sunt prohibenda. Cæterum plura quæ in uno loco admitti possent, in alio nequeunt tolerari, propterea quod ex circumstantiis vel ex moribus regionis diversam accipiunt significationem; unde attendere oportet ad locorum consuetudinem, et in dubio Superiores sunt consulendi.

6° Non peccat contra Fidem, qui per loca hæreticorum transiens, timore periculi gravis, carnes comedit die abstinentiæ, ne catholicus agnoscat; quia hoc per se non est signum hæreseos; secus autem, si carnes manducaret, etiam metu mortis ad id in odium Fidei impulsus.

7° Nec peccat contra Fidem, qui fugit tempore persecutionis; imo generatim fuga est aliquo modo præcepta, ut patet ex verbis Christi, Matth. x, 23: *Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Hoc vero præsertim valet, si cujuscumque salus ad utilitatem fidelium sit necessaria, aut quispiam lapsum timeat. — *V. Casus, n. 192 et seq.*

ARTICULUS II

DE OBJECTO FIDEI

192. — Objectum *formale* Fidei, seu ratio propter quam creditur, est auctoritas Dei loquentis, utpote infinita tum sapientia tum veracitate præditi. — *Ita communius.*

Objectum vero *materiale*, de quo hic tantum agitur, constat ex rebus cognoscendis et credendis. Hinc agendum de sciendis et credendis tum necessitate medii, tum necessitate præcepti; de sciendis, inquam, ea scientia quæ omnino requiritur ut actus Fidei rite ac debito tempore, pro utraque necessitate medii ac præcepti, possit exerceri.

§ I. De necessario sciendis et credendis necessitate medii.

194. — Certum est, duo scienda et credenda esse necessitate medii: 1^o Quod Deus sit: *Oportet accedentem ad Deum credere quia est.* Hebr. XI, — 2^o Quod sit remunerator: *Oportet... credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ibid. — An vero alia sint credenda explicite de necessitate medii ad salutem, controvertitur.

Quæsitæ.

195. — QUÆR. 1^o *An requiratur Fides explicita mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis de necessitate medii?*

Resp. : Duplex datur sententia probabilis.

I^o Sententia omnino affirmat. Ratio est:

1^o *Quoad Incarnationem*, quia non datur salus nisi per Christum; medium ergo illud necessario *explicite* cognoscendum et credendum est.

2^o *Quoad SS. Trinitatem*, quia fides hujus mysterii est fundamentum salutis nostræ; nam Baptismus, qui est Sacramentum Fidei, conferri debet *in nomine Patris*, etc. Porro quod est salutis fundamentum debet esse objectum primarium Fidei, et proinde *secundum se et explicite* credendum. — *Ita Collet, Decal. c. I, art. 1. — Antoine, c. I. — Hanc sententiam probabiliorẽ dicit S. Lig., n. 2.*

II^o Sententia, quæ videtur probabilior, negat. Ratio est, quia ante Christum sufficiebat Fides implicita horum mysteriorum; ergo etiam post ejus adventum sufficere debet. Christus enim media non mutavit. — *Ita Suarez, disp. XII, sect. 4. — Lugo, de Fid. disp. XII, n. 91. — Neque obstat propositio damnata ab Innoc. XI, sub n. 64, quæ sic se habet: Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei; et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. C.; non obstat, inquam: merito enim damnari potuit ratione primæ partis, in qua asseritur absolutionis capax homo, quantumvis generatim laboret ignorantia mysteriorum Fidei.*

QUÆR. 2^o *An possit absolvi, qui ea ignorat quæ sunt certo de necessitate medii?*

Resp. Neg. : Nec licite, nec valide. Ita omnes. Ratio est, quia ille ob defectum medii simpliciter necessarii incapax est justificationis; ergo etiam incapax est absolutionis. Aliunde nemo potest habere spem salutis, quin Deum *remuneratorem* credat.

196. — QUÆR. 3^o *An possit absolvi ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis?*

Resp. 1^o : Non potest *licite* extra *casum necessitatis*, v. gr., periculum mortis; ratio, quia Confessarius hunc absolvens Sacramentum periculo nullitatis exponit, ut patet ex Quæst. 1^a præc. — Hinc Confessarius debet pœnitentem vel prius instruere, saltem quantum satis est, ut actum Fidei elicere possit, vel dimittere, donec sufficienter sit instructus. — *S. Lig. n. 3.*

Resp. 2^o : *Probabilius* potest absolvi *valide*, si versatur in ignorantia invincibili. Ratio deducitur ex dictis in II^a Sententia *Quæsi* prim.

§ II. De necessario sciendis et credendis necessitate præcepti.

Hæc sunt Symbolum Apostolorum, Decalogus, Præcepta Ecclesiæ, Sacramenta, Oratio Dominica. — Symbolum requiritur ad recte credendum; cætera ad recte agendum.

PUNCTUM I

De sciendis ad recte credendum, seu de Symbolo Apostolorum.

197. — Dogma triplex, in Symbolo contentum, credendum est, nempe : 1^o de Deo ; 2^o de Christo ; 3^o de Ecclesia.

I. De Deo quatuor tibi scienda et credenda sunt, scilicet quod sit : 1^o Unus seu unicus in essentia. — 2^o Trinus in personis æqualibus et realiter inter se distinctis. — 3^o Prima omnium causa seu Conditor omnium creaturarum. — 4^o Remunerator et vindex actionum nostrarum saltem in alia vita.

II. De Christo sex explicite scito et credito, nempe quod sit : 1^o Filius Dei naturalis, et ideo verus Deus. — 2^o De Spiritu sancto ex Maria Virgine conceptus et natus. — 3^o Pro nobis passus et mortuus. — 4^o A mortuis propria virtute redivivus. — 5^o In cælum ascendens, et Rex gloriæ in æternum futurus. — 6^o Rediturus ad homines in fine sæculorum judicandos.

III. De Ecclesia tria hæc scire et credere debes, scil. quod sit : 1^o Unica in terris sub uno capite visibili. — 2^o Gubernata et conservata Spiritus sancti assistentia. — 3^o Infallibilis in rebus Fidei et morum, et ab omnibus audienda. — Hoc tamen ultimum, licet certum et de Fide, in Symbolo explicite non continetur.

EXPLICATIO BREVIS SINGULORUM SYMBOLI ARTICULORUM

198. — I ART. — « Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli et terræ. » 1^o *Credo in Deum*, id est, credo Deum existentem unum in essentia et trinum in personis... Deum finem ultimum... Credo Deo loquenti. — 2^o *Patrem*; Primam personam SS. Trinitatis et omnium rerum principium. — 3^o *Omnipotentem* : principale ejus attributum, in sequenti-

bus verbis etiam inclusum. — 4^o *Creatorem cæli et terræ*, id est, omnium rerum quæ extra Deum existunt.

II ART. — « Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. » 1^o *In Jesum Christum*; eodem modo et eodem sensu ac credo in Patrem. — 2^o *Filium ejus unicum*, creditur explicite, Christum esse Filium Dei naturalem... secundam personam SS. Trinitatis... et proinde Deum. —

3^o *Dominum nostrum*; credendum, Christum esse omnium Dominum.

III ART. — « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. » 1^o *Conceptus est de Spiritu sancto*; explicite credendum Christum, ut hominem, conceptum præter ordinem naturæ esse Spiritus sancti operatione. — 2^o *Natus ex Maria Virgine*; explicite credenda nativitas ex Maria Virgine ante partum et in partu.

199. — IV ART. — « Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. » — 1^o *Passus*; passio Christi explicite credenda est *sub gravi*. — 2^o *Sub Pontio Pilato*; circumstantia hæc ad Fidem explicite tenendam non pertinet. *Ita omnes*. — 3^o *Crucifixus*; probabilius crucifixio, genus mortis exprimens, explicite est credenda; sic enim Apost. I Cor. 1, 23 : *Prædicamus Christum crucifixum*. — 4^o *Mortuus*; mors Christi explicite credenda est. I. Cor. xv, 3 : *Tradidi vobis imprimis... quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris*. — 5^o *Sepultus*; sepultura Christi explicite credenda est; sed probabilius sub levi tantum, quia est circumstantia levis. — *Ita circa hæc omnia Lugo, disp. XII, n. 21*.

V ART. — « Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. » — 1^o *Descendit ad inferos*; probabilius hoc non est explicite credendum sub gravi, imo nec sub levi, juxta Suarez; quia a fidelibus non facile intelligitur. Sed contradicit Lugo, *ibid*. — 2^o *Resurrexit a mortuis*; sub gravi explicite credendum, quia est Religionis fundamentum. — 3^o *Tertia die*; illa temporis circumstantia non est explicite credenda. — *Ita communiter*.

VI ART. — « Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris omnipotentis. » — 1^o *Ascendit in cælum* secundum humanitatem, explicite et sub gravi credendum. — 2^o *Sedet ad dexteram Patris*; probabiliter juxta plures hoc non est credendum explicite, quia a fidelibus difficile intelligitur; alii autem affirmant esse credendum explicite quoad honorem, potestatem, dominiumque supremum. — *Ita Suarez*. — 3^o *Omnipotentis*: idem ac in *art. I*. — Significatur etiam indirecte potestas Christi, qui ad dexteram Dei omnipotentis sedet.

200. — VII ART. — « Inde venturus est judicare vivos et mortuos. » — 1^o *Inde venturus est judicare*; explicite credendum, iterum Christum venturum ad homines judicandos. — 2^o *Vivos et mortuos*, id est, omnes homines mortuos ab origine mundi et vivos qui in ultima conflagratione morientur. — *Ita communius*. Sed hæc verba *vivos et mortuos*, juxta Lugo, non sunt explicite credenda, ob varietatem explicationum.

VIII ART. — « Credo in Spiritum sanctum. » — 1^o *Credo*, eodem modo ac in Patrem et Filium, ut supra. — 2^o *In Spiritum sanctum*; credendum explicite, quod sit tertia persona SS^{mm} Trinitatis, æqualis Patri et Filio, et proinde Deus. — 3^o Processio a Patre Filioque non est credenda explicite necessitate præcepti a singulis fidelibus, etsi de Fide sit. Multa enim de Fide non ab omnibus sciri debent. — *Lugo, Suarez, et alii communiter*.

IX ART. — « Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communio-
nem. » — 1° *Ecclesiam*; credendum explicitè quod sit una vera Ecclesia, etc.,
ut supra. 2° *Sanctam*; sufficit scire et credere, esse sanctam ob caput, do-
ctrinam, Sacramenta sua, et Sanctos Canonizatos, quia de cæteris diversi
diverse sentiunt. — 3° *Catholicam*; sufficit obedientiam ipsi in persona
capitis sui visibilis profiteri. — 4° *Communione Sanctorum*; an credenda
explicitè, et quoad aliquam communicationem orationum tantum?... An
tantum implicitè in unitate Ecclesiæ?... sub gravi vel sub levi?... Non con-
veniunt Doctores. Quidquid sit, in praxi omnes videntur sufficienter illam
cognoscere, cum sæpe dicant *Ora pro me*, Sanctosque frequenter invocent.

X ART. — « Remissionem peccatorum. » — 1° Credendum explicitè quod
Deus remittat peccata omnibus rite dispositis. — 2° Item potestatem peccata
remittendi in Ecclesia esse. — 3° Credendum pariter explicitè, nullam extra
Ecclesiam, id est, sine Sacramentis Ecclesiæ aut eorum voto, esse peccato-
rum remissionem.

XI ART. — « Carnis resurrectionem. » — 1° *Resurrectionem*; explicitè
credenda omnium mortuorum resurrectio. — 2° *Carnis*; non vero hominis,
ut ostendatur solum corpus corrumpi, dum anima remanet incorruptibilis
et immortalis.

XII ART. — « Vitam æternam. » — 1° Explicitè credenda de necessitate
medii beatitudo æterna iustorum. — 2° Pœna æterna damnatorum, quam
indirectè profitemur credendo vitam æternam iustis concedendam.

PUNCTUM II

De sciendis ad recte agendum.

I. — DE PRÆCEPTIS DECALOGI ET ECCLESIAE

201. — I. Præcepta Decalogi :

1° *Certo* notitia Decalogi explicita ex præcepto omnibus fidelibus neces-
saria est. — *Ita omnes*.

2° *Etiam* Decalogus credendus est explicitè, quia præcepta Decalogi sunt
revelata, ut ab omnibus servantur; porro quod revelatum est, *Fide divina*
est credendum; et quod revelatum est ad dirigendos actus singulorum, est
ab omnibus explicitè credendum. Ergo. Contradicunt tamen plures, quia
alio modo ac per revelationem, ejusmodi præcepta nosci possunt.

3° Non necessario memoriter et ordine solito scienda sunt præcepta,
quamvis ad hoc fideles hortandi sint.

202. — II. Præcepta Ecclesiæ :

1° Non sunt credenda *Fide divina*, quia a Deo non sunt revelata, saltem
quatenus præcepta sunt Ecclesiæ. Illud tantum credendum est, quod Eccle-
sia leges ac præcepta ferendi jus ex auctoritate divina habeat.

2° Debent sciri ab omnibus præcipua Ecclesiæ præcepta, quorum obser-
vatio ad omnes fideles pertinet : nempe præceptum Festa colendi, Missam-
que in iis audiendi, præceptum confessionis annuæ, Communionis Pascha-
lis, jejunii et abstinentiæ, quæ suo loco explicabuntur.

Ad obligationem præcepta noscendi revocatur etiam, quod singuli officia
proprii status seu conditionis nosse necessario debeant.

II. — DE SACRAMENTIS.

203. — Omnes scire et credere debent explicite :

1° *Baptismum*, ejus efficaciam et necessitatem absolutam ad salutem consequendam.

2° *Pœnitentiam*, et ejus efficaciam ad peccatorum remissionem obtinendam.

3° *Eucharistiam*, et in ea realem Christi, veri Dei et hominis, præsentiam. Item, juxta communem sententiam, explicite credendum est, quod Christus sit totus in singulis speciebus; et probabilius etiam, quod in sacrificium offeratur, cum omnes debeant Missæ sacrificio assistere. Probabilius vero non est explicite credenda Transsubstantiatio. — *Ita communiter.* — *Lugo, de Fide disp. XIII sect. 5, n. 121.*

4° *Cætera Sacramenta*, quando proxime accipienda sunt. Necessarium vero, juxta communem sententiam, non est illa nosse et intelligere, quæ non sunt recipienda.

III. — DE ORATIONE DOMINICA.

204. — 1° *Sub gravi* tenentur omnes illam scire quoad substantiam, id est, scire Deum esse orandum cum spe et fiducia, et ab eo petenda esse omnia bona tum animæ tum corporis, tum etiam gratias ad animæ mala effugienda. — Creditur in ea Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans.

2° Omnes tenentur, saltem *sub levi*, ad illam aliquando recitandam, ut habet communis sententia cum *Lugo, disp. XIII, sect. 5, n. 133.* — *Suarez, disp. XIII, sect. 4, n. 12.*

3° Probabiliter obligatio memoriter eam tenendi non urget *sub gravi*. Ita *Lugo, ibid.* — *Suarez, ibid.* — *Busenb., apud S. Lig., n. 3*, contra nonnullos, qui gravem obligationem eruunt ex verbis Christi: *Sic orabitur*. Sed verba illa intelligi possunt de ejusdem orationis substantia.

Orationi Dominicæ ex usu Ecclesiæ praxique fidelium fere adjungitur Salutatio Angelica, quæ, etsi non ex obligatione, ex decencia tamen scienda et recitanda est ob patrocinium B. V. et cultum ipsi debitum.

ARTICULUS III

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS

§ I. *De infidelitate in genere.*

205. — Infidelitas, generatim sumpta, est carentia Fidei, et triplex distinguitur, scilicet positiva, negativa, et privativa.

1° Infidelitas *positiva*, seu *formalis*, vel contraria, est carentia Fidei in eo cui sufficienter ipsa proposita est, et qui eam positive respuit.

2° Infidelitas *negativa*, seu *materialis*, est carentia Fidei in eo qui nunquam de vera Religione quidquam audivit.

3° Infidelitas *privativa*, est carentia Fidei in eo qui sibi notitiam Fidei, data occasione, comparare negligit.

Infidelitatis positivæ tres sunt species : *Paganismus*, seu error eorum qui Fidei nondum susceptæ repugnant; *Judaismus*, seu error eorum qui veritati Fidei in typo susceptæ acquiescere nolunt; *Hæresis*, seu error eorum qui a Fide jam suscepta, ex toto, vel ex parte recedunt : si *prius*, *apostasia* vocatur; si *posterius*, nomen *hæresis* sibi proprium retinet.

Principia.

206. — I. *Infidelitas* tum *positiva* seu *formalis*, tum *privativa*, est gravissimum peccatum. Ratio est, quia illa explicite, hæc virtualiter continet gravem injuriam et contemptum primæ veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis.

II. *Infidelitas* autem *negativa*, seu pure *materialis*, in se non est peccatum, sed tantum pœna peccati. Ratio est, quia non potest esse peccatum ubi est ignorantia invincibilis. — Insuper constat ex damnatione propositionis 68^a *Baii* a Pio V et Gregorio XIII proscriptæ, quæ sic jacet : *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* — Miserrimi tamen sunt infideles etiam negativi, qui a salutifera veritatis cognitione non equidem penitus excluduntur (I *Tim.* II, 4), sed tam longe distant, ut ad eam pervenire non nisi via multo difficiliore possint.

III. Ritus infidelium a Principibus christianis nunquam approbari aut foveri possunt : eos tamen aliquando tolerare licet, quando per eorum prohibitionem majora mala inducerentur, aut majora bona impedirentur. — Facilius autem tolerantur Judæi, quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiæ provenit, nempe Fidei nostræ testimonium.

207. — QUÆR. *An infideles opera bona facere possint in statu infidelitatis?*

Resp. 1^o *Affirm.*, quoad opera naturaliter honesta. Constat 1^o ex Scriptura sacra, Rom. II, 14 : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* — 2^o Ex variis propositionibus damnatis, scil. ex prop. 25^a *Baii* a Pio V damnata : *Omnia opera infidelium sunt peccata...* — Ex prop. 8^a damnata ab Alex. VIII : *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* Ratio damnationis est, quia non est peccatum, ubi non est violatio legis, nec finis vitiosus; porro multa infidelium opera ejusmodi esse possunt : ergo...

Resp. 2^o *Affirm.*, etiam quoad supernaturalis ordinis opera, Fidei formali prævia, quæ infideles divina adjuti gratia peragunt.

§ II. De hæresi.

208. — DEFINITIO. *Hæresis*, proprie sumpta, est error voluntarius ac pertinax contra aliquam Fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui Fidem recepit. *Lato sensu* est error etiam involuntarius contra aliquam Fidei veritatem.

Divisio. Distinguitur hæresis :

1^o *Formalis*, quæ est hæresis proprie dicta, seu in stricto sensu, vel *materialis*, qua quis adhæret errori sine pertinacia.

2^o *Interna*, vel *externa* seu *manifestata*, aut pure *externa*, prout *interne*, aut *externe* tantum, aut utroque modo habetur.

3° *Occulta*, vel *notoria*, prout nemini aut paucis tantum, vel multis nota est.

Ad hæresim, ut diximus, refertur apostasia, quæ est totalis defectio a Fide Christiana. De ea igitur, sicut de hæresi formali, statuendum.

Principia.

209. — I. Hæresis *formalis* est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas. Ratio est, 1° quia virtus Fidei, utpote theologica, est una ex præcipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi directe oppositum unum est ex gravissimis; 2° Fides est fundamentum justitiæ, sine qua *impossibile est placere Deo*: ergo hæresis, expellendo Fidem, privat hominem omni justitia; 3° quia hæresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis; et sic est directe et immediate contra Deum.

II. Hæresis *pure materialis* vacat omni culpa. Ratio patet ex ejus definitione: supponitur enim quispiam hic et nunc errare ex ignorantia invincibili veritatis; peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. Ergo...

Quæsitæ.

210. — QUÆR. 1° *Quænam sint signa hæresis materialis, et formalis?*

Resp. ad primum: Censendus hæreticus materialis tantum, 1° qui paratus est se submittere iudicio Ecclesiæ, statim ac illud noverit; — 2° qui, natus inter hæreticos, de vera Fide nihil cognovit et de sua Religione nunquam dubitavit; — 3° qui, dubitans, cognoscere studuit veritatem, quantum potuit, necdum ad eam pervenit.

Resp. ad secundum: Hæreticus formalis reputandus est 1° qui dubitat, atque ex pertinacia non vult ulterius inquirere; — 2° qui iterum ex pertinacia avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis, ut suæ sectæ adhæreat; — 3° qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiæ.

QUÆR. 2° *An sit hæreticus formalis qui dubitat de aliquo Fidei articulo?*

Resp. 1° Affirm., si positive dubitet, iudicando incertam esse veritatem quam scit esse a Deo revelatam et ab Ecclesia propositam: voluntarie enim contradicit Fidei.

Resp. 2° Affirm., iterum, si negative se habeat, atque suspendat assensum ex formali aut virtuali contemptu divinæ revelationis. Secus autem, si id faciat ex negligentia, aut quia vult mentem ad alia divertere, etc.

QUÆR. 3° *An sit hæreticus formalis, qui iudicium Ecclesiæ sufficienter propositum pertinaciter negat esse vere Ecclesiæ iudicium?*

Resp. Affirm. Eadem enim Fide qua obligamur ad ea credenda quæ fuerunt ab Ecclesia definita, obligamur ad credendum ea vere fuisse ab Ecclesia definita. Sic, hæreticus esset qui decreta Concilii Tridentini nollet habere tanquam verum et infallibile Ecclesiæ iudicium.

QUÆR. 4° *An sit hæreticus formalis qui Fidem externe tantum negat?*

Resp. Neg. Nullo enim modo est hæreticus, quia in eo non est assensus pertinax contra Fidem, et proinde in foro conscientiæ hæreticorum pœnas non incurrit, quamvis graviter peccet contra præceptum Fidei.

Vide plura de hæresi in Tract. de Censuris, ubi etiam dicitur de prohibitione librorum, necnon de Indice.

CAPUT II

DE SPE

211. — Spes est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia ex Dei promissione expectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam.

Objectum *materiale* Spei primum est Deus possidendus, juxta illud Gen. xv, 1. *Ego ero merces tua magna nimis*. Objectum vero secundarium sunt omnia media ad beatitudinem consequendam necessaria, ut remissio peccatorum, gratia Dei per merita Christi, etc.

Objectum autem *formale* Spei est bonitas et fidelitas Dei cum ejusdem omnipotentia conjuncta.

Actus autem in Spe inclusi, sunt desiderium beatitudinis æternæ, firma fiducia ad illam perveniendi, et erectus animus contra occurrentes difficultates.

Peccata vero Spei opposita, sunt desperatio et præsumptio. Prior est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem, et media ad eam assequendam necessaria. — Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendæ sine mediis a Deo ordinatis.

Principia.

212. — I. Spes in adultis requiritur de *necessitate mediæ* ad justificationem. Homo enim ad Deum finem suum ultimum consequendum pervenire nequit, nisi propriis actibus in ipsum tendat: hoc autem sine Spe fieri non potest. Constat etiam ex *Conc. Trid. sess.*, VI, c. vi.

II. Spes necessaria est etiam *necessitate præcepti*; siquidem datur verum præceptum eliciendi actus Spei aliquoties in vita. Constat ex propositione 1^a ab Alexandro VII damnata, quæ sic sonat: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*.

Quandonam autem et quonam modo urgeat præceptum Spei, iisdem regulis determinandum est quas supra, n. 188, de Fide statuimus, et infra, n. 218, de Caritate statuemus.

Quæsitæ.

213. — QUÆR. 1^o *Quot modis committatur peccatum præsumptionis?*

Resp.: *Præcipue* 1^o si præsumas vitam æternam propriis viribus obtinere; 2^o si eam expectes sine labore, ex sola Dei misericordia. — *S. Lig.* n. 21.

QUÆR. 2^o *An possit dari materiæ parvitas in peccatis contra Spem?*

Resp. 1^o *Affirm.*, quoad præsumptionem, etsi gravis sit ex genere suo.

Resp. 2^o: *Dist.*, quoad desperationem: *Neg.*, si sit perfecta et proprie dicta; *secus*, si sit imperfecta, ut sæpe in tristitia et impatientia accidit.

214. — QUÆR. 3^o *An sit peccatum contra Spem, cupere perpetuo in hoc mundo vivere; aut e contrario ex tædio mortem exoptare?*

Resp. ad primum: Affirm., quia qui illud cupit, sistit in vita temporali tanquam in fine ultimo. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 20.*

Resp. ad secundum: 1° Non est contra Spem *per se*, quia non est recedere a fine ultimo; *2°* nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divinæ Providentiæ.

QUÆR. *4° An sit præsumptio committere pluries idem peccatum, quia tam facile pluries quam semel commissum accusatur?*

Resp. Neg., quia pœnitens facilius peccat non ex facilitate veniæ obtinendæ, sed ex minori difficultate confitendi; quamvis hæc sit prava dispositio, Deo maxime injuriosa. Esset autem peccatum præsumptionis, si quis ideo facilius peccaret, quod tam facile remittantur plura peccata, quam unicum.

Universim loquendo, præsumptio est: *1°* sperare veniam peccatorum sine pœnitentia; *2°* peccare aut in peccato perseverare ex spe veniæ, tanquam ex motivo sive ratione peccandi; *3°* peccare sub spe veniæ cum proposito perseverandi in peccato. — Non est autem præsumptio peccare ex passione aut fragilitate cum spe et proposito pœnitendi atque ita peccatorum remissionem obtinendi. Imo, inquit S. Thomas (2. 2., q. 21, art. 2, ad 3), *tunc minuitur peccatum, quia per hoc videtur homo habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* — Ita, ex S. Thoma, *S. Lig., n. 21.*

215. — QUÆR. *5° Quænam sint remedia desperationis?*

Resp.: Præcipua sunt sequentia: *1°* consideratio bonitatis et misericordiæ infinitæ Dei; — *2°* frequens recordatio eorum hominum qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt; — *3°* meditatio parabolarum sancti Evangelii, præsertim *ovis perditæ*; — *4°* devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; *5°* fiducia in Christum pro nobis cruci affixum, etc.

Regulæ practicæ.

216. — *Prima.* Dispiciat Confessarius, ex qua potissimum radice desperatio in pœnitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa causa applicare possit. — Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certæ damnationis; remote vero: *1°* ex *acedia*, qua quis media salutis nimis gravia putat, et proinde ab iis adhibendis deterretur; *2°* ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quæ mentem a cœlestibus avertunt, et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; *3°* ex *melancholia*, quæ inclinatur ad tristitiam, et avertit a fiducia, quæ gaudium animi generare solet; *4°* ex *scrupulis*, quibus anima dejicitur et opprimitur.

Secunda. Pœnitentes desperationi dediti a Confessario cum magna circumspeditione prudentia et patientia sunt moderandi, juxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. Alio enim modo dirigendi sunt qui ex malitia, vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt; alio qui ex pusillanimitate, vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

Tertia. Non statim prima fronte judicandi sunt velut desperatione abstracti pœnitentes qui se tales exhibent, præsertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animæ etiam devotæ, quæ tentationibus desperationis

prope continuis exagitantur; nec facile credendum est, eas peccasse præsertim graviter, quamvis putent se illis consensum præbuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est. — *Elbel*, etc.

CAPUT III

DE CARITATE

217. — *Caritas* est virtus qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum, et proximum propter Deum. — Caritas est omnium virtutum præstantissima, quia Deum modo perfectissimo attingit. Hinc I Cor. XIII, 13: *Nunc manent Fides, Spes, Caritas, tria hæc; major autem horum est Caritas.*

Objectum *formale* Caritatis est bonitas divina, *materiale* vero primarium Deus, secundarium proximus. — *S. Lig. n. 12 et seq.*

Distinguitur: 1° Amor Dei *intensive* vel *appretiative* summus; 2° Amor *benevolentiae*; qui proprium bonum amati respicit; amor *amicitiæ*, qui est amor *benevolentiae* mutuus; et amor *concupiscentiæ*, qui intendit primario bonum proprium amantis.

Agendum 1° de amore Dei; 2° de amore proximi.

ARTICULUS I

DE AMORE DEI

1° Datur præceptum speciale diligendi Deum super omnia tum affectu interno per veram cordis dilectionem, tum etiam opere externo. — Constat ex verbis Christi, Matth. XXII, 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo...; hoc est maximum et primum mandatum.*

2° Præceptum hoc, prout affirmativum, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, ut patet ex lege naturali, non autem necessario *intensive*, quia essentia Caritatis in gradibus non consistit. — *Ita communiter.*

Quæsitæ.

218. — QUÆR. 1° *An teneamur ad agendum semper ex motivo Caritatis?*

Resp. Neg., juxta dicta de *Act. hum.*, n. 31. Siquidem etiam actus aliarum virtutum sunt boni et meritorii. Constat etiam ex propositione 8^a ab Alexandro VIII damnata.

QUÆR. 2° *Quandonam urgeat præceptum Caritatis?*

Resp.: Obligat tum *per se*, tum *per accidens*, sicut præceptum Fidei. Recole dicta superius de *præcepto Fidei*, n. 188. Constat etiam ex propositionibus 5^a et 6^a ab Innoc. XI damnatis, quarum prior sic jacet: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Posterior vero: *Probabile est, ne singulis quidem rigoroze quinquenniis, per se, obligare præceptum Caritatis erga*

Deum. S. Ligorio magis arridet sententia eorum qui actum Caritatis semel in mense requirunt. — *Hom. apost. n. 13.*

QUÆR. 3^o *An satisfiat præcepto Caritatis per attritionem in susceptione sacramenti Pœnitentiæ?*

Resp. Neg., quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui, et proinde in ea deest motivum principale Caritatis.

Resolves.

219. — 1^o Præcepto Caritatis facile satisfaciunt fideles qui pie vivunt, quia sæpius actus Caritatis eliciunt gaudento de perfectionibus divinis, optando ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant, atque ejus mandata observent; orando devote ut sanctificetur nomen ejus, ut fiat ejus voluntas; vitando peccatum, quia ipsi displicet, etc.

2^o Fideles igitur non debent esse anxii de hac obligatione, si vitæ christianæ studeant, et voluntatem gravia peccata vitandi retineant. Suadendum tamen ipsis est, ut sæpe explicitos Caritatis actus eliciant in vita, ad majorem cum Deo conjunctionem, atque ut animus paratior sit ad similes actus in morte facile eliciendos.

3^o Satisfacit præcepto Caritatis, qui peccato gravi inquinatus, et copia Confessarii destitutus, elicit actum perfectæ contritionis, etiamsi hic actus esset aliunde necessarius, v. gr., ad celebrandam Missam. Ratio est, quia præceptum Caritatis simul cum alio præcepto bene impleri potest, et in ejusmodi adjunctis locum habet id, quod superius diximus, præceptum Caritatis interdum obligare per accidens. — *Elbel*, etc.

ARTICULUS II

DE AMORE PROXIMI

Agendum 1^o de præcepto amoris proximi in se; — 2^o de operibus Caritatis ex illo implendis; — 3^o de vitiis Caritati proximi oppositis.

§ I. *De præcepto amoris proximi in se.*

1^o Erga omnes in genere; 2^o erga inimicos in particulari.

PUNCTUM I

De præcepto Caritatis erga omnes in genere.

Principia.

220. — I. Datur præceptum diligendi proximum vero et interno affectu. Constat: 1^o ex lege naturali, quia etiam in proximo viget idem motivum formale dilectionis, scilicet *bonitas* Dei participata; omnes enim homines sunt Dei creaturæ, ad ejus imaginem conditi, atque amicitiae Dei et æternæ beatitudinis capaces: ergo sicut Deum amare, ita et proximum diligere propter Deum debemus. — 2^o Constat ex Scriptura sacra, Matth. XXII, 39: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* — 3^o Constat etiam ex damnatione

propositionis 10^a ab Innoc. XI, quæ sic jacet : *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.*

Qui vero christiane vivit, sufficienter satisfacit huic præcepto, quoad actum internum, orando in genere pro proximo vel recitando Orationem Dominicam. Quoad actus vero externos satisfacit, proximi necessitatibus sive temporalibus sive spiritualibus succurrendo, juxta regulas infra statuendas.

II. Ordo aliquis Caritatis servandus est in proximi dilectione. Ratio est, quia et personæ diligendæ magis vel minus perfectæ sunt, aut magis vel minus nobis conjunctæ, et bona ipsis desideranda vel procuranda magis vel minus necessaria sunt.

Item diversæ sunt necessitates in quibus proximo succurrendum est. Necessitas enim sive temporalis, sive spiritualis, triplex distinguitur scilicet :

1^o *Extrema*, cum periculum æternæ damnationis, aut mortis, alteriusve mali morti fere æqualis, ita proximo instat, ut hic, moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit.

2^o *Gravis*, cum ex circumstantiis æterna salus valde difficilis, aut temporalis vita valde molesta redditur.

3^o *Communis* seu *mediocris*, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur in ordine spirituali vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, ex pravo statu resurgerent; in ordine vero temporali eam patiuntur generatim pauperes mendicantes, quibus vita, pro eorum conditione, non nimis molesta ac misera est. — *S. Lig. n. 27; Hom. apost., n. 18.*

REGULÆ SPECIALES ORDINIS CARITATIS

221. — *Prima regula.* Quisque tenetur seipsum magis diligere simpliciter et absolute, quam proximum. Ratio est, quia unusquisque sibi magis proximus est, quam alius quilibet. Id clarum est insuper ex inclinatione naturali et invincibili ad seipsum magis diligendum quam proximum; unde vulgare axioma : *Caritas bene ordinata incipit a semetipso.*

Secunda regula. Debemus tamen succurrere proximo, nostris etiam commodis posthabitis, ordine sequenti :

1^o In *extrema necessitate spirituali*, succurrendum est proximo, etiam cum certo vitæ periculo, dummodo sit æque certa spes illum juvandi, neque ullus alius sit a quo sublevetur, nec gravius inde malum immineat; quia vita æterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali. — *S. Lig. n. 27.*

2^o In *extrema necessitate temporali*, succurrendum est proximo *ordinarie* cum magno quidem incommodo, non tamen cum maximo, quale esset etiam pro divite magnæ pecuniæ largitio. (*Vide inf., n. 228, Q. 3^o.*) Ratio est, quia ex una parte vita proximi bonum est excellentius aliquo nostro bono; et ex alia parte cum amor sui ordine præcedat, nemo obligatur ad tantum incommodum pro aliis subeundum. — *S. Lig. n. 31.*

3^o In *gravi necessitate utriusque ordinis* nemo tenetur proximo succurrere cum gravi suo incommodo, secluso tamen justitiæ, pietatis vel officii titulo. Ex dictis enim sequitur, nos teneri ad opem aliquam præstandam, non tamen cum gravi proprii boni jactura. — *S. Lig., ibid.*

4^o In *communi necessitate utriusque ordinis*, succurrendum proximo est cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit, sed levi tantum; non enim potest esse nisi levis obligatio Caritatis, quando proximus sat facile ab illa necessitate sese eripere potest, vel non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari. Hoc enim impossibile est, et si fieri posset, jam non leve incommodum foret. — *S. Lig. n. 32.*

Tertia regula. Inter varias personas diligendas præferendæ sunt, cæteris paribus, eæ quæ nobis sunt magis conjunctæ sanguine, amicitia, officio, Religione, convictu, etc., cum Deus vinculis strictioribus nobis illas devinxerit.

Hinc præferendi sunt: 1^o parentes cæteris; 2^o conjux filiis, filii fratribus, fratres cognatis; 3^o amici, benefactores, Superiores et personæ bono publico utiliores cæteris. Attamen in ordinaria necessitate, juxta communem sententiam, conjux et filii parentibus præferri debent. — *S. Lig., Hom. apost., n. 15.*

Resolves.

222. — 1^o In pari ordine bonorum, parique necessitate et causa magis tenemur nosmetipsos diligere, quam proximum. Ratio est, quia dilectio sui est regula dilectionis proximi juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Regula autem prior est, et potior, quam regulatum.

2^o Peccat contra Caritatem erga seipsum, graviter vel leviter pro rei gravitate, qui debitam animæ vel corporis curam negligit. — Licet tamen se privare bonis spiritualibus non necessariis, ad bonum sive temporale, sive spirituale, proximi, v. gr., omittere auditionem Missæ die feriali, etc. Imo potest quis majora bona spiritualia non necessaria optare et procurare proximo quam sibi, secluso eorum contemptu.

3^o Nemo tenetur cum periculo vitæ aut bonorum extrahere alios a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per Sacramentum Pœnitentiæ aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitæ versentur. — *S. Lig., ibid., et alii communiter.*

4^o Non licet tibi subire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impediās, quando lapsus tuus appareat quodammodo certus; secus, si periculum istud fieri possit remotum, ita ut merito confidas non te lapsurum esse. — *S. Lig., Hom. apost., n. 14.*

5^o *Probabilius* in iis, quæ necessaria sunt vitæ, sibi præferre licet æqualem aut inferiorem, imo est actus heroicus Caritatis, modo ob Deum fiat. Excipe, si ille, qui se exponit, necessarius sit Reipublicæ aut familiæ suæ. — *Ita Suarez. — Laymann, etc. contra alios.*

Quæsitæ.

223. — QUÆR. 1^o *An sit contra Caritatem sibi mortem optare ob vitæ infortunia?*

Resp. 1^o Neg., si fiat ex desiderio vitæ melioris, seu æternæ felicitatis, ut perspicuum est.

Resp. 2^o Affirm., si fiat ex tædio vitæ, vel ex animi dejectione. Non

tamen peccant, qui mortem cupiunt, quando vita tam molesta sit, ut ipsa morte durior aestimetur. — *S. Lig. n. 30.* — Secus, si eam optent levi quavis de causa, quamvis non peccent graviter, nisi velint divinæ Providentiæ ordinī contraire.

QUÆR. 2º An sit contra Caritatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere, ob bonum finem?

Resp. 1º Neg., si debitus ordo Caritatis servetur, id est, si fiat ob majus bonum, vel ad minus malum. Hinc id licitum est: 1º ob bonum spirituale proximi ipsius; 2º ob bonum commune, vel spirituale, vel temporale; 3º ob bonum etiam plurium, multo majoris momenti, v. gr., familiæ, communitatis, etc. — *S. Lig. n. 30.* — Cæterum talia desideria in perfectiora commutari facile et utiliter possunt.

Resp. 2º Affirmative, quando caritatis ordo pervertitur. Hinc non potest uxor desiderare mortem mariti, ex eo quod injuste ab eo male tractetur, nec filiæ suæ, quia ob deformitatem vel paupertatem nubere nequit. Constat ex damnatione propositionum 13^m et 14^m ab Innocentio XI. — *S. Lig. n. 30.*

PUNCTUM II

De præcepto Caritatis erga inimicos in particulari.

Datur præceptum etiam inimicos diligendi. Constat ex verbis Christi, Matth. v, 44: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Et ibid., vi, 45: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Regulæ.

224. — *Prima.* Debentur, *per se*, inimicis eadem signa dilectionis, quæ aliis ejusdem status præstari solent; quia eorum denegatio esset actus vindictæ et manifestatio odii, quod Caritati adversatur.

Dixi *per se*, quia quandoque adest rationabilis causa ad tempus ea denegandi, v. gr., ratione debitæ correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, vel ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici, etc., item ob expressionem justī doloris ex injuria concepti, etc.

Secunda. Non debentur *per se*, inimicis signa specialia dilectionis, v. gr., eos ægrotos visitare, mæstos consolari, hospitio vel convivio recipere, seclusa ratione scandali vitandi, aut nisi peculiari et obvio benevolentiae signo, v. gr., salutatione, possis sine gravi incommodo inimicum placare et efficere ut odium deponat. Nam pro salute ejus interdum hoc facere tenetur, ait *Suarez, disp. v, s. 5, n. 8.*

Tertia. Non modo offensa inimico condonanda ita est, ut injusta vindictæ desiderium abjiciatur, et communia dilectionis signa non negentur; sed etiam, specialia illa benevolentiae signa exhiberi debent, quibus omissis, aliquis moraliter se ostenderet ac gereret ut inimicum. Hinc veniam petenti, et congruam injuriæ, si qua intercessit, satisfactionem exhibenti particularia quoque specialis dilectionis signa, si quæ prius dari solebant, generatim loquendo non sunt abnuenda. — *S. Thomas, in 3. dist. 30, q. 1, art. 2, ad 5;* et *S. Antoninus, part. II, tit. VIII, cap. II, § 6.*

Quæsitæ.

225. — QUÆR. 1^o *An liceat pœnam publicam optare inimico, imo et eam expetere?*

Resp. Affirm. per se, si absit omnis vindictæ affectus, sed in praxi hoc periculosum est, et hallucinationi facile obnoxium, ut advertit *S. Lig. n. 20.*

QUÆR. 2^o *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione faciendâ?*

Resp. 1^o: Qui alium offendit, debet prior, *per se*, media ad reconciliationem adhibere, ut dicat naturalis æquitas.

2^o Si offensio sit mutua et æqualis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inæqualis, præeat qui gravius offendit. Cæterum absolutæ regulæ assignari nequeunt, sed circumstantiæ spectandæ sunt. — *Ita communiter.*

QUÆR. 3^o *An detur obligatio inimicum obvium salutandi?*

Resp. Neg. per se, quia salutatio et colloquium non sunt signa communia proximo debita. Secus tamen dicendum est, si adjuncta status, conditionis aliave similia postulent ut omnes indiscriminatim sese salutent, vel agatur de subdito erga superiore suum, aut inimicus prior te salutaverit. — *S. Lig. n. 28. — Sporer, etc.*

QUÆR. 4^o *An offensor a læso veniam petere debeat?*

Resp. Affirm. per se, nisi aliud medium vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat, v. gr., varia officia aut beneficia præstando, aut nisi ad placandum offensum nihil prodesse veniæ petitio videatur. Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit, aut si offensus prudenter censeatur id condonare. Sed alia non desunt media offensum placandi. — *Ita communiter. — Lacroix, lib. II, n. 189. — Tambur., etc.*

Resolves.

226. — 1^o Non licet inimicos ab orationibus excludere, v. gr., ab Oratione Dominica, imo speciatim pro ipsis orandum esset, si unicum hoc medium offenso suppetaret ad odium restinguendum.

2^o Non licet inimicos excludere a communibus elemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione, quia hæc sunt signa communia dilectionis. — *Ita communiter.*

3^o Peccant, qui inimicum sibi obvium ex industria declinant, eo præsertim advertente et graviter sentiente, aut invitati ire cum eo recusant, nisi tamen metu rixarum, aut novi rancoris, vel alia justa causa, excusentur. Item qui veniam recusant, vel satisfactionem convenientem non acceptant, aut majorem æquo exigunt, vel qui rem in judicium deferunt ex odio et vindicta, item qui inimico in necessitate non subveniunt, aut grave ejusdem damnum non impediunt, cum facile possint, et a fortiori, qui de illius malo lætantur.

4^o Non sunt absolvendi, saltem ordinarie, qui, quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, si allocutionis omissio, exterius saltem, ex circumstantiis grave significat odium. A fortiori qui asserunt ne verbum quidem se illi unquam dicturos esse; isti enim animi prave dispositi suspicionem merito injiciunt.

5° Non statim arguendi sunt de peccato, præsertim gravi, pœnitentes qui de odio se accusant; sæpe enim confundunt odium *proprie dictum* seu *inimicitia* cum odio *abominationis* seu *qualitatis*, aut *defectus*, vel etiam aliqua tantum animi aversione naturali et invincibili laborant. Cavendum tamen est, ne abominatio *qualitatis*, *indolis*, etc., ad personæ odium paulatim sese extendat. — *S. Lig. n. 30. — Voit n. 703.*

§ II. De operibus misericordiæ.

Opera misericordiæ alia sunt corporalia, uti cibum pauperi præstare, nudos operire; etc.; et alia spiritualia, ut peccantes corrigere, ignorantés docere, mœstos consolari, etc. Speciatim de duobus tantum dicemus: 1° de eleemosyna, 2° de correctione fraterna, prout ad præceptum Caritatis referuntur.

PUNCTUM I

De eleemosyna.

Eleemosyna est actus misericordiæ, quo proximi necessitati subvenitur. — Alia *spiritualis* est, qua spiritualem, alia *corporalis*, qua corporalem proximi necessitatem juvamus. De sola corporali nunc agimus.

227. — *Dico*: Datur vere præceptum eleemosynam indigentibus erogandi. Constat 1° ex lege naturali, scilicet ex lege generali caritatis, qua obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad opem illi in necessitate ferendam. Recole supra *de Caritate, n. 221.* — Constat 2° ex Scriptura sacra. Sic enim Eccli. iv, 1: *Eleemosynam pauperis ne defraudes*; et Matth. xxv, 42: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum.*

Bona fortunæ alia sunt *necessaria vitæ* seu *naturæ*, sine quibus non potest aliquis, iique quorum curam habet, esse vel vivere; alia *necessaria statui* seu *decentiæ*, quibus indiget aliquis, iique quorum curam habet, ad honeste vel decenter vivendum secundum statum suum. — *S. Thom. in 4 dist. 15, q. 2, a. 4, q. 1.*

Superflua dicuntur quæ necessaria non sunt.

Regulæ.

I. *In extrema necessitate*, proximo succurrendum est etiam ex bonis *statui necessariis*; sic enim exigit rectus Caritatis ordo, cum vita proximi prævalere debeat bono nostro longe inferiori.

II. *In gravi necessitate*, quæ ad extremam accedit, succurrendum est proximo *ex bonis aliquo modo statui necessariis*, seu cum modico sui status detrimento. In ea vero quæ tanta non est, satis est ut ei succurratur ex bonis quæ statui seu decentiæ superflua sunt. — *Ita communiter. — Viva, in Prop. 12 ab Innoc. XI damn., n. 8. — S. Lig. n. 31.*

III. *In communi necessitate*, licet nulla sit obligatio dandi eleemosynam huic aut alteri in particulari, attamen, ex communi DD. sententia, a peccato excusari non posset, qui bona etiam statui superflua habens, nullam unquam eleemosynam largiri vellet. — *Vide Suarez, disp. vii, s. 3, n. 7.*

Quæsitæ.

228. — QUÆR. 1^o *An sub gravi obliget præceptum eleemosynæ?*

Resp. 1^o *Affirm.*, tum in extrema tum in gravi necessitate. — *Ita omnes.*

Resp. 2^o etiam *Affirm. probabilius*, in necessitate communi. Quamvis enim necessitates communes singulorum pauperum per se videantur leves, aggregatum tamen illarum est materia valde gravis; ergo divites, qui aggregatum illud miseriam in genere humano contemnunt, eique pro sua quisque parte nolunt subvenire, caritatem et misericordiam lædunt in materia gravi. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 32, contra Busemb., Vasquez, et plures alios*, qui hanc obligationem levem esse arbitrantur, eo quod communis pauperum miseria levis ac tolerabilis esse solet.

QUÆR. 2^o *Quænam bona censeantur ad honeste vivendum necessaria?*

Resp.: Ea sunt quæ requiruntur ad famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes, ad convivia de more instauranda, ad moderatam pro conditione pompam, etc. — *Ita communiter S. Lig., ibid.*

QUÆR. 3^o *Quænam quantitas bonorum sit pauperibus danda?*

Resp. 1^o: In necessitate extrema, vel ita gravi ut extrema facile evadere possit, dandum est quantum sufficit hic et nunc ad levandam hanc necessitatem, nisi sint alii qui ipsi subvenire velint. Nemo tamen tenetur magnam pecuniæ summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia extraordinaria et magni pretii ei procuranda. — *S. Lig. n. 31.*

Resp. 2^o: In necessitate communi, quantitas determinata assignari nequit. *Probabilius* tamen sufficere videtur erogare quinquagesimam partem eorum quæ statui supersunt. — *Ita communius. — S. Lig. n. 32, et in Hom. apost., n. 19.* Quidam tamen vigesimam aut etiam decimam partem esse pauperibus erogandam contendunt. Sic *Concina*, etc.

QUÆR. 4^o *Quinam debeant, aut possint eleemosynam facere?*

Resp. 1^o: Illi soli generatim, qui sunt veri domiui, vel bonorum suorum administratores.

Resp. 2^o: Uxor tamen eleemosynas ordinarias et valde communes facere potest, juxta morem conditionis suæ; non autem extraordinarias, sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, quorum scilicet dominium simul administrationemque habet et fructus percipit. — *S. Lig. n. 33.*

Resp. 3^o: Filii nihil dare possunt, nisi in rebus valde tenuibus. Excipe nisi bona habeant propria, aut ex patris consensu, aut alio titulo, libertati ipsorum permissa. Famuli vero nihil sine consensu expresso, vel tacito, aut prudenter præsumpto dominorum suorum. — *S. Lig., ibid.*

Resolves.

229. — 1^o Peccant divites qui pauperes semper dure a se repellunt, et reservant omnia superflua ad statum altiorem acquirendum. Nam alioqui tam modica eleemosyna, quæ superius recensita est, honestum ascensum ad statum superiorem impedire non potest.

2^o Ab eleemosynis excludendi non sunt alienigenæ aut infideles qui in necessitate versantur, servato tamen recto Caritatis ordine, et nisi justa de

causa obtinuerit alicubi mos vel statutum pauperes peregrinos a civitatibus arcendi, ut scilicet a suis civibus alantur.

3^o Nulla tamen est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus, quia non sunt vere pauperes; imo illicitum id foret, utpote illis nocivum.

4^o Tenentur medici, advocati, etc., operam pauperibus gratis impendere, quia sunt in vera necessitate, nec ab aliis adjuvari possunt. — *S. Thom. 2. 2., q. 71, art. 1.*

5^o Non eximuntur a præcepto eleemosynæ qui degunt in civitatibus ubi prohibetur eleemosynæ petitio, quia non desunt alia media præcepto satisfaciendi, v. gr., erogando pecuniam collectoribus in Ecclesiis, etc., vel Parochis aut aliis curæ indigentium præpositis. Ubi autem urget præceptum succurrendi proximo in extrema necessitate, non est exspectanda pauperis petitio.

PUNCTUM II

De correctione fraterna.

Correctio fraterna est admonitio qua quis, ex Caritate, alium a peccato revocare conatur.

Principia.

230. — I. Datur verum præceptum fraternæ correctionis. Constat 1^o ex lege naturali Caritatis, qua ad proximi mala submovenda obligamur. — 2^o Ex Scriptura sacra. Eccli. xix, 14: *Corripe proximum... ne forte iteret*; et Matth. xviii, 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

II. Ad obligationem strictam hujus præcepti requiritur 1^o ut certo constet de peccato proximi, aut de proximo peccandi periculo; — 2^o ut affulgeat spes aliqua, imo major probabilitas emendationis; — 3^o ut non sit alius æque idoneus, qui correpturus credatur; — 4^o ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis; — 2^o ut necessaria judicetur ad delinquentis emendationem, nec spes saltem probabilis sit, eum sponte sua se emendaturum. — *S. Lig. n. 38 et seq., aliique communiter.*

Quæsitæ.

231. — QUÆR. 1^o *An sub gravi obliget præceptum fraternæ correctionis?*
Resp. Affirm. per se, si adsint requisitæ conditiones, et agatur de materia gravi. Hinc peccare potest graviter, qui ex vano timore, ne proximus aliquatenus offendatur, vel ne ipse inde leve patiatum detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat illam esse vere profuturam. — Leviter tamen peccat, qui ex pusillanimitate et verecundia se reputat minus idoneum ad corripendum. — *S. Thom. 2. 2., q. 33, art. 2. — S. Lig. n. 37.*

QUÆR. 2^o *An præceptum correctionis locum habeat, ubi quis ignorantia peccat?*

Resp. 1^o Affirm., si agatur de ignorantia vincibili, quia hæc non excusat a peccato, *juxta dicta n. 14.*

Resp. 2° : Si agatur de ignorantia invincibili : — 1° Peccator corrigi debet, si hæc respiciat jus naturale aut divinum positivum, ob reverentiam maximam ei debitam, modo tamen correctio profutura videatur. — [*Ita communiter.* — 2° Si autem ignorantia invincibilis respiciat jus humanum, *controvertitur* : juxta *communio*rem sententiam est adhuc facienda correctio, quia transgressio legis, licet mere materialis, posita lege, tamen mala est, et ideo tenemur per correctionem eam impedire, si profectus prævideatur subsequiturus. — *Probabiliter* tamen dicunt alii non urgere tunc obligationem correctionis, saltem sub gravi, et pro iis qui Superiores non sunt. Ratio est, quia agens non peccat nec quidquam intrinsece malum agit. — *Ita quoad utramque sententiam S. Lig.*, qui n. 36, et in *Retr.* q. 5, priorii sententiæ veluti probabiliori magis accedit.

Addunt generatim, etsi fructus non speretur, et ignorantia sit invincibilis, tamen monitionem adhuc fieri debere, si agatur de necessariis necessitate medii, vel de iis quæ publicum scandalum præbent, ne scilicet alii putent id licere quod non corrigitur. — *Scavini.*

232. — QUÆR. 3° *Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?*

Resp. : Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiæ aliud suadeant. — Hinc 1° Corripe secreto : *Corripe eum inter te et ipsum solum.* — 2° Coram testibus, si prior admonitio non sufficiat : *Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos.* — 3° Rem deferas ad Superiorem : *Dic Ecclesiæ.* (Matth. xviii, 15 et seq.)

Aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet — 1° si peccatum sit publicum vel mox publicandum ; — 2° si sit graviter alteri noxium ; — 3° si secreta admonitio non judicetur profutura ; — 4° si præstet rem statim Superiori manifestare ; — 5° si delinquens cessit juri suo, ut fit in variis Ordinibus religiosis. — *S. Lig. n. 40*, etc.

Resolves.

233. — 1° Correctio fraterna cum vera etiam quoad modum Caritate facienda est ; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter æquales, et reverentialis erga Superiores.

2° Privati inter se raro ad correctionem tenentur, *saltem sub gravi*, nisi sint familiariter inter se conjuncti ; quia raro omnes requisitæ conditiones reperiuntur ; rarius adhuc erga Superiores propter ineptitudinem.

3° Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correctionem accipientes fiant deteriores.

4° Scrupulosi ordinarie excusantur a fraternæ correctionis officio ; quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt ; scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretionem ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

5° Prælati, Episcopi, Pastores, Magistratus tenentur, etiam cum magno incommodo, impedire peccata tum publica, tum occulta, subditorum suorum, quia ex justitia ad procurandum tuendumque bonum commune obligantur.

6° Tenentur ex officio Superiores invigilare in subditos, et inquirere eorum peccata, non admodum tamen de certa quapiam persona, nisi ad hoc illos

peculiaris aliqua ratio permoveat. Nec facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis præbere, quia interdum isti specie boni communis seipsos quærent.

7° In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc., plerumque expedit ut correctio fiat via denuntiationis ad Superiorem aut per se, aut per alium; nec possunt absolvi sodales aut convictores in ejusmodi denuntiationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de jure naturali denuntiandi sunt Superioribus ecclesiasticis Sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi prævidentur. — *Ita communiter.*

§ III. De vitiis Caritati proximi oppositis.

Præcipua sunt odium, invidia, rixæ, scandalum et cooperatio peccatis alienis.

De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis jam actum sit alio loco, vel in quinto Decalogi præcepto sit dicendum.

PUNCTUM I

De scandalo.

SECTIO I

De scandalo in genere.

234. — DEFINITIO. Scandalum est dictum vel factum minus rectum præbens alicui occasionem ruinæ spiritualis.

Est *dictum vel factum*, quo nomine etiam omissio intelligitur; *minus rectum*, id est quod vel in se malum est, vel habet speciem mali; quapropter ait Apost. I. Thess. v, 22: *Ab omni specie mala abstinete vos*; — *præbens occasionem*, id est causam sufficientem, non autem semper aut *per se* efficacem, peccati; *ruinæ spiritualis*, quæ potest esse gravis vel levis: hoc enim nomine intelligitur peccatum vel mortale, vel veniale.

DIVISIO. Distinguitur scandalum *directum* vel *indirectum*, prout actio mala alterius intenditur in se vel in causa tantum qua proximus ad peccatum excitatur.

Scandalum directum dicitur etiam *diabolicum*, quando intenditur formaliter ruina spiritualis proximi. Si vero non intenditur spiritualis ruina alterius, sed solum propriæ voluntatis utilitas vel oblectatio, dicitur *simpliciter directum*.

Theologi communiter distinguunt scandalum *activum* et *passivum*. Scandalum *activum* est, juxta definitionem datam, dictum ipsum vel factum præbens alteri occasionem peccandi; *passivum* est inde consequens ruina seu peccatum alterius.

Scandalum autem potest esse *activum*, quin ipsum *passivum* consequatur; quia poni potest actio apta per se ad scandalum, quin inde proximus occasionem accipiat ruinæ spiritualis. Et vice versa potest esse *passivum*, quin sit *activum*; siquidem potest quis sumere occasionem peccandi ex

actione aliena, quæ, neque ex se neque ex circumstantiis, ad peccatum suadendum vel inducendum apta sit. Jamvero *passivum* tunc scandalum non proprie tribuendum est alterius actioni, sed potius ignorantie, imaginationi, aut etiam malitiæ illius qui scandalum patitur, vel sine fundamento admittit. Si ex infirmitate vel ignorantia suscipiatur, dicitur scandalum *datum* vel *pusillorum*; vocatur vero *acceptum* vel *pharisaicum*, si ex mera subjecti malitia proveniat. — *S. Lig. n. 43.*

Principia.

235. — I. Scandalum, etiam indirectum, est peccatum grave ex genere suo, quia ex genere suo est contrarium, seu opponitur *per commissionem*, Caritati; directe enim, ut ait S. Thomas (2. 2., q. 43, art. 3), opponitur correctioni fraternæ: siquidem hæc proximum a peccato retrahit, illud e contra eum trahit ad peccandum.

II. Scandalum *pusillorum* seu infirmorum vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo, tum operis indifferentis, tum etiam operis boni non præcepti omissione; ratio, quia ex Caritate ruinam proximi ope nostra indigentis impedire tenemur cum facile possumus, v. gr., abstinendo ab actione non valde utili, aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponendo, etc., sed *pusilli* ope indigent, cum propter ignorantiam aut infirmitatem versentur in quadam necessitate spirituali. Ergo. — Bene autem observat S. Thom. (2. 2., q. 43, art. 7) scandalum pusillorum post monitionem fieri plerumque pharisaicum.

III. Scandalum *pharisaicum* seu *malitiosum*, saltem *ordinarie*, nec omissione operis boni, nec omissione operis etiam indifferentis, mali speciem non habentis, est necessario vitandum: ratio, quia scandalum patientes ex sola sua malitia non sunt in necessitate a qua non possint se facile liberare sine ope alterius, et alioquin daretur locus iniquis impediendi bona opera cum velent.

Quæsitæ.

236. — QUÆR. 1^o *An præcepta sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?*

Resp. 1^o Neg., quoad præcepta juris naturalis negativa, quia hæc semper et pro semper obligant, atque opera illis contraria sunt intrinsece mala. Affirmativa autem, quæ non obligant pro semper, v. gr., præceptum corrigendi peccatores, omittere interdum licet, imò et opus est, si gravior inde ruina timenda sit; at potius dicendum est, tunc ipsam legem cessare. — *S. Lig. n. 51.*

Resp. 2^o: Quoad præcepta positiva humana, *controvertitur*. *1^a Sententia probabilior affirmat*, secluso incommodo gravi, quia præceptum vitandi scandalum proximi, utpote naturale, positivis præceptis præferendum est. Hinc mulier sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad Missam præceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum, si spes adsit ut deinde scandalum cesset: non tamen pluries, ob grave incommodum quod inde consequeretur. — *S. Lig., ibid.* — *Suarez.* — *Laymann*, etc. — *Negant* tamen alii, et quidem probabiliter, apud *S. Lig., ibid.*

QUÆR. 2^o *An bona temporalia tenearis dimittere ad scandalum vitandum?*

Resp. Neg., ordinarie loquendo, quia Caritas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hinc non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas illum secus esse blasphematurum: incommodum enim illud, licet leve in se, sæpius occurrere potest, et sic grave faciliter evadit; quin imo ad blasphemandum incitamentum posset sæpius id esse.

— *S. Lig. n. 52.*

QUÆR. 3^o *An in scandalo detur non solum peccatum contra Caritatem, sed etiam contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur?*

Resp. 1^o Affirm., quoad scandalum directum. Quælibet enim virtus specialiter vetat non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium directe inducat ad eam violandam. — *Ita fere omnes.*

Resp. 2^o: Etiam affirmandum videtur, saltem *probabilius*, quoad scandalum indirectum; quia in eo non solum læditur Caritas erga patientem scandalum, sed etiam læditur ipsa virtus ad quam violandam proximus inducitur licet indirecte tantum; voluntarium enim indirectum sufficit ad peccatum, ac proinde virtus quælibet vetat ne aliis voluntarie et sine justa causa, atque a fortiori ex causa omittenda, utpote peccaminosa, ejus violandæ præbeatur occasio. Neque inde consequitur teneri ad restitutionem eum qui solo suo exemplo movet alium ad furandum. Aliud est enim præbere tantum occasionem damni inferendi, aliud ponere damni causam *per se* efficacem: in priori casu justitia affectu quidem lædi potest, et in casu nostro læditur; sed ex hoc posteriori dumtaxat inferitur obligatio restituendi. — *Vide dicenda in Tract. de Just., n. 659. — S. Lig. n. 45.*

Sententiam tamen oppositam *probabiliter* defendit Lugo (*de Pœnit. sect. 16, n. 159*), cum aliis, rationemque affert, quia virtutes non nos obligant ut impediamus in aliis vitia opposita, sed tantum ne positive et directe intendamus proximum inducere ad eas offendendas.

237. — QUÆR. 4^o *An peccans cum complice declarare debeat in confessione circumstantiam sollicitationis?*

Resp. Probabilis Neg., dummodo vel ex natura peccati, vel ex modo quo peccatum accusatur, Confessarius sufficienter intelligat aliquem adfuisse complicem. Ratio est, quia sola communione criminis efficitur, ut mutuuum fuerit scandalum, et quidem ex utraq; parte activum, inter sollicitantem et consentientem. Ergo illa declarata, declaratur etiam scandali peccatum. Quod autem unus ex complicitibus prior altero causam scandali posuerit, circumstantia est mere aggravans, quæ non mutat peccati speciem. — *S. Lig. n. 46. — Lugo.* — Affirmant tamen *probabiliter Salm.* et alii, qui aiunt actionem inducendi ad peccandum esse peccatum speciale et distinctum a peccato cooperationis. Is enim qui sollicitanti consentit, non videtur activum, sed passivum dumtaxat scandalum admittere.

QUÆR. 5^o *An liceat suadere minus malum alicui ad majus determinato?*

Resp. Affirm. probabilis cum *S. Lig., n. 57.* Quidam tamen limitant, si minus malum contineatur aliquo modo in majori, ut percussio in homicidio, etc.: quæ tamen limitatio *S. Alph.* necessaria non videtur.

QUÆR. 6^o *An liceat occasionem peccandi permittere, ut reus corrigatur?*

Resp. Affirm., quia permittere non est inducere, et adest ratio sufficiens peccatum permittendi. Hinc a peccato sunt excusandi *per se* 1^o parentes et domini qui filios vel famulos peccare sinunt, ut opportunum eos corrigendi

locum inveniant; — 2^o custodes agrorum, vinearum, etc., qui se abscondunt ut damnificantes capiant, et ab eis pœnam exigant. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 58.* — *Laymann, etc.*

238. — QUÆR. 7^o *An liceat justa ex causa etiam occasionem peccati apponere?*

Resp.: Controvertitur. — *Affirm. probabilius,* quia peccans non inducitur in peccatum, sicut non inducitur usurarius, a quo mutuum petitur: ponitur enim actus indifferens cum ratione sufficienti. Hinc *probabiliter* non peccat dominus qui, de industria, arcæ, in qua pecunia reconditur, clavem relinquit appositam, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur. — *S. Lig. n. 58.* — *Laymann, Collet,* contra quosdam idcirco negantes, quasi hoc perinde sit ac positive concurrere ad peccatum, ejus periculum expresse creando et ad illud inducendo.

QUÆR. 8^o *Quid de fidelium communicatione cum Judæis?*

Resp.: Tum ad tuendam christianæ Religionis dignitatem, tum ad vitandum quodcumque perversionis periculum, statutum est ab Ecclesia, 1^o ne Christiani cum Judæis habitent; 2^o ne eorum conviviis intersint; 3^o ne iisdem famulentur; 4^o ne eorum azymis vescantur; 5^o ne mulieres christianæ lactent Judæorum infantes tam in illorum quam in sua ipsarum domo. (*C. Nullus, C. Omnes, C. Judæi, caus. XXVIII, q. 1., S. Lig. n. 48.* — *Pius IV Constit. Cum enim et S. Cong. Inquisit. die 15 Mart. 1612.*)

Attamen excluso quocumque perversionis periculo, probabiliter non est lethale, imo nulla est culpa, si id ex rationabili causa fiat. *S. Lig. l. II, n. 18.* — *V. Casus, n. 226 et seq.*

SECTIO II

De scandalo in particulari.

1^o Circa luxuriam; 2^o circa pravos libros; 3^o circa choreas; 4^o circa spectacula.

I. — Circa luxuriam.

239. — Gravissimum scandalum est ea facere, repræsentare, aut præ se ferre, quæ ad libidinem notabiliter provocant; quia nullum venenum subtilius animæ propinari potest.

Hinc gravissimi scandali rei sunt — 1^o qui turpia in comædiis aliisque cœlibus repræsentant; — 2^o qui cantilenas aut carmina turpia componunt vel canunt; — 3^o qui statuas aut imagines obscenas faciunt vel exponunt; — 4^o qui discipulos sibi commissos pravæ exemplis seducunt. — *S. Lig. n. 56.*

Quæsitæ.

QUÆR. 1^o *An peccet graviter fœmina nudo pectore incedens?*

Resp. Affirm., si nudatio sit immoderata, seu valde notabilis, non obstante quacumque contraria consuetudine. Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit. Consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiæ minuit, cum assueta minus phantasiam excitent. — *S. Lig. n. 55.*

QUÆR. 2^o *An graviter peccet mulier ornatum gerens superfluum, aut fucovultum pingens?*

Resp. ad 1^{um} Neg. per se, quia ornatus non graviter ex natura sua ad libidinem provocat, quin etiam ad status decorem sæpe exigitur.

Resp. ad 2^{um} Neg. itidem: id enim *per se* venialem labem minime excedit, si ob vanam gloriolam captandam fiat: omni vero peccato carebit, si justa causa interveniat, v. gr., defectus naturalis tegendus, etc. — *Conf. S. Thom. 2. 2., q. 169, art. 1 et 2.*

QUÆR. 3^o *An graviter peccet mulier viriles vestes induens?*

Resp. Neg. per se: id enim, si justam ob causam fiat, omni culpa carere potest; si ob levitatem vel jocum, veniale non excedit, præciso tamen scandalo aut libidinis periculo. — *S. Lig. n. 52.*

QUÆR. 4^o *An graviter peccent ii qui larvati seu personati incedunt?*

Resp. Neg. per se, modo scilicet eos congressus non adeant in quibus proxima plerumque peccandi occasio occurrit.

240. — QUÆR. 5^o *An liceat meretricibus vel concubinariis famulari?*

Resp. ad 1^{um} Neg. tum ob scandalum, tum etiam ob maximum lapsus periculum. Si qui vero casus excipiendi fortasse forent, hi ex personarum adjunctis, vel necessitatis gradu dijudicandi erunt.

Resp. ad 2^{um}: Permitti quidem potest, si domi non servetur concubina. Secus vero difficulter ob grave seductionis periculum, nisi tamen graves vigeant rationes ejusmodi domino inserviendi, vel nisi famuli famulæque pietate vel annis provectiores existimentur. Paucis; quæstionis hujus solutio vix tradi potest, sed ex variis rerum adjunctis petenda est. — *Ita communiter*, contra *Concina*, qui nullam admittit exceptionem.

QUÆR. 6^o *An liceat puellæ accipere munuscula ab illo, a quo præter matrimonii finem requiritur et amatur?*

Resp. Neg., quia munera mutuum amorem maxime excitant ac fovent. Hinc, quoad fieri potest, imperandum puellæ ut ejusmodi munuscula restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis comburenda tradat. — *S. Lig. n. 76. — Lacroix, l. II, n. 264.*

II. — Circa pravos libros.

Ex omni scandalorum genere nullum magis execrandum est, quam quod ex impiis et obscænis libris procreatur. Hæc est diabolica inventio, omnium efficacissima ad animas turmatim in gehennæ barathrum detrudendas. Hæc est pestis omnium maxime dira et immanis, quæ non una tantum regionem aut ætatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur, omniaque innumeris complet stragibus. Quis autem edicere posset horrenda mala quæ Religioni et moribus ex pravis libris velut ex lethali fonte exorta sunt, et quidem usque ad finem mundi propaganda atque multiplicanda?

Satagant igitur et animo mactent ministri Dei, concionatores scilicet et Confessarii, ut totis viribus huic torrenti iniquitatis se opponant, et pereuntes animas e faucibus infernalis abyssi eripiant.

Numquam igitur permittenda est lectio, impressio et divulgatio librorum Fidei et moribus omnino adversantium.

Quæsitæ.

241. — QUÆR. 1^o *An typis committi possint libri qui partim boni, partim sint mali?*

Resp. Neg., generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint; secus tamen, si periculum ex iis reformidandum non adeo grave sit, et hoc compensari magna utilitate ex iis capienda videatur. Typographi vero sedulo a doctis peritisque viris, ab ecclesiasticis præsertim Superioribus, exquisant quid in dubiis agendum sit.

QUÆR. 2º *An pravi libri interdum vendi possint?*

Resp.: Nullo modo indiscriminatim vendi possunt, cuilibet scilicet emptori, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus ac doctis, qui hujusmodi libros utiliter legere possunt, v. gr., ad eos confundendos, etc. Excipe libros prorsus obscenos, qui radicitus sunt extirpandi.

QUÆR. 3º *Quid de donatione aut locatione pravorum librorum?*

Resp.: Idem generatim dicendum, proportionem servata, ac de eorum venditione, quia omnia hæc corruptelarum plena sunt. — *Gousset, l. I, n. 392.*

QUÆR. 4º *An ejusmodi libri domino reddi possint?*

Resp. Neg., nisi prudens timor cujuscumque gravis incommodi aliter suadeat. Hoc ex principiis, quæ tradidimus, sua sponte defluit. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixas, blasphemias, odia, aliaque ejusmodi a domino pertimescas. Levis contristatio, vel etiam timor dissolvendæ amicitiae non censeretur sane ratio, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi.

De prohibitione librorum dicemus in Tract. de Censuris.

III. — De choreis.

242. — Choreæ vel saltationes, prout vulgo fiunt, periculi et scandali plenæ sunt, innumerasque animas diaboli laqueis irreluunt; et in hoc ludendi genus unanimiter invehuntur sancti Patres. Attamen choreæ non æque omnes idem malum aut periculum perferunt.

Principia.

I. Choreæ, *per se*, etiam inter diversi sexus personas, non sunt illicitæ, si fiant honesto modo, id est remoto omni tactu, gestu, aut actu impudico. Ratio est, quia choreæ *per se* indifferentes sunt, nec ulla lege prohibentur. — *Ita communiter. — S. Lig. l. III, n. 429.*

II. Choreæ inhonestæ ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestuum, cantuum, possunt esse graviter illicitæ, ut patet. Inter illas autem a multis recensentur saltationes recentiores, quæ gallice dicuntur *la Valse, la Polka, le Galop*, et aliæ istis similes. At Confessarii erit judicare de particularibus casibus ex modo, circumstantiis, gravitate motivi, etc.

III. In praxi generatim choreæ quælibet inter personas diversi sexus impediendæ sunt, quantum fieri potest; quia prout haberi solent, plerumque periculosæ sunt. Hinc Parochi et Confessarii subditos et pœnitentes ab illis, quantum fieri potest, avertere debent. — *Ita communiter nostræ ætatis Doctores, et animarum directores.*

Resolves.

243. — 1º Qui ita infirmi sunt, ut grave peccandi periculum subeant in saltationibus, ab iis sub peccato mortali abstinere debent; nisi forte ali-

quando quædam necessitas urgeat, et saltem probabiliter absit consensus periculum.

2° Modeste saltare vel choreis honestis adesse ex quadam necessitate, vel ex status sui decentia, sine probabili peccandi periculo, nullum est peccatum; quia datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quæ sint, permittendi. Hinc excusantur a peccato, decenter saltando, puellæ matrimonio destinatæ, quæ a choreis in domo paterna, vel apud vicinos aut cognatos ductis, abesse non possunt, vel saltationem recusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

3° Imo interesse choreis honestis etiam absque necessitate, secluso tamen periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non solum non est mortale, sed facile etiam omni peccato vacare potest. Inveniuntur enim aliquando viri, et non raro mulieres, quibus etiam in choreis inter personas diversi sexus, nullum aut valde remotum periculum imminet. Hi autem quamvis a saltationibus dissuadendi sint, tamen imprudenter ab illis promissio vitandi choreas sub denegatione absolutionis exigeretur. —

Bouvier.

Quæsitæ.

244. — QUÆR. 1° *An haberi tamquam licitæ possint choreæ cum larvis?*

Resp. Neg., generatim loquendo. Experientia enim constat, hujusmodi ludos illecebras esse ad libidinem, et causam efficacem impuditiæ. Attende tamen ad varias circumstantias, et ad rationem majoris vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest.

QUÆR. 2° *An possint absolvi qui nolunt promittere se choreas derelicturos?*

Resp. 1° Neg., si illis sit occasio peccandi proxima, et indiscriminatim choreis etiam inhonestis interesse velint. Impossibile enim est generatim, quempiam sæpe versari in istis consortiis levissimæ et corruptissimæ juventulis utriusque sexus, et impura contagione non infici. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Affirm., generatim, si tantum choreis honestis intersint, v. gr., si quando auctoritate publica celebrentur, vel in nuptiis cognatorum aut amicorum, vel etiam die festo Patroni loci; in hujusmodi casibus, qui impediri nequeunt, Confessarius prudenter dissimulabit; neque enim hac de causa pœnitentes a Sacramentis removendi sunt. — *Ita Bouvier, de VI Præcept. c. IV, art. 3, et alii.*

QUÆR. 3° *An possint facile absolvi qui interdum ducunt choreas inter cognatos et amicos?*

Resp. Affirm., saltem generatim loquendo, si choreæ fiant adstantibus piis parentibus, aut aliis qui ætate et moribus sint conspicui. Tales enim ludi non videntur per se graviter periculosi, et aliunde vix aut ne vix quidem impediri possunt, præsertim cum nullam mali speciem præ se ferant. Excipe, nisi alicui etiam ibi proxima adsit peccandi occasio.

QUÆR. 4° *An, vel quænam sit culpa apprehendere manum mulieris in choreis?*

Resp.: Si apprehendatur leviter de more in choreis honestis, nulla est per se culpa, aut ad summum venialis est, quia in hoc generatim nullum

vel leve periculum libidinis adest. — *Ita S. Lig., cum aliis, l. III, n. 429.*

Si autem affectu pravo manus mulieris apprehenderetur, aut perstringeretur, culpa levis aut gravis foret pro affectus pravitate, aut etiam pro minori majorive periculo consensus in peccatum.

245. — QUÆR. 5^o *An publice in prædicatione choreas reprehendere expediat?*

Resp. Neg., generatim in iis locis ubi sunt in usu, et reputantur quid indifferens; quia concionator nihil proficeret, et saltantes a concionibus simul et a Sacramentis averteret. Expedit igitur ut concionatores, præsertim Parochi, agant *indirecte* tantum in choreas, et *directe* in peccata quæ in eis committi solent. Caveant autem ne imprudenter notis infamiæ afficiant tum saltantes, tum alios ad choreas concurrentes, nec minitentur tales tempore Paschali ad sacram mensam non fore admittendos. — *V. Casus, n. 223 et seq.*

IV. — De spectaculis.

246. — De spectaculis, seu ludis quæ per mimos sive per histriones præsentari solent, idem fere dicendum erit ac de choreis. Quare hæc pauca subjicere sufficiat.

Principia.

I. Spectacula *per se* non sunt mala, nec proinde illicita; nulli enim legi, nec naturali, nec positivæ, sive divinæ, sive humanæ, adversantur. Unde si res turpes in eis non repræsentarentur, et aliunde abessent circumstantiæ libidini fomentum præbentes, nullatenus reprobanda forent. — *Ita communiter. — S. Thom. 2. 2., q. 168, art. 3.*

II. Spectacula in quibus repræsentantur res notabiliter turpes, vel in quibus apparent personæ diversi sexus habitu notabiliter indecenti, generatim loquendo graviter illicita sunt, quia tam actoribus quam spectatoribus noxia sunt.

Attamen cum illicitum generatim non sit, justa et proportionata exstante causa, alicui se periculo exponere, præsertim si salutaribus præsiidiis quis, uti par est, se communit; ideo excusari possunt tum milites qui adesse tenentur ad invigilandum, tum servi qui gravem indignationem dominorum paterentur, si adesse renuerent, etc. — *Scavini.*

Resolves.

247. — 1^o Non peccat mortaliter qui, præciso scandalo, interest comædiæ non graviter turpi, nisi forte experientia sciat, se hujusmodi ludis vehementer ad libidinem cum proximo consensus periculo commoveri. adeo ut spectaculum sit ipsi proxima peccandi occasio. — *S. Lig., de VI Præc., n. 427.*

2^o Si in comædiis repræsentarentur res notabiliter turpes, aut turpi modo, mortale quidem esset illas spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; veniale autem ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem (*S. Lig., ibid.*), quod facile aderit in adolescentibus, vel in aliis parum timoratæ conscientiæ; et nisi adsit scandalum, quod plane adesset, si

comœdiis turpibus interessent Clerici et Religiosi, uti advertit *Bened. XIV.*
— *S. Lig., Hom. apost. Tract. IX, n. 10.*

3° Merito *Holzmann* et *Lacroix* propter scandalum aliorum damnant de mortali tum eos qui pecunia aut plausu cooperantur ad comœdias notabiliter turpes, tum eos quoque qui eas impedire tenentur, et, cum commode possint, non impediunt; a *fortiori* autem eos qui illas repræsentant. — *S. Lig., ibid., in op. magno.*

PUNCTUM II

De cooperatione.

SECTIO I

De cooperatione in genere.

248. — DEFINITIO. Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente. — Prout autem Caritati adversari potest, est participatio quædam ad actionem pravam alterius.

DIVISIO. Distinguitur cooperatio :

1° *Immediata*, vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones cum peccato alterius connexionem aliquam habentes.

2° *Proxima*, vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius cum prava alterius actione connectitur.

3° *Positiva*, vel *negativa*, prout cooperans vel ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. gr., eum adjuvando, vel omittit actum debitum, v. gr., si non obstat, cum ob stare deberet.

4° *Formalis*, quæ concurrat ad malam voluntatem alterius, et nequit esse absque peccato; vel *materialis*, quæ concurrat tantum ad malam actionem alterius sine intentione cooperandi ad peccatum.

Datur etiam cooperatio *directa*, vel *indirecta*, *physica*, vel *moralis*, ut dictum est ubi de voluntario in se et in causa : *De Act. hum., n. 5 et 7.*

Cooperatio fit præcipue novem modis, scilicet jubendo, consulendo, consentiendo, laudando, recursum præbendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. Hinc versiculi :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Vide dicenda in *Tractatu de Justitia.*

Principia.

I. Certum est, nunquam licere cooperationem formalem, cum hæc moraliter influat in peccatum alterius, et proinde sit illius causa moralis. — *S. Lig. n. 63.*

II. Cooperatio materialis licita est, dummodo actio sit per se bona vel saltem indifferens, adsitque causa justa et proportionata ad gravitatem peccati alterius, et ad proximitatem concursus ad peccati executionem. Ratio est quia, cum tu præstas actionem indifferentem sine prava intentione,

si alter illa abuti voluerit ad peccatum exsequendum, non teneris nisi ex Caritate illud impedire; et cum Caritas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: neque enim peccatum illius provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. — *S. Lig., ibid.* — *Vid. de Actibus humanis, num. 9.*

III. Eo major requiritur ratio ad cooperandum, quo propinquior et major est cooperatio, — quo probabilior et pejor est effectus secuturus, — quo probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, — quo magis peccatum justitiæ vel Caritati repugnat.

Resolves.

249. — 1° Nunquam peti potest, quod sine peccato concedi nequit, ut violatio obligationis alicujus, v. gr., a notario aliquid officio suo oppositum.

2° Non licet furi terga servare, quia hoc est influere in pravam furis voluntatem. — *S. Lig., de VII Præc., n. 571.*

3° Licet petere mutuum ab usurario, Sacramenta ab indigno ministro, juramentum ab eo qui forte pejeraturus est, modo adsit justa causa. — *S. Lig. n. 77, 79.*

SECTIO II

De cooperatione in particulari.

Scilicet præcipue 1° quoad famulos; 2° quoad operarios; 3° quoad mercatores; 4° quoad caupones.

Ex principiis supra positis colligi plerumque potest, quandonam famuli et alii peccatis dominorum, sociorum, aut aliorum cooperari possint, vel non. Plura tamen dubia ad majorem rerum perspicuitatem solvenda sunt. Hinc

I. — Quoad famulos.

Quæsitæ.

250. — QUÆR. 1° *An possit famulus, metu mortis aut mutilationis, subicere humeros hero ad fornicandum ascendenti?*

Resp. Affirm. probabilius, quia non ponit actionem intrinsece malam. — *S. Lig. n. 66, 68.* Sed tenetur postea domini sui domum deserere, si quid aliud ejusmodi timeat. — *Scavini.* Idem resolve in similibus.

QUÆR. 2° *An liceat famulo ostium domus meretrici aperire?*

Resp.: Communius affirmant, modo adsit alius qui, non aperiente ipso, aperiat. — *S. Lig. n. 66.* Hæc circumstantia enim cooperationem satis remotam facit.

Plures tamen contendunt, nunquam licere ostium meretrici aperire, et innituntur propositione sequenti 51 ab Innoc. XI damnata: *Famulus qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu*

*notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspi-
ciatur, ne domo expellatur.* — Sed hæc verba *aperiendo januam* intelligi
manifesto debent de aperienda per vim aliena domo, ut ex contextu patet.
Præterea damnabilis est hæc propositio, quæ cooperationem levissima
etiam de causa permittebat, scilicet ne famulis etiam torvis oculis aspi-
ceretur.

In civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est usu-
rarios vel meretrices degere, licet domum hisce locare maxime si alii con-
ductores desint, aut illis alias ædes conducere facile sit; nisi tamen mere-
trices graviter noceant vicinis honestis, vel ob situm domicilii majorem
ansam ad peccandum præbeant. — *S. Lig. n. 70.*

251. — QUÆR. 3^o *An possit famulus ratione famulatus sternere equum
domini ad peccandum profecturi, vel eum comitari?*

Resp.: Non videtur quidem illicitum, si famulus tantum equum sternat,
quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo
ostium meretrici. Sed nisi grave damnum immineat, non permittendum
ipsi foret comitari herum ad locum ubi peccatum est patrandum, quia
propior est cooperatio. — *S. Lig., n. 64, et in Retract., n. 10.*

Non licet autem famulo herum ad peccandum comitari, si hic animosior
ex comitatu redderetur, ut habet *S. Lig., n. 64.* — Excusandus autem est
famulus, quoties non est certus de pravo animo domini sui. — *Vogler, etc.*

QUÆR. 4^o *An liceat famulo dona meretrici deferre?*

Resp. Neg., saltem sine causa valde gravi, quia, cum hæc munera apta
sint ad libidinem fovendam, cooperatio proxima est. — *Ita communiter.*
Imo hoc intrinsece malum reputat *S. Lig., n. 63*, quia per se turpem
amorem fovet. Sed probabilius contradicit *Viva* cum aliis.

QUÆR. 5^o *An liceat famulo litteras amatorias concubinæ domini sui
deferre?*

Resp. Neg., nisi adsit ratio valde gravis. Imo, juxta *S. Lig., n. 68.*,
numquam licet, etiam posita gravissima causa, quia (ut ait) hoc intrinsece
malum est; oppositum tamen docet *Vogler* cum aliis. Cæterum famulus non
tenetur inquirere quid in litteris contineatur.

Porro quæ de famulis dicta sunt, fere aliis inferioribus, aut subditis,
v. gr., filiis, uxoribus, etc., applicanda sunt.

II. — Quoad operarios.

Quæsitæ.

252. — QUÆR. 1^o *An liceat operariis theatra ædificare, ornare, etc.?*

Resp. 1^o: Quoad ædificationem videtur generatim licere, etsi gravis alia
ratio desit; ratio, quia licitum est Principibus spectacula permittere.

Resp. 2^o: Quoad ornamenta et alias actiones ab operariis præstandas pa-
riter licitum videtur, si hæc in se honesta sint, quia cooperatio videtur
adeo remota, ut non sit peccaminosa.

QUÆR. 2^o *An liceat operariis ædificare templa hæreticorum?*

Resp. 1^o Neg., absolute, si hoc postuletur ab hæreticis in odium Reli-
gionis.

Resp. 2^o *Affirm.*, in alia hypothesi, quando gravis causa urgeat, sedulo tamen scandalo et quovis religionis contemptu.

QUÆR. 3^o *An liceat conficere statuas falsorum deorum?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si hæc non debeant adhiberi ad falsum cultum, sed ad ornamentum platearum, ædificiorum, etc.

Resp. 2^o *Neg.*, omnino, si sint pagano tradendæ, etc. — *S. Lig. n. 69.*

253. — QUÆR. 4^o *An liceat captivis christianis ex gravi metu remigare in trementibus infidelium contra catholicos?*

Resp. Affirm., nam non faciunt quid intrinsece malum, nec Christianis proxime perniciosum; aliunde ex gravissima causa ad remigandum impelluntur, ut patet. — *S. Lig. n. 73*, etc.

QUÆR. 5^o *An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?*

Resp. 1^o Generatim non videtur licitum esse immediate cooperari impressioni talium librorum, v. gr., typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, etc., quia hoc intrinsece malum est. Attamen, in casu gravissimi detrimenti, ad breve tempus tale quidpiam materialiter præstari posse indicat *Laymann, de Caritate c. XIII, n. 4.*

Resp. 2^o: Licet autem gravi de causa cooperari mediate, seu remote, v. gr., atramentum vel chartam præparare aut libros impressos ordinare. — *Ita communiter.*

III. — Quoad mercatores.

Regulæ.

254. — *Prima.* Licet vendere res indifferentes, aut quæ bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, quia malum non est præsumendum.

Secunda. Non licet vendere res indifferentes, quando certo cognoscitur emptorem illis male usurum esse, nisi denegari absque gravi incommodo non possint.

Tertia. Non licet vendere res quæ ex institutione sua, vel usu, sint destinatæ ad malum, nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata ratio excuset. — *Vogler, n. 315*, etc.

Resolves.

1^o Licet artificibus vel mercatoribus vendere aleas, gladios, fucos, etc., etsi plurimi his abutantur, quia hæc non ordinantur per se ad peccatum, imo sæpe bono usui inserviunt, nec simpliciter impediri possunt. — *S. Lig. n. 71, et in Retr., n. 14.*

2^o Licet vendere ornamenta honesta puellæ, quibus forte sit abusura, præsertim si ab aliis æque emeret; secus tamen, si ipsi venditori constaret de abusu futuro, nisi alioqui notabile damnum pateretur. — *S. Lig. n. 71.* — *Vide Sanchez, de Præceptis Decalogi l. I, c. VII, n. 12*, ubi scite advertit solutionem harum quæstionum ex consideratione multarum circumstantiarum pendere.

3^o Licet vendere carnes diebus abstinentiæ et tempore Quadragesimæ, quia venditor de rationibus ementium judicare nequit, nec pertinet ad ipsum de illis inquirere. — *Lacroix, n. 258.*

4^o Non licet vendere venenum, nisi moraliter constet emptorem illo bene usurum, v. gr., ad confectionem colorum, medicinæ, etc...; quia maxima sequeretur perniciæ generis humani, si hoc promiscue liceret. — *Vogler, n. 316.*

IV. — *Quoad cauponēs.*

Quæsitæ.

255. — QUÆR. 1^o *An liceat cauponibus dare vinum iis qui prævidentur se inebriaturi?*

Resp. : Non licet sine gravi ratione, ut patet. Licet autem ob metum gravis alicujus damni, v. gr., sævitiarum, rixarum, etc...; quia caritas non obligat ut alterum a peccato avertamus cum gravi incommodo. Item ad præcavendas blasphemias, quæ sunt graviora mala. — *S. Lig. n. 69. — Billuart, de Scandalo, art. 6.*

QUÆR. 2^o *An liceat cauponibus dare carnes diebus prohibitis?*

Resp. : 1^o Non licet proprio motu, sine ratione sufficienti, seu nisi metus damni gravis urgeat.

2^o Licet vero communiter, quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum Religionis; ratio, quia difficilius esset inquirere de rationibus cujusque petentis. — *Bouvier, de Præc. Ecclesiæ, c. III, art. 5. — Gousset, n. 303.*

3^o Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedæ publicæ, mensam cibis licitis et illicitis struere; quia, cum constet plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere quid velint. — *Gousset, ibid.*

256. — QUÆR. 3^o *Quomodo agendum cum cauponibus qui choreas in ædibus admittunt, ut plures alliciant hospites.*

Resp. : Generatim ab hoc avertendi sunt, in quantum fieri potest; quia choreæ, præsertim quæ in cauponis habentur, plerumque minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem præbent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandæ sunt circumstantiæ et modus ordinarius quo istæ choreæ fiunt.

QUÆR. 4^o *An liceat dominis hospitiorum, quæ vulgo cafés dicuntur, quævis folia publica hospitibus legenda proponere?*

Resp. 1^o : Non possunt admittere ea quæ evidenter et ordinarie sunt Religionis et bonis moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant.

Resp. 2^o : Possunt admittere ea omnia quæ de rebus mere politicis tractant. Nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod, eo quod interdum aliquid minus rectum ratione Fidei contineat, modo generatim Religionis non adversetur.

TRACTATUS

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

Sicut Symbolum epitome est credendorum, ita Decalogus agendorum. Comprehendit enim decem præcepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quæ naturalis lex præscribit, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt, cætera ad proximum referuntur.

DE I DECALOGI PRÆCEPTO

Ego sum Dominus Deus tuus...: non habebis deos alienos. Exod. xx, 2.

Hoc præceptum, quæ affirmativum, præscribit in primis actus Religionis, quibus Divinitati debitus cultus tribuitur; quæ negativum, prohibet vitia Religionis opposita.

CAPUT I

DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS

Actus præcipui Religionis sunt adoratio, oratio, sacrificium, votum, juramentum et sanctificatio quorundam dierum... De tribus ultimis dicitur in 2^o et 3^o præcepto; de sacrificio, in *Tract. de Eucharistia*. Hic igitur tantum de adoratione et oratione.

ARTICULUS I

DE ADORATIONE

257. — Adoratio *latius* sumpta est cultus alicui exhibitus ob ejus dignitatem; seu est actus quo quis propriam subjectionem alteri exhibet in testificationem ipsius excellentiæ. Sic dicuntur aliquo modo adorari Principes et alii in dignitate constituti; item qui ab aliis specialiter diliguntur.

Adoratio vero *strictius* sumpta est honor Deo exhibitus propter summam ejus excellentiam, supremumque dominium.

Hinc distinguitur cultus: 1^o *Latriæ*, qui soli Deo exhiberi potest ob supremum ejus dominium in omnes creaturas;

2^o *Hyperdulix*, qui B. Mariæ Virgini tribuitur;

3^o *Dulix*, qui Angelis et aliis Sanctis convenit.

Cultus latriæ Deo debetur: 1^o de jure naturali, ob summam ejus maje-

statem, ac supremum in creaturas dominium; 2° de jure divino positivo, ut evincitur ex innumeris sanctæ Scripturæ textibus, v. gr., Matth. iv, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Cultus vel est directus vel relativus, prout vel Deo ipsi aut Sanctis deferatur, vel imaginibus aut iis quæ cum illis specialem habent relationem.

ADNOTANDA DE CULTU ET RELIQUIIS SANCTORUM

258. — Homines qui e vita cesserunt cum sanctitatis fama, cultu *solemni et publico* honorari nequeunt, nisi in album Sanctorum vel Beatorum a Summo Pontifice adnumerati fuerint. Est autem cultus publicus, qui nomine Ecclesiæ vel tanquam ab ea institutus exhibetur; privatus vero, qui ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fiat. — Itaque non licet ecclesias aut altaria erigere in honorem Sanctorum non canonizatorum, vel saltem non beatificatorum: nec licet eos publice invocare in litaniiis, neque eorum Reliquias sive imagines publice venerandas exponere, vel in processionibus circumferre. Licet tamen has imagines vel Reliquias asservare privatim, eas reverenter osculari, etc., quia talis cultus est omnino privatus. — *Decr. Urbani VIII, 13 mart. 1625.*

1° Reliquiæ Sanctorum novæ non sunt publicæ venerationi exponendæ, nisi Episcopus eas recognoverit. — *Ita Conc. Trid., sess. XXV, de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum.*

2° Non possunt apponi aureolæ, seu radii imaginibus defunctorum, licet communiter habeantur ut Sancti, nisi ab Ecclesia beatificati fuerint; itemque nec lampades ad eorum sepulcra appendere licet. — *V. Casus, n. 247.*

ARTICULUS II

DE ORATIONE

259. — DEFINITIO. Oratio *latius* sumpta est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animæ affectus in Deum et in supernaturalia. Sensu autem *strictiori* est petitio decentium a Deo. — *S. Thom. 2. 2., q. 83, art. 1. — S. Lig. in princ. hujus Tract.*

DIVISIO. Est: 1° *mentalis* vel *vocalis*, prout sola mente peragitur, vel mentis conceptus etiam ore exprimuntur; — 2° *privata*, vel *publica*, prout fit a persona privata et privato nomine, vel in communitate aut auctoritate et nomine Ecclesiæ.

Principia.

I. Oratio est omnibus adultis necessaria necessitate præcepti imo probabilius necessitate medii. — 1^{um} evincitur ex innumeris sanctæ Scripturæ locis, v. gr., Matth. xiv, 38: *Vigilate et orate.* — Luc. xviii, 1: *Oportet semper orare et non deficere.* — 2^{um} probatur, quia oratio est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias necessarias obtinendas: *Petite, et accipietis.* Joan. xvi, 24. — *S. Lig. l. III, n. 1.*

II. Præceptum orandi obligat frequenter, ut patet ex citatis textibus, non tamen sine intermissione, quod humanæ imbecillitati impossibile est. —

Verba igitur, *Oportet semper orare*, ex communi Doctorum interpretatione, significant frequenter orandum esse tempore opportuno, et nunquam cessandum ex tædio, torpore, animi dejectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

III. Oratio debitis prædita conditionibus efficaciam habet infallibilem ex Christi promissione. Luc. XI, 10 : *Omnis qui petit, accipit*, etc. — Joan. VI, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*.

Conditiones autem requisitæ sunt, ut fiat 1° pie, devote et attente; — 2° cum perseverantia; — 3° cum humilitate et fiducia; — 4° de rebus necessariis vel utilibus.

Temporalia non debent postulari nisi cum conditione saltem implicita, nempe quatenus ad animæ salutem conferre possunt.

Quæsitæ.

260. — QUÆR. 1° *Quandonam urgeat præceptum orationis?*

Resp. 1° : Urget *per se*, in primo usu rationis non physice sed moraliter sumpto et in articulo mortis, ac præterea sæpius in vita, prout num. præc. dictum est. Non potest igitur omitti per notabile tempus sine peccato; at quodnam tempus notabile reputandum sit, multi determinare non audent. Alii tamen (*Salmant. tr. XXI, cap. IX, n. 17*) docent orandum esse sub gravi saltem semel in anno; alii (*Ledesma, tom. II, tr. IX, cap. IV, concl. 4*), sexto quoque mense; alii (*Suarez, de Orat. l. I, cap. XXX, n. 16*. — *Lessius, de Just. et jur. l. II, c. XXXVII, n. 12*), singulis ferme mensibus; alii (*Palau, tr. VII, disp. I, p. 8, n. 3*), omnino semel in mense; alii singulis hebdomadis. Prima Salmanticensium sententia, quamvis a S. Ligorio non improbetur, videtur paulo laxior; ultima certe rigidior est; media Suarezii est probabilior, et conformior iis quæ diximus de actibus Fidei et Caritatis.

Cæterum Confessarius, ut habent Doctores, magis sollicitus esse debet in inculcanda orandi frequenter necessitate, quam in determinanda gravi omissæ orationis culpa.

Resp. 2° : Urget *per accidens* 1° in gravi tentatione, quæ alio modo facile repellere non possit; 2° in manifesto mortis periculo; 3° in publicis calamitatibus; 4° quoties aliud præceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria, v. gr., si Sacramenta sint recipienda; 5° quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

261. — QUÆR. 2° *An peccet qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

Resp. Neg., præcise *per se*, si interdum tantum omittantur. Ratio est, quia nulla lex est quæ determinatas preces singulis diebus et certis horis præcipiat. Quidam tamen advertunt raro aliquam abesse negligentiam et acedia culpam.

Cæterum in praxi excusari prorsus ab aliqua culpa non possunt, qui illas sæpius omittunt, tum quia forte minime orant alio tempore, aliove modo, et sic orationis præcepto aliquando deerunt; tum quia ob pericula, quæ quotidie occurrunt, neglecta oratione in plura peccata labentur.

QUÆR. 3° *Quomodo peccet distractus voluntarie in oratione?*

Resp. : *Per se* peccat venialiter, quoties sine justa ratione voluntarie dis-

trahitur, idque valet etiamsi oratio fiat absque obligatione, quia aliquam irreverentiam Deo irrogat. — *Elbel*, n. 449.

262. — QUÆR. 4^o *Pro quibus sit orandum?*

Resp. : 1^o Pro nobismetipsis (juxta I^{am} Caritatis regulam); 2^o pro omnibus hominibus viatoribus, etiam infidelibus; 3^o pro animabus in purgatorio detentis. Eruitur 1^o ex lege generali Caritatis; 2^o ex verbis D. Pauli, I Tim. II, 1 : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, etc.*; nec excipiendi sunt inimici, ut patet ex verbis Christi, Matth. v, 44 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

QUÆR. 5^o *Quosnam præter Deum orare possumus?*

Resp. : Beatam Virg. Mariam, ut mediatricem nostram; Angelos, ut custodes hominum; omnes Sanctos et amicos Dei, ut intercessores nostros apud ipsum. Invocari privatim possunt etiam infantes baptizati et ante usum rationis defuncti, et juxta *Less.*, *Bellarm.*, *Bonac.*, *Elbel...*, idem probabilius dicendum est de animabus in purgatorio detentis.

Invocatio autem Sanctorum est de consilio, non vero de præcepto, cum *Trid.*, sess. XXV, dicat tantum esse bonum et utile eos invocare. Valde tamen salutis suæ incuriosus videbitur ille qui nunquam B. V. Mariam invocet, quandoquidem peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta sit.

CAPUT II

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS

Vitia Religioni opposita sunt : 1^o superstitio, per excessum ; 2^o irreligiositas, per defectum.

ARTICULUS I

DE SUPERSTITIONE

Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum, quo vel vero Deo exhibetur cultus indebitus, vel creaturæ cultus soli Deo debitus. Ita communiter ex S. Thoma, 2. 2., q. 92, art. 1.

§ I. *De idololatria.*

263. — Idololatria est actio qua cultus soli Deo debitus creaturæ tribuitur; id vero fit non tantum sacrificio, sed quovis honoris signo, quo quis creaturæ tanquam Deo se submittere intendit, v. gr., genuflexione. — *S. Lig. n. 12.*

Idololatria duplex distinguitur, scilicet 1^o *Materialis* sive *simulata*, cum quis sine affectu interno, ex gravi metu, cultum idolo exhibet. Diceretur etiam materialis, si procederet ex errore invincibili, v. gr., si quis falso putans hostiam esse consecratam, eam adoraret. In 1^o casu esset peccatum mortale; in 2^o nullum, ut patet.

2^o *Formalis* et *propria*, quæ fit 1^o adorando creaturam tanquam Deum :

2° exhibendo cultum dæmoni vel alteri creaturæ quasi Deo, aut saltem ex animo aliquid a tali creatura obtinendi, quod a solo Deo postulari potest. — *S. Lig. n. 13.*

§ II. De vana observantia.

264. — Vana observantia est superstitio, quæ media nec proportionata, nec a Deo instituta adhibet ad certum effectum obtinendum.

Differt a divinatione eo quod hæc tantum ordinetur ad occultorum cognitionem, illa vero ad effectum externum. Convenit cum eadem, quia nititur expresso vel tacito saltem pacto cum dæmone. Qui enim serio et efficaciter finem aliquem intendit per media nec proportionata nec a Deo instituta, etiamsi dæmonis auxilium expresse non imploret, vim tamen in ejusmodi mediis quærit supernaturalem, quæ non est a Deo, ergo quæ est a dæmone. Ergo implicite vult uti dæmonis ope, aut ejus auxilium exspectat.

Triplicis est generis scilicet, 1° *Ars notoria*, seu ars acquirendi scientiam sine labore. 2° *Ars sanitatum*, seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris. 3° *Observantia eventuum*, qua ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicit quis id quod faustum vel infaustum futurum sit, indeque actiones suas moderatur. — *S. Lig. n. 14.*

Principia.

I. Vana observantia est peccatum grave, quia honorem divinum creaturæ tribuit, dum ab ea exspectat quod a solo Deo exspectandum est; et quia pacto implicito cum dæmone nititur. Veniale tamen sæpe esse potest ex imperfectione actus, ex simplicitate, ex ignorantia aliqua vel ex timiditate, ut evenit præsertim inter rudes in observantia eventuum. — *S. Lig. n. 15.*

II. Vana observantia dignoscitur præsertim 1° ex insufficientia causæ ad effectum naturaliter producendum; 2° ex adjunctione vanæ vel falsæ circumstantiæ quasi necessario requisitæ; 3° ex infallibilitate quæ tribuitur mediis nullo modo infallibilibus. — *S. Lig. n. 16.*

III. In dubio num effectus proveniant a causa naturali, an a dæmone, tribui possunt viribus naturæ; et proinde licitum est illos procurare, quia non constat rem esse malam; consulto tamen præmittitur protestatio contra quemlibet dæmonis interventum. — In dubio autem an effectus a dæmone vel a Deo producantur, si certo constet eos a causa naturali provenire non posse, dæmoni tribuendi sunt, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant, quia temerarium est putare, fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri utrum effectus sit secuturus, necne. — *S. Lig. n. 20. — S. Thomas, 2. 2., q. 96, art. 1, et alii communiter.*

Resolves.

265. — 1° Superstitionis rei sunt, qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota, aut certum

adhibent numerum crucium vel orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos, etc. — *S. Lig. n. 17.*

2° Item qui gestant quasdam orationes ad *S. Birgittam* aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis expectantes. — Non tamem vituperandi sunt, imo admodum laudandi, qui numismata pia, sacras effigies aut Reliquias Sanctorum gestant, sperantes auxilium divinum specialiter se impetraturos esse. — *S. Lig., ibid.*

3° Item rei sunt superstitionis, qui aliquos dies tanquam faustos, alios vero infaustos habent, ita ut actiones suas exinde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas, etc. — *S. Lig., ibid.*

4° Superstitiosum vero non est observare lunam aut tempora colligendis herbis, cædendis arboribus aptiora, etc., nec res sacras, aut verba *S. Scripturæ* gestare ad honorem Dei vel Sanctorum, et ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum orationum, nec facere ea omnia quæ devotionem augere possunt, modo vis infallibilis ipsis non tribuatur. — *S. Lig., ibid.*

5° Nec ullatenus supersticiosum, quinimo valde religiosum ac pium est recitare preces novemdiales, aut toties preces iterare in cultum Domini Nostri vel *B. Virginis*, alicujusve Sancti, modo vis *infallibilis* tali numero, certæ diei, aut fixo tempori non annectatur. — *S. Lig., ibid., — V. Casus, n. 253.*

§ III. De divinatione.

266. — DEFINITIO. Divinatio est inquisitio occultorum ope dæmonis.

DIVISIO. Est 1° *expressa*, si fiat per invocationem expressam dæmonis; 2° *tacita*, si illa invocatio sit tantum in mediis impropotionatis.

Varia distinguuntur divinationis genera, cujusmodi sunt præsertim 1° Astrologia judiciaria ex astris; — 2° Augurium ex garritu avium; — 3° Auspicium ex earum volatu; — 4° Aruspicium ex visceribus animalium; — 5° Chiromantia ex lineis manus; — 6° Geomantia ex signis in terra; — 7° Omen ex fortuito casu; — 8° Necromantia ex invocatione mortui; — 9° Oniromantia ex somniis; — 10° Sortilegium ex sortibus; — 11° Oraculum ex idolis; — 12° Vaticinium ex vatibus aut chartis. — *S. Lig. n. 5, 6.*

Principia.

267. — I. Divinationi tribuendum est quidquid occulti cognoscitur alio modo quam per revelationem, aut per media naturalia; non enim aliud datur medium res occultas investigandi. — In dubio autem utrum cognitio ex mediis naturalibus oriatur, necne, num a bono an a malo spiritu, applicandæ sunt regulæ ut supra de vana observantia expositæ.

II. Divinatio expressa nunquam a mortali excusari potest, ne per ignorantiam quidem; patet enim pactum cum dæmone esse quid gravissime illicitum.

Constat aperte ex Scriptura sacra. Sic enim Deut. XVIII, 10: *Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. Nec*

sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem: omnia hæc abominatur Dominus. — Et Levit. xx, 6: Anima quæ declinaverit ad magos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam de medio populi mei.

III. Divinatio autem tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem vel ignorantiam, vel ob defectum fidei certæ. — *S. Lig. n. 7. — Voit, n. 416.*

Resolves.

268. — 1° Non vacat culpa gravi, qui, utens mediis improprietatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum dæmone commercium intendere; agit enim contra suam protestationem, et dæmonem implicite invocatur, cum nec Deus, nec Angeli talibus se immisceant. — Secus tamen in dubio an effectus habeatur a causa naturali, ut de vana observantia dictum est. — *S. Lig. n. 8. — Lacroix. — Bonacina, etc.*

2° Distinguendi sunt sedulo effectus naturales a liberis; priores enim sæpe conjici possunt, uti, v. gr., ex cantu et volatu avium, aut siderum aspectu conjicitur tempestas, pluvia vel cæli serenitas, etc.: experientia enim constat, inter hæc naturalem adesse connexionem; secus vero de posterioribus dicendum.

3° Indoles aut animi status interdum aliquo modo ex colore vultus vel aliis signis internis conjici potest, etsi in praxi plerumque a talibus conjecturis sit abstinendum, ob judicii temerarii periculum: actus vero liberi, sive præteriti sive futuri, nunquam certo cognosci possunt.

4° Peccant graviter qui de fortuna seu vita sua futura a vatibus inquirunt (gallice: *faire dire sa bonne fortune ou sa bonne aventure, faire tirer les cartes*), nisi ex simplicitate, joco aut curiositatis causa agant, quin fidem dictis adhibeant. — *S. Lig. n. 10. — Sanchez, etc.* — Si tamen serio faciat vates, difficile a cooperatione graviter culpabili excusari possunt. — *Ita Reuter, n. 43.*

Quæsitæ.

269. — QUÆR. 1° *An aliquando licitus sit usus sortium?*

Resp. 1°: Sortes divisoriaræ, quibus decernitur quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis, vel rebus distribuendis, certo licitæ sunt, siquidem omni prorsus superstitione vacant.

Resp. 2°: Sortes consultoriæ, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum, non sunt licitæ, nisi fiant speciali Dei impulsu, aut agatur de gravi negotio, in quo aliud consilium desit. Ratio est, quia ex ordinaria providentia non vult Deus, ut ita inquiratur de sua voluntate, sed ad viros prudentes, vel Superiores ecclesiasticos recurrendum est.

*Resp. 3°: Sortes divinatoriæ, quibus rei occultæ manifestatio inquiritur, v. gr., ex jactu taxillorum, etc., sunt semper graviter illicitæ, utpote tacitam saltem dæmonis invocationem continentem. Hujusmodi superstitione proprie *sortilegium* nuncupatur, quo nomine etiam alia superstitionum genera vulgo veniunt. — *S. Lig. n. 10.**

270. — QUÆR. 2° *An liceat futura ex somniis conjicere?*

Resp. Neg. ordinarie, quia somnia fere ex causis naturalibus proveniunt: v. gr., ex humorum commotione, etc. Aliunde somnia a Deo immissa rarissima sunt, et conjunguntur signis per quæ a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possint. — *S. Lig. num. 9. — Tamburinus, etc.*

QUÆR. 3^o *An licitus sit usus virgæ divinatoriæ?*

Resp. 1^o: Certo est damnandus, quoties virga movetur, vel non movetur ad meram intentionem ejus qui eam manu premit, nec movetur in conspectu alterius rei non quæsita, licet ejusdem sit naturæ. Nulla enim est proportio inter rem naturalem et hominis intentionem. Hinc graviter peccant, qui virga utuntur ad furem quærendum, vel ad lapidem agri limitem detegendum.

Resp. 2^o: Non videtur certo damnandus usus virgæ ad detegendas aquas vel metalla, si virga super hæc in omni casu æque moveatur, sive quærantur, sive non quærantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quæ forte adesse possit, excludaturque omnis animus superstitiosus. — *Ita communius recentiores, contra S. Lig., n. 8, ubi usum virgæ divinatoriæ in omni casu reprobatur. — V. Casus, n. 263 et seq.*

§ IV. De magia et maleficio.

271. — I. *Magia late sumpta, seu magia naturalis aut artificialis*, quæ *magia alba* vocatur, est ars faciendi mira saltem apparenter per causas naturales aut hominis industriam, absque ullo dæmonis ministerio.

Magia stricte dicta est ars mira faciendi quæ, licet non supernaturalia sint, vires tamen hominis superant, et proinde ope solius dæmonis explicite vel implicite invocati fieri possunt.

II. *Maleficium* est ars nocendi cum dæmonis interventu. Duplex distinguitur, scilicet *amatorium*, aut *veneficum*. *Maleficium amatorium*, seu *philtrum*, est ars diabolica, qua lubricus amor vel odium in aliqua persona erga aliam vehementer excitatur. *Maleficium veneficum* est præcise ars proximo nocendi ope dæmonis, idque variis modis, v. gr., morbis, hebetudine, etc. — *S. Lig. n. 23.*

Maleficium vulgo vocatur sortilegium, quia per illud sors mala injicitur iis contra quos vindicta, per operationem diabolicam, exercetur. Hinc in Jure canonico et in historia ecclesiastica magi et sagæ *sortiarii et sortiariæ* vocantur.

Resolves.

272. — 1^o *Magia non differt a vana observantia, nisi quod ejus effectus sint magis miri, v. gr., immutatio corporum, etc. Specie autem morali nec a vana observantia differt, nec a divinatione; quia parvi refert, utrum a dæmone occultorum notitia aut effectus mirandi petantur.*

2^o *Maleficium autem differt specie ab aliis superstitionibus, quia, præter peccatum Religioni oppositum, damnum proximi superaddit.*

3^o *Maleficium amatorium non inducit necessario ad patrandum luxuriæ peccatum; quia non tollit libertatem, sed ad libidinem tantummodo vehementer excitat erga aliquam personam determinatam, phantasiam immu-*

tando et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo. — *Reuter.* — *S. Lig. n. 23.*

QUÆR. *An peti possit a mago, ut maleficium tollat?*

Resp. *Neg.*, nisi rationabiliter præsumi possit illud mediis naturalibus auferendum esse. — *Ita communiter Theologi.* — *S. Lig. n. 24 et 25.*

Magi et malefici incurrunt excommunicationem 1^{am} speciali modo Romano Pontifici reservatam in Constitutione *Apostolicæ Sedis*, si accedit hæresis formalis, et id facile evenit, quando, v. gr., miscent res sacras, diabolium ceu Deum adorant, vel consulunt de iis quæ solus Deus nosse potest, etc. — In veteri Testamento malefici morte plectebantur. Exod. xxii, 18 : *Maleficos non patieris vivere.*

Porro Parochi, concionatores et catechistæ cavere sedulo debent, ne fideles alloquantur de variis sortilegis et superstitionibus vulgo incognitis; sed brevem habeant sermonem tantum de iis quæ in illa regione nota sunt, ne ea edoceant potius quam ab iis avertant.

APPENDIX I

DE TABULIS ROTANTIBUS (*Tables tournantes*)

273. Paucis abhinc annis (annis præsertim 1852-53-54) in America primum, subinde in Europa tota, immo in orbe terrarum universo, percubere *tabularum rotantium* stupendissima portenta. In principio visæ sunt tabulæ, aut etiam quævis aliæ res mobiles in gyrum versari, dum extremo circumstantium digito connexo tangerentur. Mox autem tabulæ apparuere, quæ uno vel altero pede in altum sublato, percussione soli, aliisque signis responsa interrogantibus exhibebant : nec multo post quæstionibus quoque de rebus prorsus incognitis, aut futuris, aut etiam extra præsentem vitam peractis, in subjecto papyro, ope adjuncti calami scribentes, satisfaciebant.

Tunc attoniti viri pii, qui primum forte in tabulis rotantibus phænomenon mere physicum inesse existimaverant, diabolicum opus, infernaleque divinationem indubie agnoverunt. Nec interjecta mora, praxis ista tabulas interrogandi a pluribus Episcopis, utpote superstitionibus et periculis plena, damnata fuit.

274. Et sane quidquid sit de motu simplici tabularum, qui physicus aliquando videri potuit, modo imperio voluntatis non fiat, ceteri effectus adeo stupendi nullatenus naturæ materialis viribus, sed prorsus causæ intellectu præditæ tribuendi sunt. Numquid enim quispiam tabulæ lignæ aut marmoreæ quæstiones proponit, et ab eadem responsum expectat? Nemo est qui adeo insaniat; atque adeo merito invaluit persuasio communis, rem agi cum spiritibus, a quibus, ipsæ tabulæ moveantur; quique idcirco *spiritus percutientes* (*esprits frappeurs*) nuncupati sunt. Porro spiritus illi nequeunt esse spiritus boni; blasphemum quippe foret asserere, Angelos aut Sanctos, æterna fruente felicitate, intervenire puerilibus hisce hominum ludis, eorum vanæ voluntati obtemperare, et stultissimæ curiositati satisfacere. Insuper prorsus impie affirmaretur, Deum, qui *divinationem abominatur*, eamque adeo severe prohibuit, permittere ut cœlites

ei inserviant. Spiritus igitur hujusmodi dicendi sunt spiritus mali, a Deo in æternum maledicti, qui jugiter hominibus insidiantur. Porro nonne horrendum est, tale consortium cum immundis spiritibus habere, eos invocare precibus, et sic ipsis verum cultum exhibere? Nonne istud est divinationis crimen, quod a Deo tanquam ingens abominatio prohibitum fuit?

275. — Insuper quot animi terrores, quot detractioes et calumniæ de proximo, quot familiarum dissensiones et opprobria, quot errores et apostasiæ a vera Fide, quot æternæ salutis pericula ex hac impia et pestifera divinatione exorta sunt! Fatendum tamen est, non omnia prorsus, quæ tabulis tribuuntur, esse vera. Aliquando irrepsit humana fraus ad simplices decipiendos. Ast in tanto hujusmodi portentorum numero plurima sunt prorsus indubia, quippe quæ a testibus probatissimis et omni fide dignis comprobata fuerunt. Licet vero aliquando affuerit fraus, hæc tamen, ubi res ut vera agitur, nullatenus a crimine excusat.

Neque fas est tabulas aliasve res hujusmodi interrogare experimenti aut joci gratia. Neque enim licet in re evidenter mala experimentum tentare, nec de ea recreari. Et huc sane spectat illud præclarum S. Petri Chrysologi effatum: *Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.* — *V. Casus, n. 271.*

De hac re vide inter cætera opus *D. de Mirville*, cui titulus: *Des Esprits et de leurs manifestations fluidiques.*

APPENDIX II

DE MAGNETISMO ANIMALI

276. — *Magnetismi animalis* inventor perhibetur Antonius *Mesmer*, medicus Germanus, qui, novos quærens curandi modos, putavit se mirum invenisse remedium variorum morborum in fluxu quodam subtilissimo generatim ex animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili quem ideo magnetismum animale nuncupavit.

Phænomenorum quæ in *statu*, ut aiunt, *magnetico* producuntur varias causas assignarunt. Quidam enim ea unice tribuerunt voluntati seu imperio *magnetizantis*; alii fascinationi seu vi fascinandi quam *magnetizans* in *magnetizatum* exercet; alii spiritibus quibusdam, qui mediis quodammodo veniunt inter *magnetizantem* et *magnetizatum*; alii denique numero multo plures fluido nescio cui, quod ab his *magneticum*, ab illis *nerveum*, a nonnullis *bioticum* seu *vitale*, a cæteris *electricum* appellatum est. Fingunt autem hujuscemodi fluidum meare e corpore *magnetizantis* in corpus *magnetizati* ope variorum gestuum et attractionum alterius in alterum, imo actu solius præsentia, vel solius voluntatis agentis; nec raro, ut aiunt, prima vice præsertim, expressa patientis voluntas requiritur.

Triplex præcipuus magnetismi effectus seu gradus exhibetur: 1^o status *somni*, quo sensus penitus consopiantur, ita ut sæpe nec maximus fragor ad dormientis aures, nec ferri ignisve ulla vehementia excitare illum valeant (*inf.*, n. 280); 2^o status *somnambulismi*, in quo quis, usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia quæ ab

ipso postulatur; 3^o mira sui status cognitio, et remediorum suis morbis convenientium, necnon visio actionum aliorum hominum etiam longe distantium, et eorum omnium quæ tum prope tum procul peraguntur.

Theologi et medici in tres abierunt sententias, quas breviter referemus cum præcipuis earum rationibus.

277. — *I^a Sententia* in omni casu rejicit et execratur magnetismum velut opus diabolicum; miri enim illius effectus, aiunt, neque ex Deo, neque ex natura repeti possunt.

1^o *Non ex Deo.* Quis enim unquam sanæ mentis sibi fingat Deum ad hominis etiam impii nutum ita obtemperantem, ut, eo requirente, ad res adeo prodigiosas immediate concurrat, legesque a se statutas immutet quoties homini libuerit? Numquid Deus præter rerum ordinem infinitam virtutem suam manifestare voluntate humana cogi poterit? Hujusmodi assertio blasphema foret.

2^o *Neque ex natura.* Etenim ad effectus magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice. Nulla autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et causæ physicæ effectum. Nam physica semper agunt eodem modo, debitis conditionibus positis, independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet; ergo, deficiente proportione inter effectum et causam, hæc sane naturalis censi nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. — Insuper miri effectus magnetismi videntur naturæ nostræ vires omnino superare; non intelligitur enim quomodo *magnetizatus* etiam rudis, usu rationis et sensuum privatus, possit tam multas præclaras scientias extemplo sibi comparare, linguas penitus ignotas scire, videre res remotissimas, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, necnon proprias aliorumque infirmitates et his congrua cognoscere remedia, quæ alioqui prorsus ignorat, et quorum, in statum naturalem restitutus, non recordatur.

Et hæc quidem prima sententia solido sane et præ reliquis firmiori fundamento innititur.

278. — *II^a Sententia* tenet, omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse. Ita non pauci medici. Ratio eorum est: 1^o Quia inesse possunt quibusdam humanis corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quæ in aliorum corpora, mediantibus organis, in ipsam animam agant. Non enim omnes naturæ vires cognoscimus, innumerique sunt earum effectus quorum rationem reddere nobismetipsis non possumus. — 2^o Quia effectus similes in naturali somnambulismo producuntur; somnambuli enim vident, audiunt, et stupenda faciunt, quæ ab ipsis in statu vigiliæ fieri nequeunt, nec viribus ordinariis naturæ competunt. — 3^o Nec obstat, quod requiratur aliquando vel ordinarie voluntas patientis; non enim requiritur quatenus voluntas, seu quatenus facultas mere interna animæ et a corpore independens, sed quatenus medium ad phantasiam excitandam, et spiritus subtiles corporis commovendos, sicque ad vim in statum moralem hominis exercendam.

Verum rationes istæ non patefaciunt, quomodo homo rudis, rerum verborumque plane inscius, infusa scientia gaudeat; quomodo res a se valde dissitas cernere, necnon de iis disserere queat: quamvis enim non omnes naturæ vires cognoscamus, scimus ea talia esse ut vires naturæ superent.

Minime ergo apparet, qua ratione hæc praxis a crimine *divinationis* excusari queat. Edisserant etiam nobis hujus doctrinæ fautores, qua ratione eam componant cum Ecclesiæ doctrina, quæ sæpius illa in viris sanctis habuit ceu naturæ vires et ordinem excedentia, quæ viribus occultis naturæ ipsi tribui posse contendunt. Hæc igitur sententia, ut falsa et periculis plena, rejicienda est.

279. — *III^a Sententia* distinguit inter varios effectus a magnetismo productos. Juxta ejus patronos admittendum quidem est, sæpe sæpius dæmonem in magnetismo operari, idque cum effectus productus pendet tantum, aut saltem præcipue, a voluntate agentis, vel quando *magnetizatus* per scientiam infusam addiscit scripturam, litteras, vel etiam linguas, quarum notitia penitus antea carebat, vel quando novit aut videt ea quæ in magna distantia fiunt. Hoc enim videtur omnino vires naturæ excedere, nec talia in naturali somnambulismo efficiuntur. Nihilominus non repugnat, ut aiunt, magnetismum alios miros effectus naturaliter operari; mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis.

Hinc sententiæ hujus patroni concludunt, probabiliter admitti ut naturales posse effectus magnetismi in primo et forte in secundo gradu, scilicet in *somno* et in *somnambulismo*, non vero in tertio gradu, seu in *statu visionis*. At (quod isti parum advertunt) probandum foret, nullum ex ejusmodi effectibus legibus physicis ullatenus repugnare, atque adeo ab ipsa natura provenire posse. Deinde haud oblivioni tradendum est, non raro diabolium rebus ipsis naturalibus sese immiscere, ut hominibus illudat. — *V. Casus, n. 273.*

Curia Romana interrogata circa usum magnetismi in genere, respondit in Congregatione S. Officii die 21 aprilis 1841: *Usum magnetismi prout exponitur non licere*. Hoc responsum confirmavit iisdem verbis sacra Pœnitentiaria in responsione ad Episcopum Lausanensem die 1 Julii ejusdem anni. Exponebatur autem quæstio cum variis effectibus et circumstantiis, quæ in magnetismo ordinarie evenire solent, ut sequitur:

POSTULATUM

EPISCOPI LAUSANENSIS CIRCA MAGNETISMUM

« Eminentissime Domine,

280. — « Cum hactenus responsa circa magnetismum animaleminime
« sufficere videantur, sitque magnopere optandum ut tutius magisque uni-
« formiter solvi queant casus non raro incidentes, infra signatus Eminentia:
« vestræ humiliter sequentia exponit.

« Persona magnetizata, quæ plerumque sexus est fœminei, in eum statum
« soporis ingreditur, dictum *somnambulismum magneticum*, tam alte, ut
« nec maximus fragor ad ejus aures, nec ferri ignisve ulla vehementia illam
« suscitare valeant. Ab solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (con-
« sensus enim est necessarius), ad illud extasis genus adducitur, sive variis
« palpationibus gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici man-
« dato eodemque interno, cum vel pluribus leucis distat.

« Tunc viva voce, seu mentaliter, de suo absentiumque penitus ignoto-
« rum sibi morbo interrogata, hæc persona evidenter indocta illico medicos

« scientia longe superat : res anatomicas accuratissime enuntiat ; morborum
 « interiorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi
 « sunt, causam, sedem, naturam indigitat, eorumque progressus, variatio-
 « nes, et complicationes evolvit, idque propriis terminis; sæpe etiam dicto-
 « rum morborum diurnitatem exacte prænuntiat, remediaque simplicis-
 « sima et efficacissima præcipit.

« Si adest persona de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter
 « utramque per contactum instituit magnetizator ; cum vero abest, cincin-
 « nus ex ejus cæsarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum
 « ad palmam magnetizatæ admoto, confestim hæc declarat, quid sit (quin
 « adspiciat oculis), cujus sint capilli, ubinam versetur nunc persona ad
 « quam pertinent, quid rerum agat, circaque ejus morbum omnia supra-
 « dicta documenta ministrat, haud aliter atque si medicorum more corpus
 « ipsa introspiceret.

« Postremo magnetizata non oculis cernit. Ipsis velatis, quidquid erit
 « illud leget legendi nescia, seu librum, seu manuscriptum, vel apertum
 « vel clausum, seu capiti vel ventri impositum. Etiam ex hac regione ejus
 « verba egredi videntur. Hoc autem statu educta vel ad jussum etiam inter-
 « num magnetizantis vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se præ-
 « nuntiato, nihil omnino de rebus in paroxysmo peractis sibi conscire
 « videtur, quantumvis ille duraverit : quænam ab ipsa petita fuerint, quæ
 « vero responderit, quæ pertulerit, hæc omnia nullam in ejus intellectu
 « ideam, nec minimum in memoria vestigium reliquerunt.

« Itaque orator infra scriptus, tam validas cernens rationes dubitandi,
 « an simpliciter naturales sint tales effectus, quorum occasionalis causa
 « tam parum cum eis proportionata demonstratur, enixe vehementissime-
 « que vestram Eminentiam rogat, ut ipsa pro sua sapientia, ad majorem
 « Omnipotentis gloriam, necnon ad majus animarum bonum, quæ a Domino
 « redemptæ tanti constiterunt, decernere velit, an posita præfatorum veri-
 « tate Confessarius Parochusve tuto possit penitentibus aut parochianis
 « suis permittere :

« 1° Ut magnetismum animale illis characteribus aliisque similibus
 « præditum exercean tanquam artem medicinæ auxiliatricem atque sup-
 « pletoriam ;

« 2° Ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demittendos con-
 « sentiant ;

« 3° Ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas ;

« 4° Ut unum de tribus prædictis suscipiant, habita prius cautela forma-
 « liter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam
 « satanicæ interventioni, quoniam, hac non obstante cautione, a nonnul-
 « lis ex magnetismo hujusmodi vel iidem vel aliquot effectus obtenti jam
 « fuerunt.

« Eminentissimi DD. Eminentie vestræ,

« *De mandato reverendissimi Episcopi Lausanensis et Genevensis, humil-
 « limus obsequentissimusque servus Jac. Xaverius Fontana, Can., Cancell.
 « Episc.*

« Friburgi Helvetiæ, ex ædibus Episc., die 19 Maii 1841. »

RESPONSIO

« Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censet, prout respondet : *Usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.*

« Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 1 Julii 1841.

« Card. CASTRACANE, *m. p.*

« Ph. Pomella, *S. P. Secretarius.* »

(*Ami de la Religion, 7 Août 1841.*)

281. — Omissis pluribus aliis eadem de re S. Sedis responsionibus, referre juvat recentem S. Officii decisionem.

EPISTOLA ENCYCLICA

S. ROM. INQUISITIONIS AD OMNES EPISCOPOS, AÐVERSUS MAGNETISMI ABUSUS

Feria IV, die 30 Julii 1856.

« In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam, Em. ac RR. DD. Cardinales in tota Republica christiana adversus hæreticam pravitatem generales Inquisitores, mature perpensis iis quæ circa *magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi præsentis litteras encyclicas ad omnes Episcopos, *ad magnetismi abusus compescendos.*

« Etenim compertum est novum quoddam superstitionis genus invehit ex phænomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte, vel præstigio, præsertim ope muliercularum, quæ unice a magnetizatoris nutu pendent.

« Nonnullæ jam hac de re a S. Sede datæ sunt responsiones ad peculiare causas, quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quæ ad finem non naturalem, non debitis mediis adhibitis assequendum ordinantur : unde in similibus casibus decretum est fer. IV, 21 Apr. 1841 : *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter quosdam libros ejusmodi errores pertinaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia præter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit fer. IV, 28 Julii 1847 : *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediiorum pure physicorum ad res et effectus mere naturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis.*

« Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo in usu aut abusu *magnetismi*, tamen adeo crevit hominum malitia, ut,

« neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magna cum ami-
 « marum jactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divi-
 « nandique principium quoddam se nactos gloriantur. Hinc somnambu-
 « lismi et claræ intuitionis, uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ, gesti-
 « culationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque
 « conspiciere effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas
 « mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere,
 « aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, ma-
 « gnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In
 « hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusionem, cum ordi-
 « nentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio om-
 « nino illicita, et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.

« Igitur ad tantum nefas et Religioni et civili societati infestissimum
 « efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollici-
 « tudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter, quantum
 « divina adjutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua paternæ cari-
 « tatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis
 « adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adjun-
 « ctis, expedire in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad
 « hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut Dominicus
 « grex defendatur ab inimico homine, depositum Fidei sartum tectumque
 « custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione præserventur.

« Datum Romæ, in Cancellaria S. Officii apud Vaticanum, die 4 Au-
 « gusti 1856.

« V. Card. MACCHI. »

SCHOLIUM. De somno *hypnotico* idem ac de magnetico judicium ferendum est: eadem enim sunt quoad substantiam phænomena, quæ in utroque producuntur. Hinc quæ Ecclesia in magnetismo prohibuit vel damnavit, in hypnotismo quoque prohibita vel damnata omnino censenda sunt.

Unus autem est effectus principalis somni hypnotici, *status* nempe *suggestivus*, quo persona hypnotisata plenissime, quoad omnes suas facultates tum exteriores tum interiores, hypnotisatori subjicitur, atque sub ejus constituitur potestate; ita ut, quamdiu somnus perduret, imo quandoque extra somnum, sublata resistendi possibilitate, ea sentiat et experiatur, ea cogitet, desideret, exquirat, exsequatur atque peragat, sive aliunde licita sint sive illicita, quæ ab hypnotisatore suggeruntur. Porro, cæteris omissis, ex hoc solo capite longe probabilius est, peccare *per se* graviter tum eos qui hypnotisant, tum eos qui se hypnotisari consentiunt. Namque

1° Contra ordinem a Deo statutum, contra dignitatem naturæ humanæ, contra caritatem quam quisque sibi et aliis debet, ille agit qui vel propriam libertatem, nequidem resistendi pravis suggestionibus facultate retenta, plene in manu alterius abdicat; vel libertatem alienam ita invadit, ut ei penitus dominetur, possitque personam hac arte sibi subjectam tanquam merum instrumentum tractare, quod ad ea quæ voluerit admoveat. Imo talia etiam ex mutuo consensu attentare, quamvis casu aliquo forte non perficiantur, gravis peccati reatu *per se* carere non videtur.

2° Maxima est certe potestas hypnotisantis in hypnotisatum quæ acquiri

vel exerceri nequit nisi mediis ad tantum effectum proportionatis. Somnus ipse hypnoticus cum alta quadam et pene universali totius systematis nervosi perturbatione conjungitur, quæ causam aliquam valde potentem requirit. Atqui nulla apparet proportio inter hos effectus et media quibus utuntur hypnotisatores. Ergo vehemens saltem adest suspicio reperiri sæpius in hypnotismo *superstitiosam illam et hæreticalem deceptionem*, quam Ecclesia in magnetismo reprobavit.

3^o Neque abest *scandalum contra honestatem morum* eo quod consentiant saltem implicite hypnotisati ut ad prava quæque agenda, pro arbitrio hypnotisatoris, inducantur, si ita ipsi libuerit; ac feminæ præsertim et puellæ, quæ plerumque utpote aptiores eliguntur ut hypnotisentur, carnalem inde, prouti testantur omnes qui de his scripserunt, et necessariam quodammodo erga hypnotisatorem concipiant inclinationem.

Conclusio sit usum hypnotismi *regulariter*, et eo modo quo plerumque in praxim deducitur, illicitum esse.

APPENDIX III

DE CONSULTATIONE SPIRITUUM, SEU DE SPIRITISMO

282. — En recens, sed omnium pessima superstitio, quæ hoc ævo in perniciem animarum ab Orco exorta est.

Ab integro fere sæculo per totum orbem grassata fuerat immanis magnetismi lues. Subinde prodire et percrebuere tabularum rotantium phænomena, quæ variis motibus questionibus sibi propositis de rebus occultis, et etiam de statu animarum defunctorum, responsa dabant. Siluere mox tabulæ, sed paulo post, seu nostris hisce temporibus, ab anno scilicet 1862, dæmones, qui homines per vaticinia somniantium et postea per responsa tabularum deceperant, ipsis, per pythones seu personas *intermedias* (quas *medium* vocant), illudunt et insidiantur.

Sic autem spirituum consultatio habetur :

Adis pythonem, cui significas id quod scire cupis de rebus omnino occultis, præsertim ad alteram vitam spectantibus. Ab eo interrogatur, te præsentem et audientem, aliquis spiritus, quasi sit anima quæpiam, quæ ex hac vita jam migraverit, v. gr., anima patris tui, matris, sororis, etc. Ex responsis, quæ dantur, minime dubitare posses te vere cum defunctis carissimis colloquium habere. Isti enim plurima tibi referunt, et quidem tibi soli nota, aliis vero prorsus ignota; imo ipso eorum stylo responsa eduntur.

Hæc superstitio, prioribus multo pejor, hæresim et impietatem magis adhuc redolet; evertit enim dogmata Fidei nostræ inconcussa, præsertim pœnarum gehennæ æternitatem. Nam defuncti de statu suo præsentem interrogati respondent, se esse jam beatos, vel a pœnis mox liberandos, licet in infernum demersos se non diffiteantur.

Ex dictis satis patet, spirituum consultationem diabolicam esse, et proprie dictam divinationem sacris Litteris tam severe prohibitam.

Qui consultant spiritus, seu *Spiritistæ*, ut pestiferum errorem suum facilius diffundant, suadente diabolo coaluerunt in sectam, quæ in dies magis præsertim in magnis civitatibus excrescit.

Porro non solum graviter illicitum est spiritus de occultis consulere et interrogare, sed etiam consultationi licet mere passive interesse, siquidem est peccatum cooperationis rei intrinsece malæ. — *V. Casus, n. 277 et seq.*

Vide plura de spirituum consultatione, in variis opusculis nuper editis, imprimis: *Du Spiritisme*, par le R. P. Nampon, de la Compagnie de Jésus. — *Les Morts et les vivants, Entretiens sur les communications d'outre-tombe*, par le R. P. Matignon, S. J. — *Le Magnétisme, le Spiritisme et la Possession; entretien sur les esprits*, par le Père Pailloux, S. J.

ARTICULUS II

DE IRRELIGIOSITATE

Irreligiositas est irreverentia specialis, quæ Deo, vel immediate in se, vel mediate in personis vel rebus sacris irrogatur. Præcipuæ ejus species sunt: tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia et perjurium. De duobus ultimis in 2º præcepto dicitur.

§ I. De tentatione Dei.

283. — Tentatio Dei est dictum vel factum quo quis explorat, an Deus sit potens, sapiens, misericors, aut alia perfectione præditus. — *Ita communis eum S. Thom. 2. 2., q. 97, art. 1.*

Ex duplici autem vitio procedit, nimirum vel ex *infidelitate*, quando quis, dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam dicit aut facit animo obtinendi a Deo perfectionis illius manifestationem; vel ex mera *præsumptione*; quando quis nihil dubitans de Dei perfectionibus, absque necessitate vult aut divinæ voluntatis manifestationem aut speciale Dei auxilium obtinere per prodigia.

Alia est *formalis et expressa*, qua directe intenditur divinarum perfectionum exploratio, et hæc plerumque ex infidelitate oritur, quamvis possit etiam ex mera curiositate provenire. — Alia *virtualis est et interpretativa*, qua non intenditur proprie ejusmodi exploratio, sed aliquid dicitur aut fit, quod, spectatis circumstantiis, suapte natura eo referri videtur. Sic interpretative Deum tentat, qui in morbo periculoso remedia omnia respuit, volens a Deo tantum sanari.

Tentatio Dei, tum expressa, tum interpretativa, est peccatum *ex genere suo* mortale contra Religionem, quod proinde levitatem materiæ admittit. — *Ita communiter.* — Si tamen ex infidelitate procedat, non solum est contra Religionem, sed etiam contra Fidem, adeoque mortalis fit *ex toto genere suo*. Interpretativa sæpe ob ignorantiam, inadvertentiam, aut materiæ parvitatem, venialis esse potest. *S. Lig. n. 29, etc.*

Resolves.

1º Graviter peccat contra Religionem, qui innocentiam suam probari postulat duello, ferro candenti, etc., vel qui ad martyrium ultro se offert, nisi bona fide aut divina inspiratione excusetur.

Attamen licet a Deo petere miraculum sub conditione, *si ei placuerit*, quoties adsit causa gravis ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem, sive (ut ait *S. Th.*, 2. 2., q. 97, art. 2) cum subsit justa necessitas seu pia utilitas, et alia quæ ad hoc concurrere debent; nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium exoptulare in tempore opportuno.

2° Item peccat graviter qui absque justa causa periculo mortis se exponit, propterea quod divinum expectat auxilium; si vero temere tantum agat, quin certo divinæ Providentiæ confidat, non peccat contra Religionem, sed tantum contra quintum Decalogi præceptum.

3° Leviter tantum peccat qui in morbo levi, rejectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo juvante, a tali morbo liberatum iri. — *S. Lig. n. 30.*

4° Item peccat *per se* venialiter qui ex negligentia imparatus accedit ad prædicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium.

§ II. De Sacrilegio.

284. — Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacræ. Triplex distinguitur: 1° personale; 2° locale; 3° reale.

Principia.

I. Sacrum hic dicitur quidquid ad divinum cultum publico ritu ex institutione divina vel ecclesiastica deputatur, ideoque specialem reverentiam meretur. — *S. Thom. 2. 2., q. 99, art. 3.*

Hinc: 1° Personæ sacræ sunt, quæ cultui divino sunt deputatæ per sacram tonsuram, aut per vota religiosa.

2° Loca sacræ sunt ea quæ, publica Ecclesiæ auctoritate, cultui divino dedicantur, ut templa, cœmeteria, sacella publica, etiam non consecrata aut benedicta, non vero sacella privata.

3° Res sacræ sunt eæ quæ ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, ut Sacramenta, vasa consecrata, Reliquiæ vel imagines Sanctorum; item quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ vel ministrorum; bona denique ecclesiastica etiam mobilia. — *S. Thom., ibid., etc.*

II. Sacrilegium est peccatum mortale *ex genere suo*, quia excellentissimæ virtuti, nempe Religioni, adversatur, et plerumque materiam gravem respicit. — Leve tamen fieri potest ratione parvitatæ materiæ, vel imperfectionis actus. — *S. Lig. n. 33, etc.*

III. Sacrilegium specie differt, prout personam, locum, aut rem sacram afficit; unde in confessione istæ circumstantiæ explicandæ sunt. — *S. Lig. n. 34. — S. Thom., ibid., etc.*

Resolves.

285. — 1° Sacrilegium *personale* committitur: 1° inferendo manus violentas in Clericum vel Religiosum; 2° luxuriose violando personas Deo dicatas, etiam solis tactibus; 3° personas ecclesiasticas subjiendo iudicio

fori. — Non erit autem sacrilegium detrahere de sacerdote, quia ejus tantum persona est sacra, non vero ipsius fama. — *S. Lig. n. 35.*

2° Sacrilegium *locale* committitur: 1° peccatis omnibus quibus ecclesia polluitur de Jure canonico, scilicet: effusione sanguinis et seminis humani, homicidio, sepultura excommunicati aut infidelis in ecclesia; 2° peccatis omnibus quæ fiunt contra immunitatem et sanctitatem loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixæ et similia; 3° actionibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes, strepitus judiciorum, nisi gravis causa excuset. — *S. Lig. n. 36.*

3° Sacrilegium *reale* committitur: 1° indigna administratione aut susceptione Sacramentorum; 2° indigna tractatione sacrarum Reliquiarum, imaginum, etc.; 3° profanatione vasorum, instrumentorum et ornamentorum sacrorum; 4° furto rei ad cultum divinum vel ad ecclesiam pertinentis; 5° abusu Scripturæ, v. gr., verba ejus detorquendo ad vana, etc.; 6° vasorum sacrorum, corporalium, etc., incuria, ab iis qui hæc religiose curare debent. — *S. Lig. n. 40 et 48.*

Quæsitæ.

286. — QUÆR. 1° *An sit sacrilegium violatio personæ voto simplici castitatis ligatæ extra Religionem?*

Resp. : Controvertitur. 1^a *Sententia valde communis et probabilior affirmat*, quia, ex doctrina S. Thomæ (2. 2., q. 99, art. 3, ad 3), peccatum personæ sacræ, quod directe agitur contra eam sanctitatem qua Deo sacrata et dicata est, verum est sacrilegium; porro persona Deo dicatur, non solum per sacram ordinationem vel statum religiosum, verum etiam per hujusce status participationem, quale est votum simplex castitatis, maxime perpetuum. Ergo. — *S. Lig. n. 47.* — Imo multi arbitrantur, sed forte minus probabiliter, quocumque voto de quacumque materia etiam ad tempus et pro una vice emisso, v. gr., voto jejunandi crastina die, personam in ordine ad rem vel actum promissum, Deo consecrari, adeoque voti cujuslibet violatione sacrilegium committi. — *Ita Cajet. in l. c. et plerique Thomistæ, Valentia, Azor, Viva, Salm., etc.*

II^a *Sententia etiam probabilis negat*, quia voti violatione secundum se considerata non committitur proprie irreverentia in rem aut personam sacram, sed in Deum ipsum cui debita fides non præstatur; unde ejusmodi peccatum non est indigna tractatio rei aut personæ sacræ, sed perfidia in Deum, quæ pertinet ad irreligiositatis contra Deum non autem ad sacrilegii vitium. Et revera, per votum præcise spectatum, non res, vel actus, vel persona directe, sed potius fides personæ quoad aliquam rem aut actum Deo obligatur atque dicatur. — *Ita præsertim Suarez, lib. III, c. III, et de Voto l. V, c. III, n. 4 et 5, qui hanc doctrinam extendit ad votum sacris ordinibus adnexum, et ad votum solemne castitatis in religione ita ut per peculiarem additionem, vel sui ipsius traditionem ad servitium divinum, non autem proprie per votum, fiant clerici majores et religiosi professi personæ Deo sacræ.* — *Laymann, l. IV, tr. X, c. VII, n. 4.* — *Elbel, n. 584.*

Cæterum quisquis ligatus sit voto castitatis, quoties hoc violet, sive dicatur perfidus in Deum sive sacrilegus in seipsum, certo duplex com-

mittit peccatum, alterum nempe contra castitatem, alterum vero contra Religionem. — *Lacroix, l. III, n. 55.*

QUÆR. 2^o *An omnia peccata luxuriæ in ecclesia aut cæmeterio commissa sint sacrilegia?*

Resp. 1^o: Peccata mere interna non sunt habenda ut sacrilegia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro. — Ita communiter. — S. Lig. n. 462.

Resp. 2^o: Quoad peccata externa, certum est committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem, etc. Ex Jure canonico aperte patet. An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. gr., tactus graviter turpes, controvertitur. Probabilius affirmant S. Lig., n. 459; Collet, etc. — Negant autem non improbabiler Sanchez, Tamb., Bonac., etc.

QUÆR. 3^o *An omne furtum in Ecclesia sit sacrilegium?*

Resp. 1^o: Constat esse sacrilegium omne furtum rei sacræ et etiam rei non sacræ, commissæ tamen loci sacri custodiæ, ut patet ex Jure can., c. Quisquis 21, § 2, causa 17, quæst. 4, ubi legitur: Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.

Resp. 2^o: Quoad res quæ casu aut per accidens in ecclesia reperiuntur, ut crumenæ, horologium, etc., controvertitur. — Probabilius neg. cum Lugo, Azor, Less., etc., contra Laymann et alios affirmantes, quorum sententiam probabiliorum dicit S. Lig. n. 39.

287. — QUÆR. 4^o *An læsio quoruncumque bonorum ad Clericos pertinentium sacrilegium constituat?*

Resp. Neg., sed tantum læsio bonorum quæ Clerici possident non suo sed Ecclesiæ nomine, et de quibus disponere nequeunt, quia hæc tantum sunt sacra. — S. Lig., n. 42, et alii communiter.

QUÆR. 5^o *An vasa et vestes sacræ converti possint in usum profanum?*

Resp. Affirm., si res totaliter ita immutetur, ut ad communem usum reducatur, v. gr., si Calix igne aut ferro argenti massa fiat.

Secus autem, si totaliter non immutetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta Sacerdotum ad usus profanos applicare. Secus autem de iis quæ non benedicuntur, ut tapetes, candelabra. — *S. Lig. n. 44.*

QUÆR. 6^o *An Calices aliaque vasa, sacra unctione consecrata, sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artifici reficienda, debeant a Sacerdote exsecrari?*

Resp. S. R. C., 20 Aprilis 1822. Negative.

QUÆR. 7^o *Quibusnam licitum sit vasa sacra tangere?*

Resp.: Omnibus et solis Clericis, absque licentia speciali. Id etiam conceditur regularibus laicis sacristis, ex privilegio Sixti IV, necnon monialibus sacristis, ex communicatione privilegiorum. — S. Lig. n. 48. — Salmant., et alii communiter.

Licet autem omnibus tangere alias res sacras, cujusmodi sunt, v. gr., *Agnus Dei*, saltem ex hodierna consuetudine, Reliquiæ Sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis quæ sanctam Eucharistiam immediate tangunt.

§ III. De Simonia.

288. — DEFINITIO. Simonia, a Simone mago sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale, aut spirituali adnexum. Dicitur *voluntas studiosa*, id est *deliberata*.

Pretium temporale triplicis generis in Jure canonico distinguitur: 1° *munus a manu*, seu retributio rei cujusvis temporalis pretio æstimabilis; 2° *munus a lingua*, seu patrocinium, quo nomine veniunt laudes, commendationes, preces, etc., ex pacto interponendæ in favorem conferentis rem spirituales; 3° *munus ab obsequio* seu servitus quælibet, aut officia alteri præstita, v. gr., famulatus aut simile officium quodlibet.

Triples pariter est temporale spirituali adnexum: 1° *antecedenter*, cui accedit spirituale, ut jus patronatus fundo inhærens; 2° *consequenter*, quod ex spirituali pendet, ut jus decimas percipiendi; 3° *concomitanter*, ut labor in functionibus sacris. Hujusmodi autem labor adnexus est rei spirituali vel intrinsece vel extrinsece. Dicitur adnexus *intrinsece*, si a re ipsa non sit facile separabilis; secus adnexus *extrinsece* dicitur. Sic celebratio Missæ est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum, et alia similia, ad laborem extrinsece adnexum pertinet. — Res spiritualis hic dicitur, non quæ est incorporea, sed quæ est quocumque modo supernaturalis, physice aut moraliter.

Divisio. Simonia distinguitur:

1° *Mentalis*, si, nullo interveniente pacto, temporale vel spirituale conferatur cum intentione simoniaca, id est cum intentione obligandi alterum ad retribuendum spirituale vel temporale.

2° *Conventionalis*, si pactum quidem intercedat, sed nullo modo, aut una ex parte dumtaxat, executioni mandatum.

3° *Realis*, si pactum ex utraque parte adimpleatur, saltem inchoate.

Accedit Simonia *confidentialis*, cujus materia sunt sola beneficia ecclesiastica. Ipsa tunc habetur, quando quis in electione vel presentatione ad beneficia, aut in horum resignatione, ex confidentia, seu ex pacto expresso vel tacito et propria auctoritate, aliquid sibi aut alteri reservat circa beneficii fructus, vel circa ipsum beneficium.

Reservatio autem circa ipsum beneficium dicitur esse reservatio *accessus*, cum beneficii collator ex pacto jus retinet, ut beneficium aliquando sibi vel alteri resignetur; — *ingressus*, cum quis beneficium sibi collatum, nondum tamen possessum, ita alteri resignat, ut jus sibi reservet beneficii possessionem in aliquo casu vel tempore ingrediendi; — *regressus*, cum quis beneficium a se possessum resignat, servato jure ad illud regrediendi in aliquo casu. — *S. Lig. n. 49, 56, etc.*

Distinguitur etiam Simonia *juris divini* seu *naturalis*, quæ talis est ex natura sua, quia nempe res spiritualis cum temporali permutatur: et *juris ecclesiastici*, quæ talis est ex sola Ecclesiæ institutione, ut sunt commutationes beneficiorum aut venditiones officiorum ecclesiæ temporalium.

Principia.

289. — I. Ad Simoniam requiritur, ut temporale detur aut accipiatur sive *formaliter*, sive *virtualiter* pro ipsa re spirituali, et in ejus commutationem, ita ut fiat æquiparatio rei spiritualis cum temporali, seu commutatio ex motivo primario unum pro altero ceu pretio aut justa compensatione habendi. Ratio ex ipsa Simoniae definitione aperta est. Hinc si interveniat aliquod motivum honestum, vi cujus temporale et vicissim spirituale tribuatur, unum non esset amplius alterius motivum, sed solum ejus causa impulsiva, nec proinde Simonia foret.

Dixi, 1^o *formaliter*, id est, quod directe quis intendat loco temporalis et propter ejus æstimationem accipere spirituale.

Dixi, 2^o *virtualiter*, quod nempe quis per temporale *proxime et immediate* obtinere velit spirituale, nec aliud motivum verum et honestum intercedat. In hac enim voluntate virtualiter includitur intentio unum cum alio commutandi. — Ita *Suarez*, etc.

II. Licet dare pro pretio temporali adnexum spirituali *antecedenter et concomitanter extrinsece*, modo pretium ob spirituale adnexum non augetur. Nullatenus vero licet dare pro pretio adnexum spirituali *concomitanter intrinsece*, seu *inseparabiliter*, neque adnexum *consequenter*.

Ratio 1^{mi}, quia res et labor actionis sunt vere in se pretio æstimabiles. Prohibetur tamen Jure canonico venditio balsami quod in Chrismate continetur, licet consecrationi præexistat, quia, cum sit modici pretii, Episcopo vendere Sacramenta videretur. — *S. Lig. n. 72.*

Nihilominus quoad oleum benedictum vel sacrum Chrisma, Scavini advertit: Usus in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluisse, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

Ratio 2^{di} est, quia quod est intrinsece adnexum spirituali, ab ipso inseparabile est, unde res ipsa vel actio vendi censeretur. Attamen etiam, secluso labore extrinseco, licite aliquid pro ministerio sacro accipi potest ratione stipendii, seu sustentationis, ut ex praxi Ecclesiæ constat. Postulat enim æquitas naturalis, ut honesta sustentatio concedatur iis qui aliorum utilitati vacant. Hinc Christus, Luc. x, 7: *Dignus est operarius mercede sua.* — Et Apostolus, I Cor. ix, 13: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Pro sacramentorum tamen administratione nihil hoc titulo accipiendum est etiam a sponte dantibus; si quid autem sponte offertur, id pro eleemosyna accipi potest. — *S. Congr. Conc., 1 Febr. 1593.*

Ratio 3^{di} est, quia illud *consequenter* censetur spirituale, vel spirituali alligatum. Eruitur etiam ex speciali Juris canonici dispositione.

III. Simonia est peccatum gravissimum; et si sit juris divini et naturalis, materiæ parvitatem non admittit. Si autem simonia sit Juris ecclesiastici, potest in ea dari materiæ parvitas, juxta *S. Lig. l. III, n. 50.* — Ratio est, quia res spiritualis qualibet ex comparatione cum re temporali cum magna injuria in ipsum Deum vilipenditur. Constat etiam ex verbis S. Petri ad

Simonem magum, Act. VIII, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Quæsitæ.

290. — QUÆR. 1^o *An sit Simonia dare principaliter quidem temporale ob spirituale, sed non unice?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia etiam sic adest comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim quod adjicitur, quantumvis honestum sit, prioris motivi, propter quod principaliter datur temporale, malitiam et impietatem non destruit. Constat etiam ex proposit. 45^a ab *Innoc. XI* damnata, quæ sic se habet : *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale.* — Motivum hic intelligitur principale et intrinsecum actus, non autem extrinsecum et secundarium, prout monuimus initio numeri præcedentis. — *S. Lig. n. 54.*

QUÆR. 2^o *An sit Simonia dare temporale ad sibi conciliandum Superiorum intuitu beneficii obtinendi?*

Resp. Neg., si intentio primaria sit dandi gratis temporale ; quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia Superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero ut effectus gratitudinis animi. — *S. Lig. n. 54.*

QUÆR. 3^o *An sit Simonia obire functiones sacras principaliter ob stipendium, vel recipere aliquid pro doctrina sua?*

Resp. ad 1^{um} Neg., saltem *probabilius*, quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacræ, sed tanquam debitum personæ, quæ in proximi gratiam occupatur. — *S. Lig. n. 55.* — *Lacroix, n. 62, et alii communiter*, contra aliquos. Idecirco inordinata affectio quæ tunc intercedit non Simonia, sed avaritiæ vitium est. Cæterum qui indigentia aut alia honesta causa ad quærenda ejusmodi stipendia impellitur, non ideo functiones sacras obire *principaliter* ob stipendium reputandus est : causa enim, qua quis impellitur ad aliquid agendum, non est necessario motivum principale et intrinsecum actionis.

Resp. ad 2^{um} Affirm., si instructio tendat unice ad bonum spirituale aliorum, quia tunc est res mere spiritualis, nisi tamen accipiatur titulo stipendii seu sustentationis. Secus vero si instructio ordinetur etiam ad bonum aliquod temporale, prout fit, v. gr., in tradenda explicatione sacramentorum Litterarum aut theologiæ. — *S. Lig. n. 93, 94.*

291. QUÆR. 4^o *An Simonia sit pecunia se redimere ab injusta vexatione circa beneficiu, aut aliud bonum spirituale, v. gr., Sacramenta, etc.?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia vexationis liberatio, quæ sola directe intenditur, est quid temporale. — Hinc potes dare pecuniam inimico tuo, si conetur per fraudem impedire electores, ne tibi faveant. — *S. Lig. n. 101, et alii communiter.* Imo in id ipsum DD. consentiunt, etiamsi solis precibus impedire velit. Non autem potes dare pecuniam iis qui obesse vel prodesse possunt eligendo vel præsentando ad beneficium ; etenim offerre illis pecuniam ne obsint, idem foret ac offerre ut prosint, scilicet ut consensum non denegent. — *S. Lig. n. 99.* Nec tibi licet pecuniam dare competitori tuo, ut desistat ad beneficium concurrere ; quia tibi nulla est injusta

vexatio redimenda, et viam directe ad beneficium per pecuniam tibi parares, quod simoniacum est. — *Ita communiter.*

QUÆR. 5° *An Simonia sit dare vel accipere aliquid pro ingressu in Religionem?*

Resp. : 1° Certum est, non licere dare vel accipere aliquid pro solo ingressu; quia hoc esset commutatio rei sacræ, cujusmodi est Religio, cum re temporali.

2° Certum est etiam, licere monasterio pauperi aliquid exigere pro ingredientis sustentatione, quia tunc non commutatur res spiritualis cum temporali; et alioquin postulat æquitas ut recipiatur aliquid, ne monasterium oneribus gravatum corrumpat.

3° Certum est pariter, licere monasterio, prout expresse permittitur a *Concilio Tridentino, sess. XXV, cap. xvi de Reg.*, aliquid exigere pro sustentatione Novitiorum, quia cum non adhuc pertineant ad Religionem, et pro libitu discedere possint, et sæpe reipsa discedant, æquum non est monasterium pro ipsis tam gravi oneri subesse. Religio tamen Fratrum Minorum ex decreto speciali nihil accipere potest.

4° Certum est tandem, licitum esse Monialibus dotem ab ingressuris exigere, ut constat ex usu ubique recepto et pluribus decisionibus Sac. Cong. apud Benedictum XIV, *de Synodo l. XI, cap. vi.* — Cavere tamen debent ne inhabiles unice propter dotem aut aliud quodpiam emolumentum temporale recipiant: id enim simoniacum esset.

5° Controvertitur autem, si agatur de monasterio virorum opulento, utrum simonia sit aliquid exigere, ratione solius sustentationis, a recipiendo qui infirmus non est aut senex, alique potest sine expensis extraordinariis. Sententia verior et communior affirmat cum *S. Thoma (2. 2., q. 100, art. 3, ad 4)*, et *S. Lig. n. 92*. Ratio præcipua est, quia jus vivendi de bonis monasterii est quid *adnexum consequenter* rei spirituali, professioni nempe religiosæ; ergo pretio æstimari et vendi non potest sine Simonia. Contradicunt tamen plures, ut videre est apud *S. Lig., loc. cit.* — Cæterum nunc fere evanescit omne dubium ob temporum difficultatem. Cum enim, ut advertit iterum *S. Lig. n. 92*, ad exigendum aliquid a recipiendis, non requiratur arcta necessitas, sed sufficiat illa, qua monasterium non possit alias commode eis alimenta subministrare, pauca inveniuntur monasteria adeo opulenter fundata, ut auxilio alieno pro præsentem et futuro nullatenus indigeant.

292. — QUÆR. 6° *An Simoniam committat Sacerdos qui spondet laico Missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?*

Resp. Neg. per se, quia hac ratione res spiritualis non æquiparatur proprie temporali, sicut non æquiparatur, quando Missa dicitur pro stipendio; sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis, quæ foret alioquin tradenda. Non enim peccat qui offert creditori 100 Missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum 100 francorum; ergo a pari nec peccat, qui spondet Missam pro exitu ludi, dum alter 20 asses exponit. — *Ita Voit, n. 506, contra alios.* — Cæterum ejusmodi ludus raro caret aliquo scandalo, et proinde semper dissuadendus est.

QUÆR. 7° *An Simoniam committat Sacerdos qui pro Missa stipendium supra taxam consuetam aut ab Episcopo statutam exigit?*

Resp. Neg., quoad forum internum et coram Deo, nisi mente simoniaca agat; quia, cum habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel iustitiam plus æquo exigendo, minime vero contra Religionem. Attamen in foro externo ut Simoniacus haberetur, eo quod ejusmodi auctarium præsumeretur exigere non pro sustentatione, sed tanquam pretium rei spiritualis, qua de causa plures Theologi et Canonistæ absolute affirmant eo casu committi veram Simoniam. — *Vid. Voit. n. 497.*

293. — QUÆR. 8^o *Quænam sint pænæ in simoniacos latæ?*

Resp. 1^o: Sola Simonia confidentialis et realis in collatione beneficiorum, et realis pro ingressu in Religionem, censuris ecclesiasticis subjacet: nam Pontifex Pius IX in bulla *Apostolicæ Sedis* loquitur tantum de prædictis Simonia speciebus; et aliunde Concilium Tridentinum nullam peculiarem censuram in simoniacos tulit, sed eas tantum in genere confirmavit, quæ erant antiqui juris; censuras autem ejusmodi, *indirecte* dumtaxat a S. Synodo inflictas, amplius non vigere, longe probabilius est, ut ostendemus in tractatu de Censuris.

Præterea, manent etiamnum firmæ pænæ a Pontificibus, maxime a Julio II, Const. *Cum tam divino*, 14 Jan. 1505, latæ contra Simoniam in electione Romani Pontificis commissam. Constat ex eadem Pii IX bulla, versus finem.

Resp. 2^o: Pænæ ob Simoniam realem in materia beneficiaria, id est quæ spectat beneficia proprie dicta, tum *sæcularia* tum *regularia*, sunt: excommunicatio Papæ reservata, quæ ex bulla *Apostolicæ Sedis* afficit etiam complices; nullitas electionis, præsentationis, etc... ad beneficium: inhabilitas perpetua ad idem beneficium obtinendum; inhabilitas ad alia beneficia, sed, juxta plures auctores, post judicis sententiam tantum, declaratoriam.

Resp. 3^o Pænæ ob Simoniam confidentialem completam, id est quando beneficium datum et acceptum est in confidentiam, etiamsi pactum ab altera parte nondum impletum fuerit, sunt: excommunicatio papalis; nullitas resignationis aut collationis factæ in confidentiam; inhabilitas ad idem beneficium, et ad alia obtinenda; privatio beneficiorum et pensionum quæ legitime antea obtenta fuerint, post judicis tamen sententiam criminis declaratoriam; reservatio ejusdem beneficii ad Sedem apostolicam. — *V. Schmalzgrueber, l. V, tit. III, n. 270.*

Resolves.

294. — 1^o Non committit Simoniam, qui Reliquias cum Reliquiis permutat; quia sic non datur Spirituale pro temporali. Idem dicendum est de cæteris rebus sacris, si excipias beneficia, quorum permutatio ne propria auctoritate fiat, ab Ecclesia prohibitum est.

2^o Non committit Simoniam, quamvis peccet contra prohibitionem Ecclesiæ, qui vendit ceram benedictam, rosaria vel numismata quibus adnexæ sunt indulgentiæ, vel sacras reliquias capsulis pretiosis inclusas, vel alia similia; quia hæc non venduntur ratione rei sacræ, sed ratione pretii rei temporali adnexi; secus tamen, si propter rem ipsam sacram majori pretio hæc venderentur.

3° Non committit Simoniam, qui pecuniam principi hæretico solvit, ne ab ingressu Ecclesiæ, seu a cœtibus religiosis catholicorum frequentandis impediatur; aut malevolo homini, ne ab ipso injuste diffametur, et a beneficio, ad quod jus habet vel habere potest, arceatur. Ratio est, quia hoc modo non datur temporale pro jure spirituali, sed pro tollenda vel impedienda injuria, quæ est quid temporale.

4° Non sunt de Simonia accusandi, qui gratis vel pro incompetenti mercede serviunt, ut hac occasione suam probitatem vel dexteritatem demonstrent cum spe aliquando obtinendi quodpiam beneficium; quia non expectant illud spirituale velut pretium laborum suorum. — *Elbel, n. 618.*

295. — 5° Nec sunt Simoniæ culpabiles, qui ex gratitudine præstant temporale ob spirituale acceptum, et vice versa. Sic non peccaret Cappelanus qui servitia libentius tribueret Episcopo a quo beneficium obtinuit, nec Episcopus qui Clerico beneficium conferret in recognitionem obsequiorum; quia hæc non præstantur velut pretium; insuper honestum et laudabile est pro accepto obsequio se gratum exhibere. Cavendum tamen sedulo est, ne sub titulo gratitudinis lateat Simonia palliata; hoc autem fieret, ubi intercederet pactum implicitum dandi beneficium pro temporali obsequio, vel vice versa.

6° Esset autem Simonia ministeria sacra obire præcise ob pretium percipiendum tanquam tale, v. gr., accipere pecuniam pro absolutione a peccatis, a censuris, vel pro dispensatione in voto, juramento, irregularitate, et impedimentis matrimonii; ratio, quia est actus spiritualis, tum ratione principii seu potestatis spiritualis, tum ratione finis seu salutis animarum. Licite tamen accipitur pecunia occasione dispensationum, præsertim quando alia justa causa eas concedendi non adest, titulo scilicet eleemosynæ per modum commutationis aut pœnæ propter exemptionem a lege communi impositæ, vel titulo sustentationis onerum Pontificatus, ad subveniendum Ecclesiæ necessitatibus, v. gr., Templorum, Missionum, etc., vel ad alios pios usus, v. gr., ad pauperes sublevandos, ad nosocomia dotanda, ad expensas tribunalium a quibus dispensationes conceduntur, etc.; stipendium enim congruum variis officialibus seu ministris ad causas expediendas adhibitis tribuendum est. — Cæterum S. Sedes ipsa in Brevibus statuit, quid pro variis dispensationibus tribuendum sit. — *V. Casus, n. 285 et seq.*

Quæsitæ.

QUÆR. 1° *An sit restituenda res spiritualis simoniace acquisita?*

Resp. 1° Affirm.: quoad beneficia; ita communis et certa DD. sententia. Ratio quia jura in pœnam delicti obstant, quominus recipiens aut pretium aut beneficium, possit dominium accepti acquirere. Et cum irrita sit beneficii adeptio, eo ipso nec fructuum acquiri potest dominium, atque adeo hi quoque sunt restituendi.

Resp. 2° Neg. quoad reliqua, licet judex possit in pœnam criminis restitutionem injungere. Ita communis cum Schmalzgrueber, *lib. V, tit. III, n. 284.* Ratio est, non modo quia quædam restitui non possunt, v. gr., sacerdos, sed etiam quia ut valida sit rei spiritualis, v. gr., SS. Reliquiarum translatio, jure divino non plus requiritur, quam potestas in altero trans-

ferendi, in altero recipiendi rei dominium; atqui, nisi *aliunde* in alterutro sit defectus, hæc potestas adest in utroque quoad rem spiritualem. Ergo. Si autem translatio valet jure divino, valebit etiam jure humano, cum ab hoc irritæ, nisi fere solæ provisiones beneficiales simoniacæ, non decernantur.

QUÆR. 2^o *An restituendum sit pretium simoniacæ pro re spirituali acceptum?*

Resp. 1^o: Si solum intercessit Simoniæ crimen, nulla vero justitiæ læsio, non adest obligatio restituendi simoniacum pretium ante condemnatoriam judicis sententiam, nisi ipsum pretium excedat æstimationem commodi temporalis quod cum re spirituali in alterum transfertur. — Ita *Suarez, Lessius, Laymann, Reiffenstuel* apud *Schmalzgrueber, liv. V, tit. III, num. 286.*

Resp. 2^o: Ubi vero pactum simoniacum repugnet etiam justitiæ commutativæ, pretium restituendum est ante omnem judicis sententiam. Ita *communiter*. Ratio est, quia ex justitiæ commutativæ læsione obligatio restituendi ipso naturæ jure exurgit.

QUÆR. 3^o *Cui restituendum sit pretium simoniacum?*

Resp. 1^o: Si datum sit pretium, sed nondum tradita sit res spiritualis, communis sententia docet, pretium illi restituendum esse qui dedit, nisi aliter judex decreverit. Ratio est, quia jura solum contra Simoniam realem pœnas statuunt.

Resp. 2^o: Si vero utrinque secuta sit traditio, distinguenda a reliquis est causa beneficalis. In hac enim simoniacum pretium ex *cap. De hoc 11, de Simonia*, saltem *probabilius*, restituendum est Ecclesiæ in qua situm beneficium est, vel, si Superior velit, potest pauperibus distribui, ut advertit *S. Thomas, 2. 2., q. 100, art. 6, ad 4.* Non desunt tamen qui etiam probabiliter arbitrantur restituendum esse danti, ante sententiam judicis. — Apud *S. Lig. n. 115.*

Quoad pretium vero pro alia re spirituali acceptum, cum nihil jure clare decretum reperiamus, superest ut ei restituatur qui illud persolvit. Ratio est, quia *per se, et lege seu superiore aliud non statuente*, ubi injusta acceptio intervenit, restitutio facienda illi est qui læsus fuit. Atqui in casu læsus ille fuit, qui dedit pretium. Ergo... Proinde si is, qui simoniacum pretium solvit, gratuito solutum remittat, ille, qui istud accepit, licite idem retinet, donec in criminis pœnam Ecclesiæ vel pauperibus illud erogare per judicem jubeatur. *Vid. Schmalzgr., lib. V, tit. III, n. 297, qui dein, n. 298-301, hanc doctrinam ab objectis vindicat.*

DE II DECALOGI PRÆCEPTO

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. xx, 7.

Hoc præcepto prohibetur qualibet erga Deum irreverentia sive per vanam sanctissimi Nominis ejus usurpationem, sive per blasphemiam, sive per juramentum, aut votum vel illicitum vel violatum.

CAPUT I

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI ET BLASPHEMIA

ARTICULUS I

DE VANA SS. NOMINIS DEI USURPATIONE

296. — Dicitur in vanum usurpari SS. Dei Nomen, cum sine rationabili causa, aut sine debita reverentia assumitur. Hoc autem triplici præsertim modo fieri solet, scilicet :

1° *Ex impatientia*, seu *indignatione* in creaturas etiam inanimatas, aut in seipsum, v. gr., *Deus meus, Bone Deus, quam male res ita procedit! Deus meus! quam stultus ego!...* Vel gallice: *Mon Dieu, est-il possible! Mon Dieu, laissez-moi donc tranquille!*

2° *Ex admiratione* per modum exclamationis. Sic dicitur: *Jesus, Maria! O Deus! Deus meus! (Mon Dieu! Grand Dieu! O bon Jésus!)*

3° *Superflue*, plerumque ex mera formula, seu ex levitate, vel ex quadam consuetudine. Sic dicitur: *Deus meus, utique..., ita est, vel non ita (Mon Dieu, oui; — Mon Dieu, non; — Mon Dieu, que voulez-vous?)*

Quæsitæ.

297. — QUÆR. 1° *An vana usurpatio Nominis Dei sit semper peccatum, vel quale?*

Resp. 1°: Per se peccatum est, quia lædit reverentiam divino Nomini deditam. Constat insuper ex Eccli. XXIII, 10: Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.

Resp. 2°: Per se peccatum est veniale tantum, quia reverentia illa non graviter læditur. Mortale autem evadere potest ob contemptum aut iram gravem, quia tunc de ratione blasphemiam participare censetur.

Resp. 3°: Quamvis culpa sæpe careat propter inadvertentiam, non tamen sunt excusandi, qui absque illo reverentiæ sensu, ex consuetudine, SS. Dei Nomen semper in ore habent. — Bouvier, de II Præc. — Contra vero, si usurpetur SS. Dei Nomen cum debita reverentia etiam in rebus indifferentibus, non modo aberit peccatum, sed ubi sic usurpetur per modum invocationis, erit opus bonum et meritorium. Cæterum facilius a peccato excusabuntur, qui per modum admirationis seu interjectionis SS. Nomen Dei usurpant, quia tunc facilius abest irreverentia.

298. — QUÆR. 2° *An sit peccatum usurpare inutiliter nomina Sanctorum?*

Resp. Affirm. Quod enim dicitur de sanctissimo Dei Nomine, idem, servata proportione, etiam de nominibus Sanctorum dicendum est, ut constat ex citato loco *Eccli.*, ubi additur: *Et nominibus Sanctorum non admiscearis.* Idem quoque dicendum est de vana usurpatione verborum sacræ Scripturæ, quando irreverenter sumuntur.

QUÆR. 3° *An sit peccatum frequens et inutilis usurpatio nominis dæmonis?*

Resp. Neg. per se. Reprobanda tamen est ut minus decens in ore Christianorum, præsertim in Sacerdotibus, qui ratione scandali interdum immunes ab aliqua culpa non sunt. — *Busemb.* apud *S. Lig.*, n. 131. — *Bouvier*, etc. — Quidam autem asserunt esse veniale *per se.* Ita *Voit*, n. 514.

ARTICULUS II

DE BLASPHEMIA

299. — DEFINITIO. Blasphemia est locutio Deo injuriosa. Locutio autem non verbo exteriori tantum, sed interius etiam prolato, imo et signis exterioribus, v. gr., gestibus, adeoque sermone, mente et opere fieri potest. Quocumque modo fiat, ubi est in Deum contumeliosa, totam blasphemiam malitiam in se continet; si agatur tamen de reservatione aut de aliis poenis blasphemiam inflictis, sola oralis proprie intelligitur.

DIVISIO. Blasphemia imprimis distinguitur:

1° *Directa*, vel *indirecta*, prout Dei inhonoratio vel *directe* et formaliter a blasphemante intenditur, vel quamvis in se non intendatur, continetur tamen in dictis Deo injuriosis, quæ ab eo, intentione, v. gr., jocandi, iram manifestandi, proferuntur cum advertentia ad sensum quem verba continent. — *Voit*, n. 509.

2° *Immediata*, vel *mediata*, prout Deum ipsum immediate afficit, vel mediate tantum, nempe Sanctos aut res sacras, et in ipsis sanctitatem Dei quam participant, verbis inhonorando.

3° *Hæreticis*, *imprecativa*, et *mere probrosa*, prout hæresim, vel imprecationem, aut meram contumeliam continet.

Principia.

I. Blasphemia quælibet formalis et deliberata, sive directa sit sive indirecta, sive immediata sive mediata, est peccatum mortale *ex toto genere suo*. Ratio est, quia quælibet contumelia in Deum est expressa in divinam Majestatem injuria, quæ ratione summæ dignitatis ejus levis esse non potest. — Hinc Lev. xxiv, 16: *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur.* — Hinc etiam *S. Hieronymus in Isa.*, l. VII, c. xviii, ait: *Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in Excelsum os suum.* — Et ait *S. Thom.*, 2. 2., q. 13, art. 3: *Omne peccatum comparatum blasphemiam levius est.* — Potest tamen evadere veniale ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiæ, aut perfecti consensus.

II. Ad blasphemiam perfectam ratione actus necessaria non est expressa et explicita intentio Deum inhonorandi, sed implicita sufficit, quam inesse diximus blasphemiam *indirectæ*. Ratio est, quia voluntarium indirectum ad peccatum sufficit; unde, qui advertenter verba pronuntiat blasphematoria, quacumque de causa id faciat, blasphemiam peccatum voluntarie admittit, ejusque reus efficitur. — *Reuter, de Blasphemia*, n. 442.

III. Blasphematoria habenda sunt *per se* verba, quæ ex communi apprehensione, vel usu patriæ aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut

iracundo, aliisve circumstantiis, Dei inhonationem continent; quæ, licet per se blasphemiam non sonent, ex communi tamen apprehensione ut blasphematoria habentur. — *Reuter, ibid.*

Resolves.

300. — 1° Blasphemia est dicere: *Perdat te mors, vel sanguis Dei; perdant te Sacramenta*; quia injuria irrogatur morti, sanguini et Sacramentis Christi, quæ non ad perniciem, sed ad salutem hominum ordinata sunt. Blasphemia autem est spuere in cœlum, infrendere dentibus in illud, dicere se velle aliquid agere Deo invito, et similia. — *S. Lig. n. 425, 426.*

2° Blasphemia est dicere: *Deus mei est plane oblitus. Quare Deus me creavit?* — Excipe tamen, si hæc proferantur modo loquendi humano, ex levitate, vel ad ostendendum doloris vel tædii gravitatem, ut sæpius fieri solet. Nunquam autem excusandi sunt a peccato gravi, qui advertenter ac serio dicant: *Deus est injustus.* — *Deus injuste me tribulationibus gravat.* — *Injuste sinit malos esse felices in mundo.* — *Voit, num. 519.*

3° Non peccant graviter qui, ira vel aliqua passione abrepti, verba blasphemiam proferunt non advertentes ad eorum significationem. Nec illi qui ex inveterata consuetudine blasphemandi jam retractata, quamque serio tollere conantur, in ejusmodi verba subito erumpunt. Ii vero qui nullam adhibent diligentiam ut pravam consuetudinem corrigant, nequeunt plerumque a peccato gravi excusari.

4° Non peccat graviter qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ita ut ad verum sensum non attendat; v. gr., qui gallice dicit: *Jarnidié! mordié! ventredié! morbleu!* Hæc enim rationem blasphemiam jam non amplius habent. — *S. Lig. n. 423.* — *Bouvier, de II Præc., art. 1.*

Quæsitæ.

301. — QUÆR. 1° *An blasphematoriam sint hæc locutiones gallicæ: NOM DE DIEU! NOM DE NOMS! MILLE NOMS! SACRÉ NOM! sine addito, etc.?*

Resp. Neg. per se, etiam si prolatae sint in ira, nisi ira in Deum ipsum feratur, seu nisi adsit intentio blasphematoria, quæ plerumque abest. Hæc enim verba nullam blasphemiam in se continent. Venialia igitur tantum erunt propter vanam nominis Dei usurpationem; si vero nomen Dei in formulis neque *explicite* neque *implicite* adhibeatur, omni culpa *per se* carebunt. — *Bouvier, ibid.*

A fortiori, blasphemiam non erunt inurbanæ illæ locutiones inter rusticos nostros tam frequenter usitatae, quæ incipiunt litteris *B. F. M.* vel *J.-F.*, etc., etiam si verbum *sacré* ipsis præmittatur, v. gr., *Sacré B.*, *Sacré M.*, aut si verbum istud aliis nominibus inurbanis jungatur. Imo hæc *per se* culpa vacant, nisi Caritati erga proximum adversentur, ut fit quando hujusmodi verba convicii causa proferuntur. — *Ita communiter.* — *Bouvier, ibid.*

302. — QUÆR. 2° *An sit blasphemiam locutio gallica: S. NOM DE D.?*

Resp. Affirm. per se, seu ratione acceptionis communis verborum. Etenim hujusmodi voces, ex sensu fidelium, in Deum contumeliosæ sunt.

Nullus enim est mediocriter pius, qui hæc audiendo non inhorrescat. Re quidem vera, qui hanc locutionem usurpant, agunt ex contemptu SS. Nominis Dei, saltem implicite, perinde ac si dicerent: *Maledictum Nomen Dei*.

Nec dicas, hæc verba nullam in se blasphemiam continere, quia in sensu obvio *benedictum Nomen Dei* revera significant. Nam utrumque sensum præ se ferunt, alterum scilicet ex genuina verborum significatione, alterum vero ex generali hominum acceptione. Imo nunquam a piis fidelibus ad Deum honorandum adhibentur, sed ab iis cum horrore et indignatione semper audiuntur, dum e contrario ab impiis ad eum execrandum jugiter usurpantur.

Hanc locutionem ut blasphematoriam habent *Vernier, de II Decalogi Præcepto*. — *Rousselot, in Additionibus ad Theologiam Seettler, ibid.* — *Collationes Aniciensis* (Conférences du Puy), *de Virtute Religionis, p. II, c. 1.* — *Illustriss. DD. Parisiis, Episcopus Lingonensis (postea Atrebat.), in Epistola pastorali pro pia sodalitate ad blasphemix destructionem erigenda.* In hanc quoque sententiam propendet *Bowier, de II Præc. Decal. c. 1.*

303. — Plures tamen alii rationem blasphemix in hoc loquendi modo *per se* non apprehendunt, nisi intentio blasphematoria explicite, vel implicite saltem, interveniat. — *Ita Gousset, t. I, n. 460.* — *D. Valentin, Examens raisonnés sur les Commandements.*

Dixi, *per se*. In praxi enim non sunt de peccato mortali arguendi ii omnes, qui hujusmodi verba proferunt. Nam certum est, teste experientia, non paucos præsertim rudes malitiam gravem in illis non apprehendere. Attendat igitur Confessarius imprimis ad varias pœnitentium circumstantias. Quidquid autem sit, cum debita prudentia satagere debet, ut pravam hanc consuetudinem, in quantum fieri poterit, in pœnitentibus penitus destruat.

304. — QUÆR. 3^o *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

Resp. Disting. : Est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. gr., pluvix, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei*; item maledicere creaturæ, quæ de se specialem relationem ad Deum habet, v. gr., animæ nostræ, Fidei catholicæ, cælo et similibus. Secus autem, ut fere contingit, si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 128.*

QUÆR. 4^o *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*

Resp. : *Affirmat. S. Lig.*, quia sicut jurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina, est verum juramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur. — *S. Lig. n. 129.*

305. — QUÆR. 5^o *An sit blasphemia maledicere mortuis?*

Resp. Neg., nisi mens specificè feratur in animas purgatorii, quia mortui in genere non habent specialem relationem cum Deo. — *S. Lig. n. 130.*

CAPUT II

DE JURAMENTO

306. — DEFINITIO. Juramentum est invocatio divini Nominis in testimonium veritatis.

Divisio. Distinguitur juramentum :

1° *Assertorium*, vel *promissorium*, prout assumitur ad asserendum præsentia vel præterita, aut ad futurum aliquid confirmandum. Hoc autem dicitur *promissorium*, vel quia sæpius ordinatur ad confirmandam aliquam promissionem, vel quia, etiam secluso quocumque pacto, æquivalet promissioni, quatenus inducit obligationem propositum juratum exsequendi. Sic qui jurat se crastina die aliquid facturum, quamvis id nemini promittat, obligatur tamen propter reverentiam divini testimonii, *ut faciat esse verum id quod juravit, secundum suam possibilitatem.* — *S. Thom. 2. 2., q. 89, a. 1, et a. 7, ad 1.*

2° *Solemne*, vel *simplex*, prout fit forma jure requisita, solemnibusve cæremoniis, aut iis seclusis.

3° *Explicitum*, vel *implicitum*, prout Deus expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturæ in quibus attributa divina specialiter relucent.

Accedit etiam juramentum *imprecatorium*, quo Deus invocatur simul in testem et in vindicem perjurii. — *S. Lig. n. 133, 139 et seq.*

Juramentum debitis vestitum conditionibus honestum est et licitum, et si promissorium sit, obligat in conscientia, nisi justa causa obstet, vel legitime obligatio ejusdem cessaverit. — *Ita omnes*, et constat tum ex definitione *Conc. Const., sess. VIII*, contra *Wiclefi* prop. 43; tum ex prop. *damn. Quesnelli* 101 et *Synod. Pistoriensis* 75; tum etiam ex praxi universali Ecclesiæ et populorum, necnon ex variis sacræ Scripturæ locis. *Deut. VI, 13: Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius jurabis.*

ARTICULUS I

DE CONDITIONIBUS JURAMENTI

I. — *De requisitis ad essentiam juramenti.*

307. — Duo requiruntur ad juramentum, scilicet : 1° Intentio jurandi, saltem virtualis; quia sine tali intentione non potest existere juramentum formale. 2° Formula aliqua jurandi, id est signum quo sufficienter exprimat Deum vel *explicite*, vel *implicite* per creaturas, ut testem invocari. Patet ex definitione juramenti. — *S. Lig. n. 134.*

Potest autem juramentum considerari vel in ordine ad solum Deum, vel in ordine ad homines, spectato solo jure naturali, vel in ordine ad homines, spectato jure positivo. In ordine ad Deum, seu quando ad solum Deum dirigitur, nullam formam exteriorem, nullumve signum sensibile requirit, sed potest totum consummari in mente jurantis per interiora verba. In ordine

ad homines, spectato solo jure naturæ, valet, dummodo signo aliquo exteriori sufficienter exprimatur, sive id fiat verbis, sive scriptura, sive nutibus aut gestibus; spectato autem jure positivo, potest certam requirere verborum formulam, certosve ritus, quæ sub pœna nullitatis, saltem in foro externo, observanda sunt.

Resolves.

308. — 1° Non valet juramentum fictum, seu mere externum, ob defectum voluntatis seu intentionis jurandi. Peccat vero sic jurans, sed *probabilius* venialiter tantum, *per se* loquendo, quia non profert nisi mendacium cum vana Nominis Dei usurpatione. — *S. Lig. Hom. apost., n. 17.* Sæpe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis. Attende ad prop. 23 damn. ab Innoc. XI: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis.*

2° Non valet *probabilius* juramentum promissorium factum cum animo quidem jurandi, sed non se obligandi ex religione; quia hoc nugatorium est. — Valet autem juramentum factum cum animo jurandi quidem, sed non se obligandi ex justitia aut ex fidelitate. — *S. Lig. n. 172.*

3° Valet juramentum promissorium factum sine animo implendi, sed cum animo jurandi et se obligandi. Qui autem sic jurat, peccat mortaliter, quia Deum testem invocat ficti propositi seu fictæ promissionis, adeoque jurat contra veritatem. — *S. Lig., ibid.*

Notandum est Deum in juramento promissorio assumi tanquam testem propositi seu promissionis præsentis et tanquam fidejussorem quodam modo executionis futuræ, prout hæc saltem pendet a voluntate humana; unde fit, ut in omni juramento promissorio includatur etiam assertorium de præsentia.

4° Est juramentum dicere: *Juro per Deum, per Sanctos, templum, crucem, altare, Evangelium, Fidem catholicam, Ecclesiam, cælum, terram.* — Item dicere: *Deum attestor... Sit mihi testis Deus... Deum invoco ut testem.* Secus, si quis juraret per creaturas in quibus non elucet *specialiter* divina bonitas aut potentia, v. gr., per barbam, etc. — *S. Lig. n. 134, 138.*

5° Non est juramentum dicere: *Novit Deus... Coram Deo loquor, etc.,* si hæc *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative*, quod dignoscitur ex circumstantiis, vel intentione loquentis. Nec est juramentum dicere: *Est tuum verum hoc, quam existit Deus..., quam ego existo..., quam sum in hoc loco..., fide boni viri..., per fidem meam..., per conscientiam..., moriar..., vel diabolus me perdat, nisi ita.* Imo nec est juramentum, juxta S. Ligorium, dicere: *Juro, vel juro ita esse, nisi præcesserit interrogatio de juramento præstando.* — *S. Lig., ibid., et alii multi.*

II. — De requisitis ad liceitatem juramenti.

309. — Triplex conditio requiritur ad liceitatem juramenti juxta illud Jeremiæ IV, 2: *Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

I. Itaque requiritur *Veritas*, id est conformitas assertionis cum intentione et cognitione jurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. In juramento assertorio veritas respicit existentiam facti; in promissorio existentiam intentionis.

II. *Judicium*, id est, ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, nec sine necessitate aut gravi causa fiat.

III. *Justitia*, id est, ut juramentum sit de re seu de promissione, proposito, vel assertione justa, licita et honesta: sic contra justitiam juraret, qui juramento promissorio se obligaret ad damnum proximo injuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum; aut qui juramento assertorio confirmaret detractionem, vel iniquam secreti revelationem. — *S. Lig. n. 144.*

Quæsitæ.

310. — QUÆR. 1^o *Quænam sit causa sufficiens ad jurandum?*

Resp.: Quæcumque causa honesta alicujus ponderis, v. gr., pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus, etc. — *S. Lig., Hom. apost., n. 14.*

QUÆR. 2^o *An liceat jurare cum probabilitate veritatis?*

Resp. Neg., quia Deus nequit invocari nisi in testimonium rei certæ; attamen certitudo quædam moralis sufficit. — *S. Lig., Hom. apost., ibid.*

QUÆR. 3^o *An liceat jurare cum restrictione mentali?*

Resp. Neg., si sit *pure mentalis*; secus vero, si *late mentalis* sit, ex justa causa. Vide dicenda *de octavo præcepto, n. 442 et seq.*, et propositiones 26, 27, 28 ab Innoc. XI damnatas. — *S. Lig. n. 151.*

QUÆR. 4^o *An liceat præstare juramentum in publicæ rei perturbationibus?*

Resp.: Hoc plerumque a circumstantiis pendet. Perpende quid postulet justitia, aut bonum commune, et quænam sint juramenti requisiti obligationes, utrum positivæ an negativæ? — Potissimum vero expedit consulere Superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet definire quid pro variis circumstantiis sit agendum ¹.

311. — QUÆR. 5^o *Quale sit peccatum jurare sine veritate, judicio et justitia?*

¹ Circa juramentum politicum duo præsertim moventur dubia; an videlicet præstari possit: 1^o Gubernio intruso, quod fraudibus vel violentia summam rerum sibi injuste usurpaverit; 2^o Constitutioni, quæ nonnulla continet divinis vel ecclesiasticis sanctionibus adversantia. — S. Penitentiaria respondit ad 1^{um}: « Tolerari posse ut tali Gubernio præstetur juramentum obedientiæ mere passivæ in iis omnibus, quæ legibus « Divinis et Ecclesiasticis non adversantur, juxta formam a S. M. Pio VII approbatam et « his verbis expressam, scilicet: *Promitto et juro me ejuslibet generis conjurationi, « sive conventui, sive seditioni contra actuale Gubernium operam nunquam daturum: itemque eidem me subjectum fore atque obtemperaturum in iis omnibus, « quæ nec Dei, nec Ecclesiæ legibus adversantur.* » (10 dec. 1860.) Ad 2^{um}: ubi necessitas adest « tolerari posse ut nuncupatio juramenti fiat etiam juxta formulam generalem, dummodo ipsius formulæ contextui addatur limitatio: *exceptis iis quæ Dei, « ejusque sanctæ catholicæ Ecclesiæ legibus adversantur.* » — Cf. *Acta S. Sedis*, vol. I, p. 561, et vol. II, p. 675. — P. Villada, *Cas. conscient. his præsentibus temporibus accommod.*, t. I, p. 266.

Resp. ad 1^{am} : Est semper mortale etiam in materia levi, quia Deum adducere in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius veracitatem. Constat etiam ex proposit. 24^a ab Innoc. XI damnata.

Resp. ad 2^{am} : Veniale est *per se*, id est secluso periculo pejerandi; quia est tantum vana usurpatio Nominis Dei. — *Ita fere omnes, etiam rigidiores.*

Resp. ad 3^{am} : Certo mortale est in juramento promissorio, si de patrandò gravi peccato agatur, ut patet; imò, juxta *S. Lig.*, etiamsi agatur de peccato veniali tantum, saltem *probabilius*, quia gravis esse videtur irreverentia Deum invocare ut testem ac fidejussorem peccati cujuscumque committendi. Oppositam tamen sententiam Suarez cum aliis ait esse communem.

In juramento autem assertorio, *probabilius* veniale est *per se* tantum, quia juramentum *per se* cadit in assertionem, non ut malam, sed ut veram. Sic qui juramento se jactat de fornicatione commissa, quamvis hac jactantia lethaliter peccet, vi tamen juramenti *per se* non confirmat jactantiam, sed veritatem dumtaxat fornicationis. Excipe, nisi juramentum assumatur tanquam instrumentum seu medium peccandi, v. gr., ad firmandam detractionem. — *S. Lig. n. 146.*

Inter juramenta prohibita referuntur ea quæ in societatibus occultis sive Carbonariorum, sive Liberorum Muratorum (*Francs-Maçons*), emitti solent. Nullatenus enim licitum haberi potest juramentum, quod ejus auctores ne Ecclesiæ quidem manifestari volunt. — *Leo XII, Litt. Apost. Quo graviora, 12 Mart. 1826.*

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII

Principia.

312. — I. Omne juramentum promissorium de re licita et honesta, præter obligationem justitiæ, aut fidelitatis, quæ ex simplici promissione oritur, obligationem quoque Religionis inducit. Ratio est, quia promissio *per se* jam obligat, et testimonio divino invocato confirmatur et corroboratur. — Minime autem obligat, et ab initio nullum est, juramentum de re illicita aut plane inutili; quia juramentum, utpote actus Religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosæ.

II. Obligatio juramenti interpretanda est *stricte*; et naturam actus vel contractus cui adjicitur, omnesque ejus conditiones sequitur. Ratio primi est, quia jurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit; ratio autem alterius est, quia juramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam Religionis obligationem, et proinde easdem conditiones et limitationes habere debet.

III. Obligatio juramenti interpretanda insuper est juxta conditiones tacitas in eo inclusas seu subintellectas, quæ sunt: 1^o si potuero sine gravi damno; 2^o si res non fuerit notabiliter mutata; 3^o si jura aut voluntas Superioris non obstant; 4^o si alter fidem reciprocam servaverit; 5^o nisi alter de jure suo cedat. — *S. Lig. n. 180.*

Quæsitæ.

313. QUÆR. 1^o *An detur parvitas materiæ in transgressione juramenti promissorii?*

Resp. I^a Sententia negat, quia non tantum violatur promissio simplex, sed promissio jurata. In quacumque ergo materia gravis injuria infertur Deo, cujus testimonium in vanum a jurante invocatum est. — *Bonacina, Lessius, Toletus.*

II^a Sententia affirmat, quia in juramento promissorio Deus non proprie adducitur ut testis futuræ executionis rei promissæ, sed tantum ut testis actualis promissionis, seu veræ intentionis promissionem exsequendi, et ut præbens auctoritatem obligationi quæ oritur ex promissione coram se facta, sicut princeps sponsalia coram se contracta sua auctoritate firmiora reddit. Jam vero quoad primum, nulla per juramenti promissorii transgressionem irreverentia in Deum committitur, seu Deus non efficitur testis falsitatis, siquidem sinceram fuisse supponimus in jurante promissionem, atque executionis intentionem; quoad alterum autem, irreverentia quidem auctoritati divinæ irrogatur, sed quæ neque directa est et formalis, cum indirecte solum intendatur in ipsa promissionis violatione, neque major est, imo, teste S. Thoma (2. 2., q. 89, art. 8), per se est minor irreverentia quæ in voti transgressione invenitur. Cum igitur in hac, sicut et in qualibet irreverentia contra Deum indirecta, levitas materiæ ab omnibus admittatur, in ea etiam admittenda est quam infert juramenti promissorii transgressio. — *Suarez, Navarrus, Laymann, etc. — S. Lig., in Opere, n. 173, dicit utramque sententiam probabilem; sed magis secundæ sententiæ adhæret, et in Hom. apost., n. 13, ait: Si res promissa non sit gravis, infidelitas ad gravem culpam non pertingit.*

QUÆR. 2^o *An obliget juramentum promissorium errore aut dolo emissum?*

Resp. Neg., si error aut dolus versetur circa rei substantiam; secus vero, si adjuncta ejus accidentalialia tantum afficiat; quia contractus simplex invalidus foret in priori casu, non vero in posteriori. — *S. Lig. n. 175.*

314. — QUÆR. 3^o *An obliget juramentum promissorium metu gravi et injusto extortum?*

Resp. : Controvertitur : I^a Sententia communior affirmat, quia, licet contractus simplex forte irritus foret spectato jure naturali, firmus tamen efficitur accedente juramento, quod servandum est *ex Religione*, quoties absque peccato servari potest. — *S. Lig. n. 174, et l. III, n. 716.* Attamen patroni hujus sententiæ tenent cum S. Ligorio, eum, qui metum passus est, posse juramenti relaxationem petere, ut ab obligatione solvendi excusetur; et si jam solverit, posse id, quod dedit, in judicio repetere, vel occulte se compensare. — *S. Lig. n. 174, et l. III, n. 717.*

II^a Sententia, quæ sat probabilis videtur, *negat*; quia juramentum nequit promissionem de jure naturali irritam confirmare. Juramentum enim sequitur naturam actus, cui adjicitur. Vide dicenda in *Tract. de Contract. in genere.*

QUÆR. 4^o *Quomodo cesset obligatio juramenti?*

Resp. 1° : Cessat *ab intrinseco*, sicut lex, cessatione causæ motivæ, notabili materiæ mutatione, etc. — *S. Lig. n. 187, 188.*

Resp. 2° : Cessat *ab extrinseco*, irritatione, commutatione et dispensatione, sicut votum, de quo in capite sequenti dicemus. Cessat quoque relaxatione seu remissione obligationis facta ab eo in cujus favorem promissio jurata emissa est, quia juri suo quisque cedere potest.

QUÆR. 5° *An qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis possit etiam dispensare in juramentis piis, id est soli Deo præstitis, de eadem materia?*

Resp. 1° Affirm., in votis juratis, seu quando votum ipsum juramento firmatum est : accessorium enim sequitur principale. — *Ita communius.*

Resp. 2° : Quoad juramenta independentem a voto aut sine ullo voto emissa, *controvertitur.*

Ia Sententia probabilis negat, quia juramenti vinculum a voti vinculo specie diversum est; ac præterea, juxta stylum Curiae Romanæ, duæ illæ facultates seorsim conferuntur.

IIa Sententia, etiam probabilis, affirmat, quia juramenta soli Deo præstita, ob suam cum votis affinitatem, secundum communem hominum æstimationem, ut vota reputantur, unde, quamvis sint duo vincula specie diversa, in ordine ad commutationem et dispensationem reputantur quasi unum et ejusdem rationis. Specialis autem concessio datur quoad juramenta, ex stylo Curiae, ad majorem securitatem et cautelam. — *S. Lig. n. 190*, qui tamen putat priorem sententiam in praxi tenendam esse, quia, inquit, dispensatio probabiliter tantum valida non potest auferre obligationem certam juramenti præexistentis.

Resolves.

315. — 1° Nunquam obligatur juramento qui rem malam juravit; imo dupliciter peccat, si juramentum adimpleat, nempe contra Religionem, et virtutem cui opponitur materia juramenti. — *S. Lig. n. 176.*

2° Non obligatur juramento qui promissionem prodigam jurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. — *Ita Suarez, Salamant., et alii communiter cum S. Lig., qui hoc ut probabilius admittit, n. 185.*

3° Non obligatur juramento qui juratus promisit nuptias puellæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; quia promissio simplex tunc non obligat. — *S. Lig. n. 180.*

4° Non peccat contra juramentum qui, urbanitatis causa, juravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque ejusmodi juramentum nullum est ex defectu intentionis jurandi; vel, si valeat, ab altero relaxatur. — *S. Lig. n. 180.*

5° Non peccat qui secretum juratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare; quia juramentum, ut diximus, sequitur naturam actus cui adjungitur.

6° Raro peccant parentes non adimplentes juramentum puniendi filios;

quia plerumque juramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; accedit quod delinquentes aut jam emendati sunt, aut saltem emendationem promiserunt. — *S. Lig. n. 186.*

7° Plerumque etiam mercatores non videntur ligari juramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; vel quia hujusmodi juramenta ut plurimum sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum jurandi, aut certe quia juramento inest tacita conditio, *nisi aliter res melius cedere videantur.* — *Ita communius.* — *V. Casus, n. 296 et seq.*

APPENDIX

DE ADJURATIONE

316. — DEFINITIO. Adjuratio est auctoritativa aut deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei, vel Sanctorum, aut rei sacræ, ut inducatur alius ad aliquid agendum vel omittendum.

In eo igitur differt a juramento, quod non inducat Deum in testem, sed tantum nomen ejus interponat ad rem exoptatam efficacius obtinendam ob reverentiam Divinitati vel rebus sacris debitam.

DIVISIO. Adjuratio distinguitur:

1° *Solemnis*, vel *privata*, prout fit ab Ecclesiæ ministris, et modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur, et ab omnibus fieri potest.

2° *Deprecativa* vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium. Hæc posterior solis competit Superioribus erga subditos, et Exorcistis erga dæmones. — *S. Lig., App. de Adjuratione, n. 1 (post. n. 193).*

Principia.

317. — I. Adjuratio solemnis licita est solis Ecclesiæ ministris, quibus ab Episcopo expresse permittitur; cæteris autem in præsentī Ecclesiæ disciplina sub gravi prohibetur; imo multis in locis *suspensionis* pœnam incurrunr Clerici qui sine debita Ecclesiæ facultate exorcismos facere præsumunt. — *S. Lig., ibid., n. 4.*

II. Adjuratio privata licita est vel illicita in omnibus illis circumstantiis, in quibus juramentum licitum aut prohibitum est; hinc quæ de juramento dicta sunt, etiam adjurationi sunt applicanda.

III. Solæ intellectuales creaturæ, homines scilicet et dæmones, *directe* adjurari possunt; *indirecte* etiam creaturæ irrationales, ut sol, aqua, nubes, locustæ, etc., adjurando scilicet dæmones, ne per eas nobis noceant, aut exorando Deum, vel Sanctos, ut iis, qui hujusmodi rebus utentur, assistant. — *S. Lig., ibid., n. 3.*

Adjuratio autem contra dæmones fieri debet tantum modo imperativo, et ad amovenda damna et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem aut curiositatem. — *S. Lig. n. 5.*

Quæsitā.

318. — QUÆR. 1° *An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?*

Resp. Affirm., si Episcopus re plane cognita id approbet; sed a scandalo et Ecclesiæ contemptu sedulo cavendum est.

QUÆR. 2^o *De quibusnam rebus dæmon interrogari possit?*

Resp.: De omnibus generatim quæ ad ejus expulsionem conducent, v. gr., de tempore et causa possessionis, de signo egressus, etc. — *S. Lig., ibid.*

QUÆR. 3^o *Quomodo peccet qui dæmonem de iis, quæ ad rem non faciunt, curiose interrogat?*

Resp.: *Per se* peccat graviter, si multos sermones inutiles cum dæmone obsidente habeat; a *fortiori*, si cum ipso jocetur. Secus, si unam vel alteram tantum quæstionem curiosam modo imperativo interponat. — *S. Ligorius, ibid.*

QUÆR. 4^o *Quænam sint signa veræ possessionis?*

Resp.: Præcipua sunt: 1^o loqui idiomate prorsus ignoto ante tempus possessionis; 2^o occulta et distantia manifestare, quæ naturaliter ab homine cognosci nequeunt; 3^o parere mandato mere interno Sacerdotis, etc.; 4^o majorem experiri dæmonis vexationem, aut majorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum, etc. — *V. Casus, n. 303.*

Generatim non facile credendus est aliquis a dæmone possideri; quia veræ possessiones nostris temporibus raræ sunt, et pleræque ex iis, quæ perhibentur, falsæ inveniuntur.

CAPUT III

DE VOTO

319. — DEFINITIO. *Votum est promissio deliberata Deo facta de bono meliori.*

DIVISIO. *Votum distinguitur:*

1^o *Solemne, vel simplex*, prout ab Ecclesia ut tale acceptatur, seu ratum habetur, aut seclusa tali Ecclesiæ acceptance emittitur.

2^o *Personale, vel reale*, prout actio vel omissio, aut res aliqua ab actione personæ separabilis, promittitur.

3^o *Temporarium vel perpetuum*, prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.

Agendum 1^o de conditionibus ad votum requisitis; — 2^o de obligatione voti; — 3^o de ejus cessatione.

ARTICULUS I

DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS

Conditiones ad voti validitatem requisitæ in ipsa voti definitione continentur, ac duæ sunt præcipuæ: 1^o intentio vera; 2^o materia apta.

§ I. *De intentione ad votum requisita.*

320. — Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu vera promissio Deo facta, et obligationem inducens; votum enim est instar legis cujuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi

onus quod assumit, sibimet imponit. Sufficit autem voluntas et deliberatio quæ ad peccatum mortale requiritur. — *Suarez, l. I, c. ix.*

Hinc votum essentialiter differt a proposito; quia propositum, quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, neque rei propositæ ommissio est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. gr., propter inconstantiam, tædium aut negligentiam, quæ per se peccatum veniale non excedunt. — *S. Lig. n. 196-199.*

Quæsitæ.

321. — QUÆR. 1^o *An valeat votum factum cum ignorantia obligationis, aut inadvertentia ad obligationem jam cognitam?*

Resp. ad 1^{um}: Non valet votum factum cum omnimoda ignorantia obligationis quam inducit; quia sine intentione sese obligandi nullum est votum.

Resp. ad 2^{um}: Valet si is qui votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscat, quamvis actu ad illam non attendat; vel, etsi clare obligationem non cognoscat, in confuso tamen eam apprehendat, aut velit implicite, dum, v. gr., vult vovere hoc vel illud, prout cæteri vovere solent. Tenendum tamen generaliter est, non majorem induci obligationem præter illam quam quis velit sibi imponere, atque apprehenderit. — *S. Lig. n. 202.*

QUÆR. 2^o *An valeat votum ex errore emissum?*

Resp. 1^o Neg., si error versetur circa substantiam rei, vel circa circumstantias substantiales, seu quæ principaliter intenduntur, aut ad substantiam spectant, vel illam notabiliter mutant; quia tunc res promissa non est satis cognita et volita. — *S. Lig. n. 198, et alii.*

Vota quibus constituitur status ex natura sua firmus et irrevocabilis, qualia sunt vota religiosa, invalidantur tantum ob errorem substantialem circa substantiam; secus non satis accommodarentur firmitati hujus status propriæ; unde qui ea emittunt, censentur se obligare juxta eorum naturam sine ulla conditione vel restrictione quæ non pertineat ad ipsam rei substantiam. — *S. Lig., ibid. — Lugo, de Just. disp. xxii, n. 88.*

Resp. 2^o Affirm., si error versetur circa circumstantias accidentales minoris momenti, quæ voto non obstitissent, si secluso errore cognitæ fuissent; nam qui vovet, censetur se obligare ad subeunda incommoda mere accidentalia quæ in voto adimplendo occurrere possint. — *Ita S. Lig. — Elbel.*

322. — QUÆR. 3^o *An valeat votum metu factum?*

Resp. 1^o Neg., si metus sit gravis, injustus et incussus ad extorquendum votum. Ratio est, quia Deo acceptum id esse non potest, quod per injuriam a quopiam vi extorquetur, quando lex naturæ postulat ut jus in integrum restituatur. Et hoc quidem evincit, ejusmodi vota esse invalida jure naturæ. Constat autem ex jure canonico quoad vota solemnia Religionis, et probabilius etiam quoad cætera vota, juxta interpretationem communioem theologorum. — *S. Lig. n. 197.*

Resp. 2^o Affirm., si metus oriatur ab intrinseco vel a causa necessaria, nisi voventi usum rationis adimat; ratio, quia ejusmodi vota sunt simpliciter voluntaria. Item si metus proveniat ex causa levi, quia levis metus non censetur efficaciter in actum influere, et est potius occasio quam causa

voti. — *Ita communiter cum Sanchez, Azor, Salm.; et S. Lig. dicit id probabilius, n. 197.*

QUÆR. 4^o *An voto teneatur qui dubitat utrum votum vel merum propositum emiserit, aut sufficientem habuerit deliberationem?*

Resp. ad 1^{am} Neg.; constat ex dictis de probabilismo. Si autem promittendo credidit se peccaturum si forte rem propositam non exsequeretur, judicari potest eum vere vovisse. — *S. Lig. n. 201.*

Resp. ad 2^{am} Neg. ob eandem rationem, quando positive et graviter dubitet de sufficienti deliberatione. Plerumque ex perspectis circumstantiis res definienda est. — *S. Lig. affirmat., num. 196. — V. Casus, n. 305 et seq.*

§ II. De materia voti.

Principia.

323. — I. Materia voti debet esse res *moraliter bona*, imo de *bono meliori*. Ratio, quia Deus non colitur actione indifferenti, vel cujus positio non sit melior quam omissio. Bonum autem *melius* non solum *absolute* in se, sed etiam *relative* ad circumstantias intelligitur.

II. Materia voti debet esse res *moraliter possibilis*; quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi; nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi *moraliter impossibile*. Si vero res sit divisibilis et ex parte possibilis sit, pro hac parte valet votum; non valet autem, si sit *moraliter indivisibilis*, aut vovens unam partem non promiserit nisi dependenter ab alia. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 202.*

Quæsitæ.

324. — QUÆR. 1^o *An valeat votum de materia jam aliunde præcepta?*

Resp. Affirm., primo quia non repugnat, debitorem diversis titulis obligari; deinde quia votum hujusmodi est de re bona in se, cum præcepta supponatur, et est de bono meliori, cum novum vinculum ad majorem fidelitatem et devotionem in adimplenda lege conferre possit. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 213. — Salm.*

QUÆR. 2^o *An valeat votum rei bonæ cum fine pravo, aut conditione mala?*

Resp. ad 1^{am} Neg., si finis malus se tenet ex parte rei votæ, v. gr., si voveas eleemosynam ad impetrandum felicem furti successum, vel in gratiarum actionem pro latrocinio. Ratio, quia datio eleemosynæ ad talem finem est actio blasphematoria, quasi Deus ad peccandum opem ferat. Secus dicendum, juxta communem sententiam, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, et finis pravus, uti ait S. Alphonsus, se prorsus teneat ex parte voventis, v. gr., si quis, vovens ob Dei gloriam, ex vana dein ostentatione libentius *externe* voveat. — *S. Lig. n. 206.*

Resp. ad 2^{am} Affirm., si votum fiat ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi conjuncta cum causa seu conditione mala, ut si quis voveat eleemosynam, si non capiatur in furto. Etsi enim furtum malum sit, non hædi tamen non est malum, sed Dei donum, et votum non cadit super malum, sed super bonum, quatenus in se bonum est. Multo magis autem id valet,

si votum fiat ex malæ conditionis detestatione; ut si quis voveat eleemosynam, si et quoties blasphemet. — *Laymann, lib. IV, tr. IV, cap. II, n. 7.*

QUÆR. 3^o *An valeat votum non peccandi?*

Resp. 1^o: Non valet votum vitandi omnia peccata etiam levissima, quia hoc impossibile est. — *Trid., sess. VI.*

Resp. 2^o: Valet autem votum vitandi omnia mortalia, vel omnia venialia plene deliberata, quia hoc est possibile cum divina gratia et sine speciali privilegio, si tamen de personis piis agatur. Item valet votum non committendi venialia certi generis, v. gr., nunquam mentiendi, quamvis ob nimiam executionis difficultatem ejusmodi vota quoad plerosque non expédiant. — *Bouvier, et alii non pauci.*

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONE VOTI

Principia.

325. — Votum obligat *per se*, sicut lex vel præceptum, ac proinde graviter in materia gravi, et leviter in levi; votum enim est quasi quædam lex privata, quam quis sibi imponit.

II. Votum obligat secundum voventis intentionem, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinet, ita ut sub levi tantum in materia quantumvis gravi se ligare possit. Ratio est, quia sicut legislator vel Superior potest in materia gravi obligare sub levi tantum, ita etiam qui vovet de re gravi, levem tantum obligationem sibi imponere potest. — Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis non est gravis obligationis capax. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 211 et 213.*

Quæsitæ.

326. — QUÆR. 1^o *Quænam materia per se censeatur levis vel gravis in voto?*

Resp.: Illa materia gravis censeatur, quæ, cum ab Ecclesia præcipitur, graviter obligat, ut jejunium, Missa, etc., vel quæ comparata cum alio præcepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti, aut ad Dei cultum confert. — *Reuter.*

QUÆR. 2^o *An plures materiæ leves coalescant ad materiam gravem efficiendam?*

Resp. Neg., si materiæ leves voveantur separatim, v. gr., si uniuscujusque obligatio sit affixa præcise tempori vel diei, seu ad unumquemque diem sanctificandum. — Secus, si materiæ leves per modum unius voveantur, ita ut diei determinatio non accedat nisi ad executionem urgendam, ut fere in votis realibus, quorum executio, ut certior sit et facilior, distribuitur in singulos dies; excipe tamen, nisi aliud ex voventis constet intentione, ex qua tota obligatio et ratio obligationis pendet.

327. — QUÆR. 3^o *An aliquis voto alieno ligari possit?*

Resp. Neg., saltem ratione voti; ratio, quia votum est onus personale

voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest. — Hinc vota parentum filios devoventium cuiusque Religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. gr., certis diebus jejunandi, etc., istos ligare nequeunt. Licet autem filii non teneantur voto parentum, qui illos religioni, vel alicui obligationi devoverunt, parentes tamen votum obligat, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, hos moveant ad id, quod pro ipsis voverunt, amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstent.

Dixi, *saltem ratione voti*, nam ex justitia hæres vota realia defuncti solvere tenetur; et ex obedientia saltem tenentur subditi, tum qui nunc vivunt, tum qui in posterum membra communitatis fient, adimplere vota eorum nomine a magistratu civili, assentiente Episcopo, aut a Superioribus religiosis emissa. — *S. Lig., ibid.* — Vide dicenda in *Tract. de Contract. ubi de Promissione.*

QUÆR. 4^o *Quænam dilatio gravis censenda sit?*

Resp. 1^o: Gravis est *per se* quælibet dilatio voti graviter obligantis, quando tempori determinato affixum est, ut est votum jejunandi in tali vigilia, etc.; quia elapso tempore cessat voti obligatio quæ compensari nequit.

Resp. 2^o: Si vero tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti executionem præfixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit; qualis autem sit mora notabilis, ex natura rei promissæ, ex fine et aliis circumstantiis judicandum est. Generatim loquendo, minor mora requiritur ad grave peccatum, ubi adest periculum oblivionis, vel impotentiae, aut imminutio notabilis voti, ut in iis quæ pro tota vita fiunt.

Hinc 1^o peccat graviter juxta communem sententiam, qui differt ultra duos vel tres annos, sine causa, quodlibet votum de re gravi, etiam secluso periculo oblivionis, impotentiae, etc., quia in hoc est gravior deordinatio, quam si alteri homini rem debitam dare nimis diu differat. — *S. Lig., n. 221*, etc., contra *Tamb.* et *alios* qui dicunt nullam dilationem, quantumvis longam, *per se* mortalem esse. — 2^o Peccat etiam *probabilius* graviter qui differt ultra sex menses vota perpetua, ut votum ingrediendi in religionem; quia tunc cultus Dei notabiliter minuitur cum notabili imminutione vitæ. — *Ita S. Lig., ibid., Lacroix, Sanchez, et alii communiter*, contra *plures* qui duos vel tres annos ad moram gravem requirunt, ut in casu præcedenti.

Resolves.

328. — 1^o Vota realia de suo solvenda sunt; qui autem nequit de suo solvere non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus, sive sponte, pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat; quia quod dat alter, accedente voventis consensu vel ratificatione, fit ipsius proprium. Excipe, si materia voti realis fuerit determinata, tunc enim ea in *individuo* eroganda est. — *S. Lig., n. 217, cum Busemb.*

2^o Vota personalia impleri possunt tantum ab ipso vovente, nec ad hæ-

redes transeunt. Hinc qui vovit peregrinationem, non satisfacit si conducat alium; neque ad conducendum tenetur si ipse non possit.

3° Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. gr., de rosario diurno, aut jejunio singulis sabbatis faciendo, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est. — *S. Lig. n. 221.*

4° Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. gr., elemosynam, pecuniam, etc., satisfacit dando id quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere, quam votum adimplere.

5° Qui vovit audire Sacrum per mensem vel annum, *probabilius* non tenetur in festis audire duo Sacra, nisi explicite hoc voverit; quia finis voti est, ut singulis diebus fructum sacrificii colligat. Item non tenetur jejunare die Dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam jejunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit; quia censetur vovere jejunium juxta morem Ecclesiæ. — *S. Lig. n. 224.*

6° Qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc in diem Dominicam incidat, die sabbati, juxta morem Ecclesiæ, votum adimplere potest. — *S. Lig., ibid. — V. Casus, n. 312 et seq.*

ARTICULUS III

DE CESSATIONE VOTI

329. Obligatio voti cessare potest :

1° Ob causas intrinsecas, scilicet cessatione finis seu causæ motivæ, mutatione substantiali materiæ, et impossibilitate sive physica, sive morali, ut de legibus supra dictum est, *n. 121.*

2° Ob causas extrinsecas, scilicet irritatione, dispensatione, et commutatione, de quibus singillatim dicendum venit.

§ I. De irritatione votorum.

DEFINITIO. Irritatio voti est ejus annullatio vel suspensio facta ab eo cujus potestati subest voluntas voventis, aut materia voti.

DIVISIO. Est : 1° *directa*, si cadat *directe* in personam seu in voluntatem voventis; 2° *indirecta*, si cadat tantum in voti materiam. In priori casu votum omnino annihilatur; in posteriori autem, suspenditur tantum ejus obligatio quoad materiam alterius potestati subjectam.

Principia.

330. — I. Omnis Superior potestate dominativa in voluntatem alterius præditus (ut Superior Regularis, vi traditionis quam includit professio religiosa aut incorporatio ad Religionem) potest omnia subditorum vota directe irritare; nec semel irritata reviviscunt unquam. Vota igitur inferiorum, quorum voluntas, vi status sui, perfecte Superiori subjacet, semper hanc tacitam involvunt conditionem : *nisi Superior contradixerit.*

Hinc vota particularia Regularium et Monialium irritari possunt, 1° a

summo Pontifice ceu supremo omnium Regularium Prælato; 2º a Superioribus etiam fœminis Ordinis vel domus. — *S. Lig. n. 233.*

II. Omnis Superior vel dominus irritare potest indirecte omnia subditorum vota in iis in quibus læditur ipsius potestas; quia quisque jus habet, ne in rebus suo dominio subjectis lædatur; sed vota hæc reviviscunt, quando sine alterius præjudicio adimpleri possint. — *V. Casus, n. 328.*

Hinc 1º Maritus irritare potest vota uxoris quæ juri conjugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi præjudicant.

2º Uxor irritare potest vota mariti quæ matrimonii jura lædunt, ut votum castitatis, longæ peregrinationis, induendi habitum eremitæ, etc.

3º Herus potest irritare seu suspendere vota famulorum quæ obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie Missam audiendi. — *S. Lig. n. 241 et seq.*

III. Omnia vota impuberum, etiam castitatis et Religionis, possunt directe irritari a paterna potestate. Constat ex Jure canonico, *c. Puella, 2, causa 20 q. 2*, determinante jus naturale.

Hinc vota impuberum directe irritari possunt a patre, et, patris defectu, ab avo paterno, a tutore, et, his deficientibus, a matre; imo *probabiliter* a matre, etiam præsentem non tamen contradicentem, patre vel tutore. — *S. Lig. n. 229, 230. — V. Casus, n. 330.*

Quæsitæ.

331. — QUÆR. 1º *An maritus possit irritare omnia vota uxoris?*

Resp. : Controvertitur. Alii *negant*, et dicunt maritum posse tantum irritare *indirecte* ea vota quæ juribus suis obstant. Quoad alia enim, inquit, uxor non est subjecta. — *Ita Voit, n. 600. — Laymann, etc. — Melius tamen alii cum S. Thom. 2, 2, q. 88, a. 8, ad 3, et S. Lig., n. 234*, marito jus tribuunt irritandi etiam *directe* vota stante matrimonio emissa; quoniam *vir caput est mulieris, et mulier subjecta est viro in omnibus.* (Ephes. v, 23, 24.)

QUÆR. 2º *An pater directe possit irritare vota filiorum puberum emissa ante pubertatem?*

Resp. Affirm., modo filii pubertatem adepti adhuc sint sub potestate paterna, et vota non confirmaverint; imo *probabiliter*, etiamsi illa rati haberint, nescientes irritabilia esse. — *S. Lig., n. 238, cum aliis.*

QUÆR. 3º *An possit fieri irritatio sine causa?*

Resp. 1º Affirm., quoad validitatem, quia dominus valide disponit de re sua.

Resp. 2º Affirm., etiam quoad licitatem, *per se* loquendo, seu ratione ipsius irritationis; vota enim subditorum emittuntur sub conditione consensus Superioris, quam Superior *per se* dare non tenetur. At vero *per accidens*, seu ratione circumstantiarum, raro aberit aliqua culpa, vel quia actus est imprudens, vel quia irrationabiliter impeditur profectus spiritualis subditi, etc. Non tamen id ex se, secluso pravo affectu aut gravi subditi nocumento, peccatum veniale excedit. — *S. Lig., et alii communiter.*

Ad rectum usum potestatis irritandi animadvertere juvat, eam datam esse Prælato religioso in utilitatem voventis, domino respectu servorum in

utilitatem irritantis, patri respectu filiorum et viro respectu uxoris intuitu utriusque. — *Suarez, l. VI, c. I, n. 10.*

QUÆR. 4^o *An Superior irritare possit vota a se rati habita?*

Resp. Affirm., quia nequit sibi adimere potestatem quam in subditos habet. — *S. Lig. n. 239. — V. Casus, n. 326, et seq. ad 331.*

§ II. De dispensatione votorum.

Dispensatio voti est absoluta ejus condonatio, nomine Dei a Superiore legitimo facta.

Principia.

332. — I. Ecclesia habet veram potestatem dispensandi in votis, sicut et in juramentis. Constat ex verbis Christi, Matth. xvi, 19 : *Quodcumque solveris, etc.*; — et ex praxi constanti Ecclesiæ. — *Communis.*

II. Soli Prælati, quibus jurisdictio in foro externo data est, a votis dispensare possunt, quia hæc potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras. Hinc solus Papa dispensare potest a votis pro tota Ecclesia; Episcopi autem vel Prælati regulares pro subditis tantum respectivis, et solum in votis Papæ non reservatis. — *S. Lig. 256.*

III. Ad validitatem dispensationis semper justa causa requiritur, quia cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare nisi tanquam delegatus; sed delegatus nequit dispensare valide sine justa causa, ut de legibus dictum est. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 250.*

Quæsitæ.

333. — QUÆR. 1^o *Quænam sint justæ causæ hujus dispensationis?*

Resp. : Bonum Ecclesiæ, societatis, familiæ, et ejus etiam qui voto obstrictus est, v. gr., si scrupulis, vel gravibus tentationibus, voti causa, opprimatur; si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur, si actus votendi non fuit perfecte deliberatus, etc. — *S. Lig. n. 252.*

QUÆR. 2^o *An Superior possit dispensare in votis principaliter ad utilitatem proximi factis?*

Resp. Affirm., si votum non fuerit acceptatum a proximo. Secus *Neg.,* quia tunc intercedit obligatio contractus.

Votum in honorem Dei principaliter, secundario tamen et minus principaliter in favorem alicujus tertii factum, puta Ecclesiæ, monasterii aut pauperis, *probabiliter* potest dispensatione remitti a Superiore, etiamsi jam fuerit acceptatum; dummodo promissio non sit onerosa, id est nullum onus proximo imponat quod ipse acceptaverit. — *S. Lig. n. 255.*

QUÆR. 3^o *Quænam sint vota Papæ reservata?*

Resp. : Præter vota emissa in Religione approbata, Papæ reservantur: 1^o votum castitatis perfectæ et perpetuæ, non vero votum virginittatis seu castitatis exterioris tantum; 2^o votum ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam; 3^o votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad sepulcrum Christi; 4^o votum peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum; 5^o vo-

tum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum. Hæc autem non sunt reservata, nisi sint absoluta, determinata, perfecta ratione materiæ et libertatis. Hinc non sunt reservata vota disjunctiva, pœnalia, conditionata, etiam *probabilius* adimpleta conditione; quia votum, ut sit reservatum, procedere debet ex solo et perfecto ad rem promissam affectu. — *S. Lig. n. 258.*

QUÆR. 4^o *An Episcopus possit dispensare conjugem a voto castitatis perpetuæ tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine ad debitum petendum.*

Resp. Affirm., juxta sententiam communem, contra nonnullos; quia dispensare potest ab omni impedimento exercitium actus conjugalis impediens. — *S. Ligor. n. 258, et lib. VI, n. 986, 987. — V. Casus, n. 332 et seq.*

§ III. De commutatione votorum.

334. — Commutatio voti est substitutio alicujus operis loco promissi. Fieri potest triplici modo, scilicet in bonum melius, in æquale, in minus.

Principia.

I. Quicumque habet potestatem etiam simpliciter delegatam dispensandi a votis, habet eo ipso facultatem ea commutandi; qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere. — Non autem vicissim, quia major potestas in minore non continetur. — *S. Lig. n. 246.*

II. Quisque potest privata auctoritate, et sine causa speciali, votum suum commutare in opus evidenter melius, modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit; quia dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat quod promiserat cum perfectum in perfectiori includatur. Constat insuper ex Jure can. c. 3, *de Jurejurando*. Melius autem censetur, quod ad majorem utilitatem spiritualem voventis, ac majus Dei obsequium conducit. Excipe tamen vota Papæ reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum. — *S. Lig. n. 243.*

III. Qui votum emisit, illud in bonum minus propria auctoritate commutare nequit; debet enim Deo dare quidquid promisit. — *Ita omnes.* — Imo nec potest votum suum mutare in bonum æquale, quia, posita promissione, merito censetur esse Deo gratius rem ipsam promissam ex fidelitate præstare, quam aliam æqualem ejus loco pro suo arbitrio substituere. — *Ita probabilius cum S. Lig., n. 244, et quæst. ref. 8. Elench. 2. — S. Thom. in 4, dist. 38, q. 1, art. 4. — Suarez, de Voto, l. VI, c. XIX, n. 5.*

IV. Sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, in opus notabiliter minus commutare nequit, quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. Attamen facultas vota commutandi non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino æquale coarctetur, sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquanto minus sese porrigat; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit æqualitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper

commutatio debet in allevationem ejus fieri, qui sese voto obstrinxit. — *S. Lig. n. 247.*

Quæsitæ.

335. — QUÆR. 1° *An requiratur causa aliqua ad votum in opus æquale, vel paulo minus, commutandum?*

Resp. 1° Affirm., quoad *liceitatem*, quia secus delegatus prodige commutaret, in vanum potestate commutandi utendo.

Resp. 2° Probabiliter etiam affirm., quoad *validitatem*, quia delegatus, sine causa commutans, limites suæ potestatis videtur excedere. Attamen sententiam oppositam æque *probabilem* dicit *S. Lig. n. 245*. Minor tamen requiritur causa ad commutandum, quam ad dispensandum; et rursus minor requiritur ad commutandum in æquale, quam in minus: sufficit enim major personæ propensio, vel minus periculum votum transgrediendi. — *S. Lig. n. 244.*

QUÆR. 2° *An, facta commutatione, liceat redire ad primum opus?*

Resp. 1° Affirm., si commutatio facta fuerit in minus vel æquale, quia primum opus est æque gratum Deo, imo et gratius videtur. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Affirm. probabilis, etiamsi facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis. — *S. Lig. n. 248.*

336. — QUÆR. 3° *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?*

Resp. 1° Neg., si mutatio facta sit alterius auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret; quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

Resp. 2° Affirm., si pro tuo arbitrio commutationem feceris, quia tunc non dissolvitur prior obligatio, sed tantum suppleri supponitur per æqualem aut meliorem. — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 249.*

QUÆR. 4° *An, commutato voto reservato, etiam materia subrogata reservata maneat?*

Resp. Neg., *probabilis*, quia materia illa, quæ substituitur, non est *per se* reservata, quamvis idem vinculum voti habeat. — *S. Lig., n. 260. et alii communiter.* — *V. Casus, n. 337 et seq.*

Cæterum sedulo adhortandi sunt fideles, præsertim mulieres et adolescentæ, ut nunquam vota emittant nisi de consilio vel approbatione Confessarii; præsertim si de voto castitatis agatur. Confessarius autem veniam seu consilium emittendi votum perpetuæ castitatis non nisi difficillime, et personis diu probatis atque maturis ætate, concedere debet.

DE III DECALOGI PRÆCEPTO

Memento ut diem sabbati sanctifices. Exod. xx, 8.

337. — Tertium Decalogi præceptum naturale est, quatenus præcipit ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; quatenus vero determinate designat diem sabbati, cæremoniale est, et in lege nova abrogatum; siqui-

dem pro die sabbati Ecclesia diem Dominicam in memoriam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi substituit.

Præter diem Dominicam Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda Redemptionis nostræ beneficia, vel Sanctorum merita et exempla, mandataque ut illi, non secus ac dies Dominica, sanctificentur.

Hoc præceptum, quatenus affirmativum est, quædam opera præcipit, et quatenus negativum, quædam alia prohibet; hinc caput duplex.

CAPUT I

DE IIS QUÆ DIEBUS FESTIS PRÆCIPUUNTUR

ARTICULUS I

DE IIS QUÆ GENERATIM DIEBUS FESTIS PRÆSTANDA SUNT

Principia.

338. — I. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur *sub gravi* singulis Dominicis et festis diebus interesse Sacro, nisi justa causa excusentur. Constat: 1° Ex variis Juris can. locis, præsertim ex *c. Missas 64, de Consecrat. dist. 1*; item ex *c. Omnes 63, de Consecr. dist. 1*; — 2° ex omnibus Catechismis, in quibus indubium præceptum de Missa his diebus audienda declaratur.

Dixi *sub gravi*; agitur enim de re gravi tum in se, tum juxta existimationem communem fidelium, et unanimem consensum theologorum.

339. — II. Præter istud, nihil aliud, saltem *sub gravi*, præstare vi præcepti fideles tenentur. Ratio est, quia nihil aliud invenitur certo præceptum. Est doctrina communis theologorum.

Dixi *saltem sub gravi*. Plerique enim theologi addunt, nec *sub levi per se*. Quamvis enim ideo prohibita sint opera servilia, ut fideles facilius rebus divinis vacare possint, hæ tamen nulla lege præscribuntur; alioquin autem finis præcepti non cadit sub præceptum. — *Ita Suarez, de Relig. t. I, l. II, c. XVI, n. 4*; — *Elbel, n. 385 et seq., et alii multi*, ut fatetur etiam *Concina*, qui hanc sententiam communem vocat.

Hinc excusatus die Dominica a Missa, non tenetur ratione præcepti persolvere domi preces, quas tempore Sacri recitasset, vel recitare solet. — *Suarez, ibid.*

III. *Per accidens* tamen teneri possunt fideles ad aliquid aliud; non quidem vi hujus præcepti, sed quia ad aliam obligationem implendam necessarium id esse potest. Tenentur enim assistere concionibus seu catechesi diebus festis, si concio sit necessaria ad instructionem christianam vel morum compositionem; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media in hunc finem necessaria. — *Billuart, et alii communiter*. — Cæterum impense inducendi sunt fideles ad alia pia opera, præter Missam, exercenda, ad fusiores preces fundendas, etc.

340. — QUÆR. *An vel qualis sit obligatio assistendi Officio vespertino, seu Vesperis, diebus Dominicis et festis?*

Resp. 1° : Nulla est obligatio urgens *sub gravi*; agnoscunt enim theologi communiter, non dari aliam obligationem *gravem* præter Missæ auditionem et abstinentiam ab operibus servilibus.

Resp. 2° : Nec probabilius *sub levi*, *per se et directe*. Etenim si existeret certa obligatio ex universali Ecclesiæ lege, non posset ignorari a tot theologis, qui hujusmodi quæstiones perscrutati sunt. Recole auctores modo citatos, scilicet *Suarez, Bonacina, etc.*

In praxi autem sedulo urgendi sunt fideles, ut Officio vespertino, aliisque publicis divini cultus exercitiis studiose interveniant.

ARTICULUS II

DE AUDITIONE MISSÆ IN PARTICULARI

Agendum 1° de iis quæ ad Missam rite audiendam requiruntur; — *2°* de causis ab ea excusantibus.

§ II. De iis quæ ad Missam rite audiendam requiruntur.

Tria requiruntur : *1°* præsentia corporis; *2°* attentio mentis; *3°* locus debitus.

PUNCTUM I

Præsentia corporis.

Requiritur præsentia corporis moralis et continua.

341. — I. *Moralis* : scilicet, quis ita præsens esse debet, ubi fit Sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium Sacrificium; ad hoc autem sufficit, ut sit in loco unde Missam sequi possit quoad partes præcipuas, sive videndo, sive audiendo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo.

II. *Continua*, id est perseverans ab initio ad finem Missæ, ita ut graviter peccet, qui omittit notabilem ejus partem, et venialiter qui partem exiguam omittit, nisi justa causa excusetur.

Resolves.

1° Missæ valide assistit, qui, etsi Sacerdotem non videat, nec audiat verba, Sacri partes distinguit sonitu campanulæ, cantu chori, motibus assistentium, quibus moraliter jungitur, licet sit extra Ecclesiam, in qua turba contineri non potest. Item qui stat post altare, post columnam, vel post parietem, modo ad partes præcipuas Missæ advertere possit.

2° Item *probabilis*, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam altare aut assistentes videat, aut partes Missæ distinguat, dummodo parvum sit spatium inter Ecclesiam et locum in quo est. Secus autem si magnum spatium aut platea intercedat, ut *communius* docetur.

— *S. Lig. n. 312.*

3° Non assistit Sacro, qui extra Ecclesiam multum a longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest

audire et adesse *moraliter*. Juxta *Lugo* et alios, spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediatur, quominus quis Sacro adsit.

Quæsitæ.

342. — QUÆR. 1° *Quænam omissio reputanda sit gravis aut levis in Missa?*

Resp.: Non facile determinari potest; quamvis enim, juxta *omnes*, tertia pars Missæ sit notabilis, non tamen constat quæ sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum a diuturnitate, sed a dignitate etiam dijudicari debeat. Hæc tamen juxta communem sententiam statui posse videntur:

1° Grave est omittere omnia usque ad Offertorium *inclusive*. Leve autem certo est omittere omnia usque ad Epistolam *exclusive*, et *probabilius* etiam *inclusive*; imo *probabiliter* etiam, juxta *S. Lig.*, n. 310, usque ad Evangelium *inclusive*, licet *S. Doctor* oppositam sententiam ut *probabilior* habeat. Ratio horum est, quia quæ præcedunt, proprie ad Sacrificium non pertinent, sed sunt tantum veluti præparatio ad illud. — *Lugo*, etc.

2° Grave est, juxta *omnes*, omittere omnia ante Evangelium et simul omnia post Communionem; non vero omittere illa tantum quæ Communionem sequuntur, imo nec omittere omnia ante Epistolam et omnia post Communionem. — *S. Lig.* n. 310. — *Lacroix*, n. 666.

3° Gravis habenda est omissio *Canonis* a Consecratione usque ad *Pater exclusive*; quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. Levis autem reputatur omissio *Offertorii*; item omissio *Symboli* et *Præfationis*, etiamsi decantentur, quia hæc ad essentiam Missæ non pertinent. — *S. Lig.*, *ibid.* — Evangelium autem *S. Joannis* in fine *probabiliter* non est pars Missæ, quia ante illud jam dimittitur populus per benedictionem.

4° Grave est omittere Consecrationem et Communionem; imo et solam Consecrationem, quia est pars dignissima, in qua, saltem præcipue, consistit Sacrificii ratio. Quin imo *probabilius* grave est uni tantum Consecrationi non adesse; quia essentia Sacrificii *probabilius* in utraque Consecratione consistit. — *S. Lig.*, *Hom. Apost.*, n. 33. — Utrum vero solam Communionem præterire sit grave, *controvertitur*; affirmativa sententia est *S. Alphonso* *probabilior*, quia existimat essentiam Sacrificii etiam in Communionem consistere. Communior tamen sententia eam in sola Consecratione reponit.

343. — QUÆR. 2° *An præcepto satisfaciat audiens duas dimidias Missas a diversis Sacerdotibus tum simultanee, tum successive?*

Resp. 1°: *Neg.* si audiat simultanee. Ratio deducitur ex interpretatione communi legis, quæ confirmatur sequenti propositione 53^a ab *Innoc. XI* damnata: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Resp. 2°: Si vero successive, *Dist.* — 1° *Neg.* si Consecratio et Communio non sint in eadem parte. Ratio est, quia Ecclesia præcipit fidelibus, ut intersint intègre et perfecto Sacrificio. Illud autem non habetur, saltem quoad integritatem, nisi tum Consecratio, tum Communio in eadem Missa conveniant. — *S. Lig.*, *Hom. Apost.*, n. 34. — 2° *Affirm.* autem *probabiliter*, si

Consecratio et Communio in eadem parte Missæ reperiuntur; quia tunc ratio integra Sacrificii in eadem parte habetur. — *S. Lig. n. 311.* — *Lugo, Azor,* contra *alios.*

QUÆR. 3^o *An debeat reliqua audire, qui post Consecrationem advenit?*

Resp. Neg. probabiliter, quia jam deest essentia Sacrificii; et cessat proinde obligatio illi assistendi, cum præceptum per hoc impleri non possit. — *Mazotta, S. Lig., n. 310, et alii.* — Attamen sententia opposita gravi etiam innititur fundamento, quia haberi potest assistentia parti notabili cæremoniæ ab Ecclesia præceptæ. Hanc secundam sententiam dicit *S. Lig., n. 310,* valde probabilem et in praxi sequendam; primam tamen probabilem appellat.

QUÆR. 4^o *An qui omittit levem partem missæ, teneatur supplere, si possit?*

Resp. Affirm. probabilius, quia Missam integram audire tenetur: excipe, nisi de parte valde exigua agatur. — Sic *S. Lig., n. 310.* — *Salm.,* contra *alios.* — Cæterum ratio sat levis ab hac supplendi obligatione eximere potest. — *V. Casus, n. 345 et seq.*

PUNCTUM II

Attentio mentis.

344. — Attentio ad Missam duplex distinguitur: 1^o *interna,* qua quis actu advertit et animum applicat ad ea quæ a Sacerdote peraguntur; 2^o *externa,* quæ consistit in cavenda quavis actione externa, quæ impediatur applicationem, v. gr., confabulari, pingere, etc.

Attentio autem interna triplex est: 1^o alia ad verba et ad actiones Sacerdotis; 2^o alia ad sensum verborum et mysteriorum; 3^o alia ad Deum ipsum per preces piæ meditationes.

Principia.

I. Ad Missam valide audiendam requiritur omnino attentio saltem externa; quia nullo modo dici potest Sacro interesse, qui ponit actiones cum intentione interna impossibiles; imo ille impudenter Deo et Ecclesiæ illudit. — *Ita omnes.*

II. Requiritur insuper attentio aliqua interna, et saltem voluntas audiendi Missam; quia id prorsus exigitur, ut auditio seu præsentia sit humana, moralis et ex objecto religiosa. — *Suarez, de Euch. disp. LXXXVIII, lect. 3.*

III. Sufficit autem interna quælibet ex tribus modo expositis, sive scilicet sit ad verba, sive ad sensum, sive utcumque ad Deum. Ratio est, quia per earum quamlibet sufficienter applicatur mens ad cultum divinum, qui per Sacrificium intenditur.

IV. Nulla oratio vocalis absolute requiritur; quia assistentia religiosa Deum honorat, et nihil aliud præscriptum habetur. — *S. Lig. n. 313.* — In praxi tamen fidelibus, præsertim rudibus, suadendum est ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro Missæ auditione, vel rosarium beatissimæ Virginis, ne nimis distractionibus exponantur.

Quæsitæ.

345. — QUÆR. 1^o *An ad implendum hoc præceptum requiratur sub gravi attentio interna?*

Resp. : Controvertitur. 1^a Sententia, ex S. Alphonso communior et probabilior, affirmat. Etenim ab Ecclesia præcipitur actus quo Deus colatur; atqui per solam præsentiam physicam Deus coli nequit; ergo... Ecclesia igitur, præcipiendo directe actum exteriorem auditionis Missæ, videtur præcipere indirecte attentionem, saltem aliquam, tanquam conditionem sine qua non consisteret actus externus formalis. — *Ita S. Thomas, — Billuart, — Elbel, — Salm. et alii non pauci.*

II^a Sententia negat. Ratio est, quia assistentia cum voluntaria attentione, utut mere externa, est actus sufficienter religiosus, nec constat aliud ab Ecclesia præcipi. — *Ita Lugo, cum aliis multis, et hoc dicit probabile S. Lig., n. 313, cui assentit Gousset, n. 553.*

Cæterum in praxi non apparet tanta differentia inter utramque sententiam. Etenim juxta priorem sententiam sufficit omnino attentio in gradu remisso, nempe ad præcipuas Missæ partes; juxta posteriorem vero requiritur: 1^o pius animæ motus, seu vera intentio honorandi Deum: 2^o attentio talis, ut assistens Missæ rationem sibi reddere possit, reapse Sacro se assistere, et consequenter ut saltem in confuso ad præcipuas partes illius advertat. Hinc non facile arguendi sunt fideles de culpa gravi ob defectum attentionis sufficientis in Missa, sed potius amanter adhortandi sunt, ut pie et sedulo ad divina Mystera animum intendant. Etenim, ait *S. Lig., n. 313, post Elbel, Sporer et Tamb.,* nemo anxius esse debet ob scrupulosa attentio non præstita, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum.

346. — QUÆR. 2^o *An satisfaciatur præcepto, qui tempore Missæ peccata confitetur?*

Resp. Neg. cum sententia communi, saltem si confessio sit proluxa, id est, si toto tempore aut majori parte Missæ perduret, quia deest tum attentio interna, tum etiam externa; qui enim confitetur suas culpas, rei personam agit, non vero offerentis sacrificium cum Sacerdote, nec Missam audire moraliter censetur. — *Ita S. Lig., n. 314. — Lugo, Collet, etc., contra plures.*

Famulus, qui commodam alias non haberet occasionem, posset equidem, ut probabiliter docent *Lacroix et Lessius,* confiteri peccata die festo tempore Missæ, si secus deberet aliquamdiu permanere in statu peccati mortalis; verum ipse tunc non satisfaceret præcepto, sed potius ab eo excusaretur, quia lex Ecclesiæ non obligat cum tanto incommodo. — *S. Lig. n. 332.*

QUÆR. 3^o *An satisfaciatur præcepto Ecclesiæ Clericus recitans Breviarium tempore Missæ?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia recitatio Officii divini non impedit, quin minus quis possit interesse sacrificio Missæ, et moralem præsentiam ipsi exhibere. — *Ita communiter cum S. Lig., n. 309. — Vide de Leg., 106.*

Resolves.

347. — 1^o Satisfaciunt præcepto ministrantes Missæ; satis enim attendunt suum exhibentes ministerium, quo actualiter ad Sacrificium cooperantur.

tur. Idem dicendum est de sacristis, musicis, organistis, tympanistis, etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessariam impediunt attentionem ad ea quæ in altari peraguntur. — *S. Ligor. n. 317.*

2° Satisfaciunt, qui eleemosynas colligunt, modo ad missam saltem confuse attendant. — *S. Ligor., ibid.*; si autem prævideant, se hanc attentionem præstare non posse, aliam Missam audiant, si commode possunt.

3° Satisfaciunt, qui conscientiam tempore Missæ discutunt, ut confiteantur, sacramentalem poenitentiam persolvunt, aut etiam orationem quovis titulo debitam faciunt; quia his mens ad Deum dirigitur, et aliunde duplici præcepto simul satisfieri potest, si res præceptæ possint eodem tempore præstari. — *Ita communiter.* — Item qui legunt librum aliquem spirituales, non tamen historias sacras animo discendi stylum. — *S. Lig. n. 314.*

4° Satisfaciunt, etiam qui involuntarie distrahantur, toto licet Sacrificii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant; tunc enim non magis satisfaciunt, quam involuntarie dormientes per notabilem Missæ partem, licet a peccato excusentur. — *Ita communiter.* — Dormitans autem interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo aliqua ratione advertat ad id quod fit. — *S. Lig. n. 316.*

5° Satisfaciunt, etiam quoad substantiam, seu a gravi culpa excusantur, qui habent attentionem virtuales, id est qui sub initio intentionem habuerunt attendendi, at postea ita distrahantur, etiam toto Sacri tempore, ut tamen priorem intentionem non mutant. Id autem evenire potest, licet voluntarie distrahantur, si aliunde non advertant se ab ipsa Missa distrahi. — *S. Lig. n. 313.*

6° Minime autem satisfaciunt, qui de re seria confabulantur per notabilem Missæ partem, vel imagines attente considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias meditantur, pingunt aut alia similia peragunt, nisi hæc fiant interrupte, aut ita ut attentionem non omnino impediunt. — *S. Lig. n. 317.* — *V. Casus, n. 345 et seq.*

PUNCTUM III

De loco debito.

Quæstio duplex est circa locum audiendæ Missæ: 1° An præcepto satisfieri possit in Oratoriis privatis? — 2° An sit obligatio assistendi Missæ in parochia, seu Missæ parochiali?

I. — QUOAD ORATORIA PRIVATA

348. — Oratoria privata sunt Sacella in domo privata erecta ex privilegio a summo Pontifice concessa, ut ibi peragantur divina Mystera. — Non censentur vero privata, sed ut publica sunt habenda, saltem quoad præceptum audiendæ Missæ, ea Oratoria quæ legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, seu domibus Religiosorum vel Monialium, aliarumve communitatum, ut in conservatoriis, carceribus, nosocomiis, et etiam in domibus Episcoporum. Imo aliquando Oratorium in domibus privatorum haberi potest ut publicum; sed ad hoc requiritur, 1° ut ingressus in viam publicam

patet; 2° ut nulli subiaceat servituti Jure canonico reprobata; 3° ut in perpetuum cultui divino addicatur; 4° ut redditus ad divina Officia sufficientes statuatur. — *V. S. Ligor., n. 319, etc.*

Certum est, satisfacere præcepto audiendæ Missæ in Oratorio privato, omnes qui in Indulto comprehenduntur, nempe dominum Oratorii cum suis et familiaribus, qui, ejus servitio addicti, famulatus causa sunt ei tempore Missæ actu necessarii. Excipiuntur dies festorum præcipuorum, nempe Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Assumptionis, festi S. Petri, et Omnium Sanctorum; item Annuntiationis, Feriæ V in Cœna Domini (Decr. S. Rit. C. 17 Nov. 1607), et S. Titularis Ecclesiæ (Decr. S. C. Conc. in Derthon. 17 Febr. 1685); — et his quidem diebus prorsus interdicitur in ejusmodi oratoriis celebrare¹. — *S. Lig., de Euch., n. 359. — Gardellini.* — Nulla tamen dies excipitur, quando Oratorium a Pontifice infirmitatis causa conceditur.

Non satisfaciunt autem extranei juxta communem sententiam cum *S. Lig., n. 319.* — Constat enim ex verbis Indulti, quod ordinarie sic sonat: *Volumus, ut qui de familia non sunt, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in ecclesia.*

QUÆR. *An teneatur dominus uti privilegio, si ecclesiam adire non possit?*

Resp. Affirm. juxta *S. Alph.*, si Sacerdotem commode habere valeat; et hoc quidem, ait S. Doct., non ex vi privilegii, sed ex vi præcepti quod obligat ad Missam audiendam omnes qui illud sine gravi incommodo implere valent. Hinc addit, teneri privilegiatum, si commode possit, providere de sacerdote, non solum sibi, sed etiam aliis de familia, si quis eorum nequeat ad Ecclesiam accedere. Alii tamen *negant* ex eo principio, quod nemo privilegio uti tenetur. — *Alia plura de Oratoriis privatis vide in Tract. de Eucharistia, ubi de loco Missæ celebrandæ.*

II. — QUOAD MISSAM PAROCHIALEM

349. — I. Certum est, exstitisse olim obligationem assistendi Missæ parochiali, saltem semel *tribus Dominicis continuis*; constat ex antiquissima et universali consuetudine Ecclesiæ, innumeris Decretis Conciliorum particularium confirmata, præsertim Conc. *Eliberitani, can. 21, an. 343, Sardicensis, can. 14 et 15, an. 347*; item, *ex Bened. XIV, de Syn. l. XI, c. XIV, n. 7.*

II. Certum est juri antiquo derogatum fuisse partialiter per privilegia Regularibus concessa, etiam post Conc. Trid. Constat præsertim ex Constitutione *Pii V (Etsi mendicantium, an. 1567)*, ubi dicitur: *Christi fideles audiendo Missam et alia divina Officia in ecclesiis Fratrum hujusmodi (mendicantium) diebus Dominicis et festis, præcepto Ecclesiæ satisfacisse censeantur.*

III. Certum est autem eidem juri antiquo universaliter derogatum esse generali consuetudine contraria dudum legitime præscripta. Constat: 1° ex

¹ Prohibitio quoad festa, quorum solemnitas in diem dominicam transfertur, diem festi afficit, non autem diem translate solemnitatis. — Ita decisum a S. C. Rit. in Namurœn. 1835, q. 14, n. 8.

testimonio plerorumque theologorum; 2^o præsertim ex *Benedict. XIV, de Synod. diæces. l. XI, c. XIV*, ubi asserit, Decretis Conciliorum et summorum Pontificum obligationem statutibus derogatum fuisse contraria consuetudine; imo Episcopum pœnis adigere non posse subditos ad Missam neque ad concionem in parochia audiendam, sed tantum illos exhortandos esse, et ideo Constitutiones Episcopi Midensis, hac de re latas, ex sacræ Congregationis Conc. Trident. sententia reformatas fuisse.

350. — QÆR. *An in Gallia urgeat adhuc prædicta obligatio?*

Resp. Neg. Ratio est, quia jus antiquum penitus abrogatum est consuetudine universali, quæ constituit quoddam jus commune, contra quod insurgere nequeunt Episcopi, ut docet *Benedict. XIV, ibid.*, et proinde, si insurgant propria auctoritate, *illicite et invalide* agunt, cum potestatem ipsis a Canonibus traditam excedant. — *Ita Gousset, Justification de S. Lig., n. 355, et in Theolog., n. 555. — Bouvier, de III Præc., art. 3. — Rit. Bellicense, etc.* Et sic declaravit Concilium *Remense*, anno 1859 celebratum, *t. III, c. VI*, cui plura alia recentiora Concilia Galliæ in hoc consenserunt.

Equidem fideles valde adhortandi sunt, ut Missæ parochiali et concionibus frequenter intersint; sed sub obligatione ad id non sunt adigendi; attamen a culpa excusari nequeunt fideles cujusvis regionis aut nationis, qui instructione christiana necessaria carentes, aliisque mediis ad eam curandam destituti, semper aut plerumque Missæ parochiali interesse negligunt, in qua tantum instrui possunt.

§ II. *De causis a Missa excusantibus.*

351. — Excusat a Missa audienda quævis causa mediocriter gravis, seu quæ involvit notabile et saltem mediocre quoddam incommodum vel damnum in bonis animæ vel corporis proprii vel proximi. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quæ est optima legum interpret. — *Ita Communiter. — S. Lig. n. 324.*

Resolves.

1^o Excusantur ægroti, infirmi, convalescentes, quibus nocet foras prodeire. — Item qui infirmos custodire debent. — *S. Lig. n. 325.*

2^o Excusantur viatores, quibus non occurrit ubi Sacro intersint, aut qui non possunt iter interrumpere, propterea quod rhedarii publici, vel socii viæ, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt.

3^o Excusantur qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere; si tamen plura fiant Sacra, omnes, quoad fieri potest, Missam successive audire debent. — *S. Lig. n. 326.*

4^o Excusantur matres et nutrices quæ neminem habent cui relinquunt parvulos, nec eos ad ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo conjuges tantum, alternis vicibus Sacro interesse convenienter poterunt. — *S. Lig., ibid.*

5^o Excusantur sæpe qui ab ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere sine magna difficultate, præsertim hiemali tempore, non possint.

6^o Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo tamen curare debent ut impedimenta removeant, si possint. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 327.* — *Reuter, n. 288.*

Quæsitæ.

352. — QUÆR. 1^o *Quænam distantia excuset a Missa?*

Resp.: Non potest absolute assignari, sed ex adjunctis personarum, locorum et temporum determinanda est. Regulariter autem excusat distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horæ cum quadrante: atque etiam quid minus, si plueret aut ningeret, aut alia causa adesset. — *S. Lig., n. 329; Hom. apost., n. 41.*

353. — QUÆR. 2^o *An excusetur a Missa infirmus in dubio, utrum incommodum sit satis grave?*

Resp.: In hoc casu standum est consilio medici, Superioris, Parochi, Confessarii, vel alterius viri prudentis. Imo potest infirmus etiam iudicio proprio acquiescere, si ita prudenter iudicet. Quid vero si petito consilio, dubius adhuc remaneat? — Absolute ad Missam non tenetur, quia stante periculo gravis damni iudicandum est matrem Ecclesiam non obligare. — *Ita valde probabiliter ait S. Lig., n. 325.* — In praxi satius est ut dispensatio petatur, si facile peti possit.

QUÆR. 3^o *An excuset occasio lucri notabilis faciendi?*

Resp. Affirm. probabiliter, quia præcepta Ecclesie non obligant cum incommodo valde gravi, ut constat ex dictis in *Tract. de Leg., n. 100.* Sed hujusmodi lucri extraordinarium esse debet. — *S. Lig. n. 332.* — *Elbel, n. 368.* — *V. Casus, n. 347 et seq.*

CAPUT II

DE HIS QUÆ DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROHIBENTUR

Agendum 1^o de operibus diebus festis prohibitis; — 2^o de causis ob quas aliquando licite exercentur.

ARTICULUS I

DE OPERIBUS QUÆ DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR

354. — Triplicis generis opera distinguenda sunt: 1^o opera *servilia* seu corporis, quæ per corpus exercentur, et ordinantur immediate ad corporis utilitatem, ideoque a servis seu mercenariis fieri solent; 2^o opera *liberalia* seu animi, quæ potius animi viribus peraguntur, et ad animum excolendum pertinent, atque ideo a personis liberis ordinarie exercentur; 3^o opera *communia* seu naturalia, quæ ab omnibus indiscriminatim fiunt.

Distinguuntur etiam opera *forensia*, quæ ad forum judiciale aut mercatum spectant. — *S. Lig. n. 272.*

Ad rationem operis servilis *per se* non pertinet, an fiat necne ex lucro, aut cum magna corporis defatigatione, aut hac vel illa intentione; non enim inde mutatur operis natura. Mutatur tamen operandi modus, qui, secundum communem hominum æstimationem, non parum sæpe confert in his moralibus ad augendam aut minuendam gravitatem peccati, necnon, cæteris paribus, ad facilius aut difficilius excusandum operantem a peccato.

Principia.

355. — I. Prohibentur *per se* sub gravi, omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta diebus Dominicis et festis integris, id est, toto die naturali, de media nocte ad mediam noctem. Constat ex Jure canonico, *c. 3, de Feriis*, ex consuetudine et praxi perpetua Ecclesiæ.

II. Prohibentur etiam opera forensia, nempe actiones forenses, quæ cum apparatu judiciali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre, etc. Ita ex *Jur. can., ibid.* Excipe tamen, si quando causa criminalis jam incepta interrumpi sine gravi incommodo vel damno nequeat. — *S. Lig. n. 284.*

III. Eodem jure prohibentur mercatus, nundinæ, venditiones publicæ, et alia similia, quæ cum strepitu fiunt. Excipiuntur tamen, ob consuetudinem generaliter receptam, nundinæ ad certum diem constitutæ, si in diem festum incidant. — Sic declaravit *Benedict. XIV, Const.* Ab eo tempore, etc. — *Vide S. Lig. n. 286.*

IV. Licita sunt opera *liberalia*, opera *communia*, et opera aliqua quæ videntur *servilia*, sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum, et alia quæ commode differri vel anticipari aut non possunt, aut non solent. Ita ex praxi communi et omnium sensu.

Resolves.

356. 1º Prohibentur diebus festis opera ruralia, ut arare, terram effodere, serere, metere, vineas colere, etc. Item opera artium mechanicarum, v. gr., cæmentariæ, ferrariæ, lignariæ, sartoriæ, sutoriæ, textoriæ, etc. Item pleraque opera quæ arti typographicæ deserviunt. Excipiunt probabiliter characterum collocationem. — *Elbel, n. 401.* — *Laymann,* — *Sporer;* — *Tambur.* — *S. Lig. n. 282.*

2º Item non licet quedam facere, quæ levem laborem exigunt, et quæ a Monialibus confici solent, v. gr., rosaria, scapularia, imagines cereas, flores artificiales, etc.; quia hæc in usu communi inter opera servilia adnumerantur. Attamen, cum isti labores et alii similes leviusculi sint, juxta plures permitti possunt, modo ultra duas horas non producantur. Similiter iidem DD. excusant ancillas quæ occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis, etiam seclusa urgenti necessitate. — Sic *Elbel, n. 408;* *Bonacina, Filliuccius,* etc. — Sed potius dicendum videtur, in his operibus

majus temporis spatium requiri, ut adsit culpa lethalis. Ita opinatur *S. Ligor.*, n. 282. — Non sunt tamen de ulla culpa arguendi, qui in talibus occupationibus exiguo tempore vacant.

3^o Licite ex recepta consuetudine venduntur et emuntur in officinis publicis esculenta, poculenta, calceamenta, candelæ, panni ad vestes conficiendas, et alia hujusmodi. Attamen mercatores debent officinas suas claudere, ut ostendant se diem Dominicam ab aliis diebus distinguere.

4^o Licite venduntur et emuntur domus, equi, boves, aliæque merces, sive præsentés, sive absentes, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo hæc fiant inter privatos.

5^o Tolerantur etiam alicubi publicæ venditiones sub hasta, post peracta divina Officia; quia aliis diebus pauciores essent concurrentes, etc. Toleratur itidem, ut mercatores rerum parvi momenti (gallice *petits merciers*) ex uno loco in alium merces deferant, ostendant et vendant. — *Bouvier.*

Quæsitæ.

357. — QUÆR. 1^o *An liceat scribere vel transcribere die festo?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, quia hoc opus omnino liberale est, cum in eo præcipue animus agat. — *Ita omnes.*

Resp. ad 2^{um} *Affirm.*, etiam *probabilius*, quia transcribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam. — *Ita communiter cum S. Lig., n. 279, contra Billuart et alios.*

Hinc: 1^o licet etiam exarare delineationes artificum et fabrorum, notas musicorum efformare. — *Elbel, n. 400, et alii.*

2^o Pariter fas est etiam libros corrigere, sive id fiat delendo lineas sive superponatur charta conglutinata. Licet enim hoc servile videatur, accessorium tamen est, cum *per accidens* ab ipso corrigente fiat. — *Elbel, n. 404, etc.*

QUÆR. 2^o *An liceat sculperè vel pingere?*

Resp. ad 1^{um} *Neg. per se*, quia sculptura inter artes mechanicas communiter habetur. — *S. Lig., n. 281; Hom. apost., n. 10. — Probabiliter tamen excipiendum, si de sola operis perfectione agitur.*

Resp. ad 2^{um}: *Controvertitur.*

1^a *Sententia affirm.*, quia pictura est ars liberalis, vel saltem media inter liberales et serviles; est enim quid scriptioni simillimum, modo tamen pictura fiat sine magno labore, qualis haberetur colores miscendo, tabulas præparando, etc. — *Ita Laymann, Azor, Sporer, etc.*

1^a *Sententia neg.*, quia dici nequit actio liberalis, cum non dirigatur, ut scriptura, ad animum excolendum, et quia pingere fere idem est ac sculperè, quod opus servile est. — *Ita Salmant., Sanchez, Suarez, etc. — Utramque sententiam merito probabilem dicit S. Lig., n. 280.*

358. — QUÆR. 3^o *An imagines acu pingere liceat?*

Resp.: *Controvertitur.* Excusant multi: id enim magis refertur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. — *S. Lig. n. 281. — Sporer n. 45, etc.*

QUÆR. 4^o *An liceat venari et piscari?*

Resp. Affirm., quia hæc non sunt opera servilia, et consuetudine tolerantur, modo non fiant magno cum labore, conatu, strepitu vel apparatu. — *S. Lig. n. 283, et alii communiter contra paucos.*

QUÆR. 5^o *An liceat iter agere pedibus, equo, curru?* — *Item an liceat ducere currum vel jumenta onusta?*

Resp. ad 1^{um} Affirm., ut ex praxi universali aperte constat. Sententia opposita relinquenda est ut antiquata, ait *S. Lig., n. 275, post Roncaglia*. Pariter licet uti lectica ab hominibus portata, ubi viget talis consuetudo. — *S. Lig., ibid.*

Resp. ad 2^{um} : Controvertitur, extra casum necessitatis. Sententia nunc *probabilior affirmat* esse licitum, non solum ad iter inceptum continuandum, sed etiam ad illud inchoandum, dummodo ad currum onerandum notabilis ac diuturnus labor non requiratur; a quo tamen labore excusatur sive gravis damni vitandi, sive publicæ utilitatis procurandæ causa, sive consuetudo quæ in contrarium alicubi forte invaluerit. — *S. Ligor. n. 276.*

QUÆR. 6^o *An liceat molere die festo?*

Resp. Affirm. probabilius, si mola volvatur aqua vel vento, quia parvus vel fere nullus hominum labor requiritur. Secus autem, si jumentis agatur, nisi exigua sit hominis cooperatio. *S. Lig. n. 277. — Lacroix, n. 578. — Tambur., etc.*

339. — QUÆR. 7^o *An liceat tonsoribus die festivo barbam radere?*

Resp. Affirm. Ratio 1^o ex generali consuetudine deducitur; 2^o quia plerumque solis diebus festis opifices et præsertim rustici officinas petunt, ut barba eis radatur. Si igitur hi postulantes operam non præberent, magno ipsorum detrimento derelinqverentur. — *Ita Viva, Tamburinus, Gousset, Bouvier, etc.*

QUÆR. 8^o *Quænam materia sit gravis in opere diebus festis peracto?*

Resp. 1^o : Plures ita distinguunt: si labor sit *valde servilis*, duæ circiter horæ; si *purum*, tres saltem horæ requiruntur, ut materia gravis censatur.

Resp. 2^o : S. Lig., n. 305, pluribus sententiis allatis, magis accedit sententiæ *Lacroix* generaliter concludentis, quod communior et probabilior nunc est sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem multum ultra duas, puta duas horas cum dimidio. — *Et Hom. apost., n. 25*, addit cum *Mazzotta*, excusari etiam majus temporis spatium ex aliqua necessitate. Addit, *n. 307*, in forensibus et judicialibus materiæ gravitatem desumi non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis.

QUÆR. 9^o *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam?*

Resp. Neg. probabilius per se, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos ad opus inducens sub veniali culpa vetitum. — *S. Lig. n. 306, et alii communius.*

ARTICULUS II

DE CAUSIS OB QUAS OPERA SERVILIA DIE FESTO PERMITTI POSSUNT

Tres præcipuæ numerantur, scilicet caritas, pietas, necessitas.

360. — I. *Caritas erga proximum*. Hinc licet die festo: 1° facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos; 2° fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum; 3° laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret; non tamen pro pauperibus in genere, nisi peculiaris etiam necessitas urgeat. — *S. Lig. n. 294; Hom. apost., n. 17.*

II. *Pietas erga Deum*. Licet ob pietatem: 1° facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum, altare, etc.; 2° verrere ecclesiam, aliaque præparare quæ ad ejus munditiam pertinent. Non autem licet ecclesiam ædificare, reparare, lapides ad hoc secare, ornamenta facere, etc.; quia hæc remotius ad servitium divinum inserviant. — *S. Lig. n. 292, 293; Hom. apost., n. 17.*

361. — III. *Necessitas*, sive propria, sive aliena, tum animæ, tum corporis. Hinc:

1° Excusantur pauperes qui aliter se suosque alere non possint, modo privatim et secluso scandalo laborent.

2° Excusantur omnes quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, etc.

3° Excusantur pariter pistores qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant.

4° Item sartores qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se neque per alios ante festum perficere valent.

5° Item agricolæ qui ob præteritam aut imminuentem pluviam fenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

6° Item fanuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint.

7° Excusantur fabri ferrarii qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios recidunt: necnon ii qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine jactura boni publici differri nequeat.

8° Excusantur etiam ii qui laborant ad utilitatem publicam urgente aliqua necessitate, v. gr., si agatur de celebranda victoria, de festo præparando in Principis adventum, aut alterius publicæ exultationis gratia.

9° Excusantur quoque probabiliter, ob lucri *notabilis et extraordinarii* circumstantiam, illi qui laboribus se sustentant, quia pro istis tale lucrum omittere idem est ac damnum grave pati. — *S. Lig., quoad omnia, a. n. 296 ad n. 304.*

Licet autem quotquot hucusque enumerati sunt, dispensatione non indigeant, suadendum tamen fidelibus est, ut, si commode possint, veniam a Superiore ecclesiastico postulent, ne scilicet cupiditate decepti, absque sufficienti ad excusandum causa, cum aliorum scandalo laborent. Superior autem hic intelligitur præsertim Episcopus; qui licet generalem pro subditis omnibus dispensationem tribuere non possit, multoque minus permanentem (quippe id suppressioni festorum æquivaleret); at quoad aliquos actus cum

particularibus personis ex rationabili causa dispensare potest; immo hanc facultatem etiam parochi consuetudo concedit.

10° Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt, qui sæpius post mediam noctem inceptum laborem in diem festum, etiam prætextu necessitatis, protrahunt; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum sæpissime in eam se conjiciant, vel plura assumendo opera ad certum diem perficienda, quam quæ explere possint, vel non adhibendo cum operariorum numerum quem opus requireret, vel intra hebdomadam rebus inutilibus tempus terendo. Facilius illos excusares, quibus traditum die præcedenti fuisset opus perficiendum in diem festum sequentem.

362. — QUÆR. *An excuset otii vitandi ratio?*

Resp. Neg., communiter loquendo. Etenim ratio ista prorsus insufficientis est ad legem Ecclesiæ adeo gravem posthabendam. Excipiunt *Laymann, Mazzotta*, etc., si otium probabile peccandi periculum inducat; quia (aiunt) si excusat periculum damni temporalis, a fortiori periculum damni spiritualis excusare debet. Sed hoc S. Alphonsus (n. 362) libentius restringit ad casum in quo urgeret tentatio quæ aliter vinci non posset, quod raro accidit. — *V. Casus, n. 354 et seq.*

DE IV DECALOGI PRÆCEPTO

Honora patrem tuum et matrem tuam. Exod. xx, 12.

Hoc præceptum *primario* et *directe* respicit obligationes filiorum erga parentes, *secundario* autem et *implicite* spectat obligationes parentum erga filios, necnon obligationes mutuas aliorum Superiorum atque inferiorum.

CAPUT I

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES

363. — Filii erga parentes specialissima obstringuntur obligatione. Tria autem officia parentibus a filiis exhibenda sunt titulo pietatis, amor videlicet, reverentia et obedientia. Triplicem enim respectum habent parentes ad filios, nempe ratione causæ, ratione præeminentiæ, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent ut suæ existentiæ auctores, revereri ut Superiores, eisque tamquam rectoribus a Deo legatis obedire.

I. — *Amor.*

Filii parentes amare debent amore tum *interno*, ipsos pio et benevolenti affectu prosequentes; tum *externo*, omne malum et injuriam notabilem ab ipsis propulsantes, necnon externæ benevolentiae signa eis exhibentes, iisque in necessitate constitutis pro facultate subvenientes. Constat ex jure naturali. Quamvis igitur genitores nostri defectus quantumvis graves habeant, et quovis modo erga nos se gesserint, eis tamen debemus vitam

et conservationem, quod omnium sane beneficiorum maximum est. Hinc Eccli. VII, 29, 30: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

Resolves.

364. — 1° Peccant graviter filii contra virtutem pietatis, si parentes interiorius odio habeant, exteriorius signa odii ipsis exhibeant; si eos aspere tractent, vel torvis oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

2° A fortiori, si malum eis exoptent, et ipsam mortem, ut liberius vivere, vel hæreditate eorum potiri possint, vel ut cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis graviter detrahant; si vi, dolo aliisque injustis mediis a condendo testamento illos impediunt, etc.

3° Item, si eos ad iram provocent, et gravem tristitiam absque justa et gravi causa ipsis afferant, præsertim si eos contristent usque ad lacrymas. Sic enim in Prov. XIX, 26: *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* Et Eccli. III, 18: *Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.*

4° Si parentibus graviter indigentibus alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, afflictos aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur, opemque illis ferre renuant; præsertim vero si illis non subveniant in necessitatibus spiritualibus, ut nempe ipsis in articulo mortis Sacramenta administrentur, etc. — Tandem si ipsis vita functis non curent, ut exsequiæ et Ecclesiæ ceremoniæ modo eorum conditioni congruo persolvantur. — *S. Lig. n. 333.*

II. — Reverentia.

365. — Filii parentibus exhibere debent reverentiam tum internam, ut illos nimirum agnoscant tamquam Superiores, et ideo timorem quoque reverentialem erga eos habeant; tum externam, quæ in verbis et factis sita est. Hinc Eccli. III, 9: *In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.* — Et *ibid.*, 8: *Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt.* — Deut. XXVII, 16: *Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem, et dicet omnis populus: Amen.*

Resolves.

366. — 1° Graviter peccant filii, si parentes percutiant, etiam leviter, sed injuriose. Quod crimen vetustis etiam temporibus adeo visum est atrox, ut olim apud Hebræos morte plecterentur quicumque illud admisissent, Exod. XXI, 15: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* — Item si voluntatem percutiendi ostendat, v. gr., in eos manum attollendo, vel baculum, aut aliud instrumentum ad percutiendum arripiendo. Item si ejusmodi minas ipsis quovis modo intentent, etc.

2° Graviter peccant, si parentibus maledicant, ut patet ex verbis Exod. XXI, 17: *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur;* vel si convicia in

eos conjiciant, eosque injuriis aut verbis contumeliosis, quibus sciunt graviter eos offendendos esse, afficiant; si ipsis graviter illudant risu, subsannationibus, gesticulationibus, improperiis, derisionibus, aspectu torvo, etc., modo tamen hæc ex despectu, non vero ex levitate, aut simplici rusticitate fiant. Sic enim Prov. xxx, 17: *Oculum, qui subsannat patrem... effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.*

3° Graviter peccant, *per se loquendo*, si valde superbe et amare eos reprehendant, contradictionibus exasperent, vel asperis verbis alloquantur, vel sine causa mœrore gravi eos afficiant; et a *fortiori* si per hæc usque ad iram gravem eos provocent; si eis signa reverentiæ juxta morem patriæ aut conditionis suæ studiose recusent, v. gr., si non assurgant ipsis advenientibus, aut caput non detegant, aut illos non salutent, modo tamen ex his parentes se graviter offensos existiment.

4° Item si eos pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere recusent, aut ut incognitos et extraneos habeant. Excipe tamen, si, secluso contemptu ac superbia, justam ob causam fingant se illos non agnoscere, v. gr., ad vitandum aliquod incommodum quod incurreret filius, si parentes ejus noscerentur, etc.

QUÆR. *An graviter peccent filii percutientes, aut male et irreverenter habentes parentes hebetes, amentes, præ senio delirantes, ebrios, etc.?*

Resp. *Affirm.*, si ex malitia aut contemptu agant. Patet exemplo infelicis Cham, filii patriarchæ Noe, qui maledictus fuit a patre et a Domino ipso, quod irreverenter erga patrem ebrietate captum egerit. Secus tamen, si objurgatio vel aliqua paulo severior tractatio sit necessaria ad parentes ratione carentes cohibendos.

III. — *Obedientia.*

367. — Filii parentibus obedientiam præstare debent in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, dum sub eorum potestate versantur. Constat ex jure naturali et ex Scriptura, Ephes. vi, 1: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.* — Colos. iii, 20: *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino.*

Resolves.

368. — 1° Peccant graviter filii, si, in re gravi spectante ad mores, animæ salutem, et domus gubernationem, parentes audire nolint, nisi inconsideratio vel ætatis defectus illos ex parte excuset.

2° Item si prava consortia, si aleas aliosve hujusmodi lusus, aut loca periculosa, ut popinas, choreas, theatra, aut alia similia, non obstante seria parentum prohibitione, frequentent; peccant præsertim filiæ, quæ invitis aut etiam insciis parentibus cum prociis conversantur, vel noctu domo egrediuntur, aut solæ amasios alloquantur.

3° Item si, neglecto parentum mandato, Sacramenta aut alia religionis officia notabiliter omittant; si operam dare nolint litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absument, et expensas pro ipsis factas inutiles reddant.

4° Item si quæ ad bonum regimen, pacemque familiæ multum spectant, exsequi recusent, vel si omnia pro arbitrio suo administrare velint, spreta parentum auctoritate, præsertim si arroganter et superbe respondeant: *Non faciam, age negotia tua. — Nihil vobis mihi præcipiatur. — Tædium et fastidium mihi affers, etc.*

5° Non raro tamen in praxi a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligentiam humanam, et sæpissime ob parvitatem materiæ. Imo sæpe ob omni culpa immunes censi debent ob defectum præcepti rigorosi ex parte parentum. Ut enim peccatum præsertim grave contra obedientiam committatur, requiritur ut parentes videantur stricte præcipere, non vero solum suadere, sollicitare, aut mentem suam significare. Dignoscitur autem præceptum verum injungi ex modo serio seu severo quo res præcipitur, et ex aliis adjunctis, v. gr., ex necessitate et magnitudine rei præceptæ, et pœna apposita, etc.

6° In rebus autem pravis, filii nec obedire debent, nec possunt. Patet ex jure naturali. Item ex Scriptura sacra. Sic enim Act. Apost. x, 29: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* — Matth. x, 37: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

Quæsitæ.

369. — QUÆR. 1° *An filii teneantur obedire parentibus in electione status?*

Resp. Neg. per se, quia quilibet homo, quoad modum stabilem tendendi ad Deum, ut finem suum ultimum, seu quoad vitam plene et integre in debitum finem ordinandam, est omnino independens ab aliis hominibus: et proinde graviter peccant parentes qui filios invito, aut directe aut etiam indirecte, cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive conjugalem; vel contra si eos omnino invito ab aliquo vitæ statu eligendo sine justa causa impediunt.

Dixi per se: secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicant, v. gr., si in gravi necessitate constituti egent subsidio filii, nec illis alio modo succurrere hic possit, nisi remanendo cum ipsis. — *S. Lig. n. 335. — Elbel.*

QUÆR. 2° *An possint filii amplecti statum religiosum in scitis parentibus?*

Resp. Per se affirm. Imo aliquando consultius agit filius, si se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum, atque animadvertens sibi a parentibus injuste aditum interclusum iri, rem eis celet, divinamque voluntatem exsequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis ætate minoribus, quæties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina. — *S. Lig. l. IV. n. 68.* In Gallia præsertim, et ubi vigeat eadem legum dispositio, cavendum est a tali consilio filiis minoribus præbendo, cum parentes auxilio brachii secularis a quocumque loco eos abducere, et ad se revocare possint.

370. — QUÆR. 3° *An filii possint, inconsultis parentibus, matrimonium inire?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quoad *licitatem*. Vide dicenda in *Tract. de Matrim.*, c. III, n. 754.

QUÆR. 4^o *An possit filius minor nomen dare militiæ, invitis parentibus?*

Resp. : Potest, ex *Codice civili Gall.*, art. 374, modo ætatem duodeviginti annorum attigerit; hoc tamen videtur valere tantum pro foro externo; excipe, nisi adsint causæ sufficientes, v. gr., si filius in domo paternâ omnino male tractetur, etc. — *Ita communiter.* — *Vid. Casus, n. 359 et seq.*

CAPUT II

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS

Filiis parentes debent 1^o amorem, 2^o educationem.

Ratio hujus obligationis in ipsis naturæ visceribus et titulo generationis fundatur. Utrumque enim natura docet, imo et bruta ipsa quæ fœtus suos diligunt, iisque necessaria ad vitam conservandam conquirunt.

I. — *Amor.*

371. — Parentes filios prosequi debent amore interno efficaci et ordinato, ita ut non tantum omne odium animique malevolentiam exuant, sed illos corde diligant, et, quantum in ipsis est, ipsorum bonum curent, iisque in omni re prospiciant. Quemadmodum enim quisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid sui, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur, ita ut post Deum nihil ipsis carius habeant.

Hinc graviter peccant contra specialem pietatis virtutem parentes :

1^o Qui pravo affectu et injusto odio in filios incenduntur, eosque suo aspectu dedignantur, aut gravia mala eis *serio* imprecantur, iisque, ubi opus sit, non succurrunt.

2^o Qui eos nominibus graviter contumeliosis compellant. Sic enim ansam iracundiæ ipsis præbent, eosque faciunt morosos et contumaces, contra illud Apostoli, Ephes. vi, 4 ; *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

3^o Qui occulta et gravia eorum delicta sine justa causa manifestant externis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit sæpe ut utrisque nota sint ad perversionem filiorum præcavendam, etc.

4^o Qui affectu ita inordinato eos diligunt, ut omnia ipsis concedant aut permittant ne eos contristent; vel qui, bonitate intempestiva utentes, remissius erga illos agunt, et sive ob segnitiam, sive ob benignitatem crudelem, eos præceptis seriis aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere negligunt.

5^o Qui uni præ aliis plurimum favent sine justa ratione, cæterosque indifferenter intuentur, aut etiam sicut adulterinos habent; hæc enim unius præ cæteris dilectio fons est et occasio jurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum in familiis.

II. — *Educatio.*

A parentibus procurari debet filiorum educatio tum corporalis, tum spiritualis.

I. — EDUCATIO CORPORALIS

372. — Educatio corporalis triplicem providentiam a parentibus exigit, scilicet ratione : 1° vitæ, 2° victus, 3° status.

I. *Ratione vitæ.* Tenentur parentes curam prolis sedulam gerere ab ipsa conceptione, avertere omnia quæ ipsi nociva esse possunt, et invigilare ne ulli vitæ periculo exponatur.

Hinc peccant *per se* graviter : 1° mulieres quæ non cavent ne fœtus in utero perimatur inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut itinere diuturno, nimia iracundia, aut mœrore vehementiori ; 2° viri qui prægnantes uxores aspere tractant, gravibus percussionibus afficiunt, aut ipsis ingentes imponunt labores ; 3° conjuges qui non cavent ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos secum in lecto collocantes sine ullo repagulo, aut non cavent ne quid mali quomodolibet ipsis eveniat ex aqua, igne, bestiis, ferreis instrumentis, etc.

II. *Ratione victus.* Tenentur parentes filiis procurare quæcumque necessaria sunt ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suæ congruum.

Hinc peccant parentes : 1° qui filiis necessitatem patientibus non succurrunt, donec ipsi per laborem vel industriam sibi subvenire valeant ; 2° qui filios domo eicieunt, dum non possunt adhuc sibi ipsis prospicere, vel qui eos cogunt ad mendicandum aut vilem artem ab ipsorum conditione alienam exercendam.

QUÆR. *An mater filios proprio lacte nutrire debeat?*

Resp. Affirm., cum sententia communi, quia hoc jus naturale postulare videtur. Attamen hæc obligatio non urget sub gravi, quia non apparet in hoc gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas, aut consuetudo apud familias nobiles vigens, etc. ; sed tunc sub gravi mater bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere debet. — *S. Lig. n. 336.* — *Collet, etc., et alii communiter contra alios* laxiores vel rigidiores. — *Vide Bened. XIV, de Syn. diœc. l. XI, c. vii, n. 9, 10, 11.*

373. — III. *Ratione status.* Tenentur tandem parentes filiis procurare statum in quo honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint. — Hinc graviter peccant :

1° Qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut acquirant bona ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant, juxta illud Apost. II Cor. xii, 14 : *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

2° Qui artem statui congruentem, aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant.

3° A fortiori qui pigritia, negligentia, potationibus, comessionibus, lusibus, negotiis imprudentibus rem familiarem dissipant.

4° Qui absque causa legitima dotem filiæ convenientem pro matrimonio ineundo aut ingressu in religionem obstinate denegant. — *S. Lig. n. 335.*

II. — EDUCATIO SPIRITUALIS

374. — Tenentur præcipue parentes filiis procurare educationem spirituales. Ratio est quia homo, præter esse materiale seu corporale, quod cum cæteris animalibus commune habet, donatur a Deo anima rationali ac nobilissima, ad Divinitatis ipsius imaginem creata; et conditus est ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui et dirigi debet; ideo enim matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur, et ad vitam æternam præparetur. Hinc illud Apostoli I Tim. v, 8: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* — Ad hanc vero educationem requiritur: 1° doctrina, 2° correctio, 3° exemplum.

I. *Doctrina.* Tenentur parentes *per se* vel per aptos institutores erudire filios in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei, in fide et in omnibus ad salutem necessariis, quia illos erudire debent in via qua ad Deum perveniant. Hinc Deut. XI, 19: *Docete filios vestros (verba mea) ut illa meditentur.* — Eccli. VII, 25: *Filii tibi sunt? erudi illos a pueritia illorum.*

Sedulo igitur parentes curare debent: 1° ut filii quam primum gratia Baptismatis regenerentur; 2° ut a tenerrima pueritia eos præcipua doctrinæ christianæ capita doceant, et corda eorum ad Deum inclinent; 3° ut a primis annis eos orationibus matutinis et serotinis, Ecclesiæ Officiis et Catechismis assuefaciant, necnon a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertant; 4° ut eis præficiant magistros doctrina et præsertim gravitate morum conspicuos; 5° ut invigilent diu noctuque, ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

375. — II. *Correctio.* Tenentur parentes filios delinquentes corrigere. Hinc Prov. XIII, 24: *Qui parcit virgæ, odit filium suum.* — Et *ibid.*, XXIII, 13: *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur.* — *Ibid.*, 14: *Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* — Ephes. VI, 4: *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, et correptione Domini.*

Sed correctio, ut utilis sit, debet esse moderata et prudens. Castigatio enim immoderata plus obesse quam prodesse noscitur, siquidem filios reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque desperatione affectos; imo. pro amore parentibus debito, contemptum, vel etiam exitiale odium parere solet.

III. *Exemplum.* Parentes bonum exemplum filiis debent, 1° quia exempla, efficacius quam verba, ad sequelam quodammodo trahunt, præsertim si a Superioribus præbeantur; 2° quia, si parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, parum eorum verba filios ad bonos mores sectandos movebunt. — Unde S. Hieronymus, *epist. VII, ad Lætam*, ait: *Mementote, vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse quam voce.*

Resolves.

376. — 1° Graviter peccant parentes qui, omnem curam ad temporalia tantum impendentes, spiritualium ita obliviscuntur, ut ne ipsi quidem sciant quæ ad salutem assequendam sunt necessaria, multo autem minus liberos suos instruant aut instrui curent.

2° Peccant graviter parentes qui, ut sumptibus parcant, educationem spiritualem suorum liberorum prorsus negligunt.

3° Graviter peccant *per se* parentes qui, nimia indulgentia, filios corrigere notabiliter negligunt, quando alioquin id necesse foret; sed non minus peccant qui gravioribus pœnis in filios animadvertunt, v. gr., si eos mulierent, vel eis grave vulnus aut percussiones et verberationes adeo graves infligant, ut vita aut sanitas eorum notabile detrimentum capiat.

4° Duplex pariter peccatum perpetrant parentes, cum verba turpia et obscœnos sermones, audientibus filiis, proferunt, maledicta et imprecationes evomunt, juramenta et blasphemias eructant. His enim pravis exemplis efficiunt, ut filii hæc omnia addiscant, atque eadem imitentur.

5° Graviter peccant, saltem generatim, parentes qui mittunt filios ad scholas hæreticas, vel impias, aut eos magistro hæretico vel impio, moribusve perdito committunt, ut scientias humanas discant. Scholas autem, quas *mixtas* vel *neutras* appellant semper damnavit Ecclesia, casque a pueris catholicis, nonnisi gravissimis de causis, frequentari permisit. (*Encycl. SS. DD. Leonis XIII ad Epp. Galliæ 8 Feb. 1884. — V. Cas., n. 368 et seq.*)

Quæsitæ.

377. — QUÆR. 1° *Quænam sint obligationes aliorum cognatorum ascendentium et descendantium?*

Resp.: Eædem sunt generatim cum debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa; isti enim omnes ratione generationis aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo invicem ligantur, præsertim si, parentibus deficientibus, ascendentes nepotum curam suscipiant. — *Ita omnes.*

QUÆR. 2° *Quænam sint mutuæ fratrum et sororum obligationes?*

Resp. 1° : Debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut cæteri homines, sed peculiari dilectione ob arctum sanguinis vinculum.

Resp. 2° : Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitæ, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. — *Ita omnes.* — *Vide S. Lig. n. 340.*

CAPUT III

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM

378. — I. Conjuges tenentur erga se invicem :

1° Ad mutuam amorem. Cum enim sint caro una, debent etiam esse cor unum. Sic Ephes. v, 25 : *Viri, diligit uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* — Tit. II, 4 : (*Uxores*) *Viros suos ament.*

2° Ad societatem conjugalem et cohabitationem. Patet ex natura et finibus matrimonii, et ex verbis Christi, Matth. XIX, 5: *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

3° Ad alimenta et quæcumque ad honestam conditionis suæ sustentationem pertinent, sibi mutuo præstanda: *Jam (enim) non sunt duo, sed una caro.* Matth. XIX, 6. — *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam.* Ephes. V, 29.

4° Ad debitum conjugale sibi invicem reddendum, cum petitur serio, nec legitima adest illud negandi causa; quia ad id se obligarunt. Hinc Apostolus, I Cor. VII, 4: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (nempe in ordine ad generationem).

379. — II. Vir tenetur in particulari:

1° Studiose rem familiarem gerere, et bona tum communia, tum uxoris propria, debita diligentia administrare.

2° Curare ut uxor munia christianæ professionis impleat, et præcepta legis tum divinæ tum ecclesiasticæ exsequatur. Vir enim est caput mulieris et totius rector familiæ; ac proinde ad ipsum spectat tum uxoris tum aliorum familiæ membrorum recta gubernatio.

3° Corrigere uxorem delinquentem, ubi opus hoc sit ad ejus emendationem et ad scandalum præcavendum. Debet autem correctio procedere ex caritate vel amore justitiæ aut zelo procurandi rectam familiæ gubernationem, et esse multo levior quam culpa mereatur, quia uxor est socia viri, non serva. Curandum insuper est ne pax et amor inter eos pereant.

380. — III. Uxor ex parte sua tenetur:

1° Revereri maritum, quia est ipsius Superior, ut constat ex dictis, et ex verbis Gen. III, 16: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

2° Præstare ipsi obedientiam; quia obedientia debetur Superiori in iis quæ ad gubernationem pertinent; et Apost. ad Coloss. III, 18, ait: *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino.*

3° Curam domus gerere in re familiari, et proinde familiæ officia obire, ut parare cibos, domum verrere, lintea lavare, vestes discissas resarcire, et alia hujusmodi præstare. Nobilis tamen uxor officia viliora per famulos vel ancillas adimplere potest, modo ipsis invigilet, et curet, ut res domestica bene geratur.

Resolves.

381. — 1° Maritus graviter peccat *per se*, si uxorem conviciis prosequatur, v. gr., vocando eam *adulteram, sagam*, etc.; si absque justa causa eam impediatur ab implendis præceptis divinis vel ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. gr., a discreta Sacramentorum frequentia; si eam modo tyrannico tractet, instar vilis mancipii; si cum ea non cohabitetur; si familiæ gubernationem negligat, etc. — *S. Lig. n. 356.*

2° Uxor pariter peccat graviter, si maritum soleat irridere, subsannare; si verbis asperis, inobedientia contumaci, vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet, etc.

3° Vir ordinarie correctionem uxoris inchoare debet per verba suaviora,

et, si hæc non prosint, ad graviorem correctionem devenire. Quandoque defectus uxoris dissimulare debet, quando sine peccato id potest, nec nimius esse in corrigendo, aliquando autem correptionem ad tempus differre, ne correctio ex iræ æstu videatur procedere, et fructu careat, dum uxor ad eam recipiendam minus est disposita.

4° Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, præsertim si uxor in maritum invehat; quia mulieres fere ad mentiendum sunt proclives. Quare melius est, re dissimulata, ipsis commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et majorem sollicitudinem ad obsequia viro præstanda.

5° Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur, moneat dum maritus est bene affectus; si irato respondendum sit, respondeat suaviter: responsio enim mollis frangit iram, et dura furorem suscitât. Si hæc nihil obtineant, curet ut per Parochum aut alium prudentem virum maritus admoneatur.

CAPUT IV

DE OBLIGATIONIBUS ALIORUM SUPERIORUM ET INFERIORUM

Obligationes, quæ alios Superiores aut inferiores respiciunt, eadem servata proportione sunt generatim, ac obligationes parentum et filiorum. Hinc pauca tantum dicimus: 1° de obligationibus dominorum et famulorum; 2° magistrorum et discipulorum; 3° civium erga temporalem auctoritatem.

De officiis autem Parochorum et aliorum Superiorum ecclesiasticorum in *Tractatu de statibus particularibus*, ubi de statu clericali, agetur.

ARTICULUS I

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM

§ I. *De obligationibus dominorum.*

382. — Domini tenentur famulos suos: 1° benigne tractare; 2° instruere et corripere; 3° justum pretium eis solvere.

I. *Benigne tractare*, id est decenter et humane eos alloquendo eisque præcipiendo, bona et sufficientia alimenta præstando, nimis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando. Constat ex jure naturali, et ex Scriptura sacra, Eccli. xxxiii, 31: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.* — Ephes. vi, 9: *Et vos, domini, eadem facite illis (servis), remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cælis, et personarum acceptio non est apud eum.*

II. *Instruere et corripere*: dominus enim est caput famuli, sicut totius familiæ: ad caput autem spectat dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis Pauli, I Tim. v, 8: *Si quis autem suorum et maxime dome-*

sticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Famuli autem inter domesticos reputantur. — *Elbel, n. 590, et alii communiter.*

III. *Justum pretium solvere*: agitur enim de obligatione justitiæ et æquitatis naturalis; unde defraudatio talis mercedis inter peccata in cælum claustrantia recensetur.

Resolves.

Peccant, et quidem etiam graviter, domini :

1° Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta Fidei christianæ, vel eos ad catechismum et concionem non mittant; si non caveant ut tempore debito confiteantur et communicent.

2° Si conducant vel in domo retineant famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes; si peccantes graviter non moneant et corrigant, aut emendationem promittere nolentes non dimittant, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint.

3° Si curam non habeant, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis absterneant; si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant.

4° Si stipendium promissum aut justum non solvant, aut nimis differant; si famulos ægrotos non curent, eosque statim expellant, vel absque justa causa ante præfixum tempus dimittant.

§ II. De obligationibus famulorum.

383. — Tenentur famuli præstare dominis :

1° *Reverentiam*; sic enim Apost., I Tim. VI, 1 : *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Exinde peccare possunt etiam graviter, qui dominos irrident, eos aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2° *Obsequium et obedientiam* in iis omnibus ad quæ se obligaverunt vel contractus, et in iis quæ spectant ad bonos mores; sic Ephes. VI, 5 : *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo.* — Et I Petr. II, 18 : *Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

Hinc ratione materiæ peccant plus minusve, qui, cum aliquid eis præcipitur, obmurmurant, insolenter respondent, tempus inutiliter terunt, negligunt præceptum laborem peragere, aut cum damno domini pro se laborant; et uno verbo, ii omnes qui obsequium non præstant, quale ordinarie a talibus exigi et præstari solet.

3° *Fidelitatem*; juxta verba Pauli ad Tit. II, 9 : *Servos dominis suis subditos esse..., non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.*

Hinc peccant et sæpe graviter contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent, qui ex culpa sua eas deteriores fieri sinunt, qui victualia pretiosa, aut ipsis non dari solita surripiunt, sive ad manducandum, sive ad extraneis dandum aut vendendum.

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM

384. — I. Magistri et præceptores debent discipulis :

1° Amorem, 2° exemplum, 3° correctionem, 4° doctrinam. Ratio est, tum quia ad instar parentum quodammodo se habent, tum quia instituuntur ad erudiendos discipulos in sana doctrina morum et litterarum.

Debent igitur : 1° sese perficere in scientia quam docent, ad alios debite erudiendos ; 2° promovere profectum discipulorum in litteris, quantum in ipsis est ; eos avertere, quantum possunt, ab aliis qui pravis moribus turpantur, quosque in scholis suis admittere nullo modo debent.

Hinc præceptores delinquere possunt etiam graviter, cum discipulorum instructionem negligunt, aut eos injuste vel indiscrete puniunt : sed præsertim si eosdem seducant, ad peccata, v. gr., carnalia impellendo ; si non doceant bonos mores ; si ex proposito falsa doceant, ut vera, vel saluti noxia ; si alumnos admittant vel retineant malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint, etc.

385. — II. Discipuli tenentur exhibere magistris :

1° Amorem et reverentiam, ob superioritatem et curam eorumdem.

2° Obedientiam, dum erudiuntur ab eis in bonis moribus et artibus.

Ratio patet : hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et præcepta magistrorum.

Hinc peccant discipuli, si nedum diligenter studeant, tempus conterant in otio, lusu, aliisque ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum : multo autem gravius, si magistris detrahant, eos irrideant, subsannent, maledictis, calumniis, molestiis afficiant, etc.

ARTICULUS III

DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA CIVIUM ERGA TEMPORALEM AUCTORITATEM

386. — Ex jure naturali et divino positivo tenemur titulo *pietatis* reverentiam et obedientiam Superioribus nostris civilibus præstare. Vices enim Dei ipsius in ordine temporali erga nos gerunt. Sic enim Apost. ad Rom. XIII, 1 et seq. : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt... Dei enim minister est Princeps : vindicet in iram ei qui malum agit. — Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Quamobrem Catechismus Concilii Tridentini hujusmodi obligationem cum ea comparat et conjungit, qua erga auctoritatem paternam et ecclesiasticam obstringimur. Etenim *part. III, de IV° mandato, § 15*, postquam docuit parentes et Superiores ecclesiasticos debito honore colendos esse, subdit : *Idem de Regibus, de Principibus, de Magistratibus, et reli-*

quis, quorum potestati subijcitur, dicendum est. Sic autem id explicat : Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus; quia divinæ potestatis est instar: in quo etiam Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procuracionem iis attribuit, quibusque utitur tanquam potestatis suæ ministris. Constat etiam ex Scriptura sacra, præsertim I Petr. II, 13 ubi dicitur: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis...* Et *ibid.*, 17... *Regem honorificate.* — Vide etiam S. Justini Apol. I, XVII. — S. Theophili Antioch. ad Antol., lib. I, c. XI. — S. Clem. Const. ap., c. XII. — Tertull. ad Scap., c. II. — S. Gregorii Naz. Or. XVII. — S. Chrys. Hom. VI ad Ant. — S. Irenæi adv. Hæres., l. V, XXIV. — S. August., in Ps. CXXIV, n. 7, et de Civit. Dei, l. V, X, XI, XIV, XV. — Confer etiam *Litteras Encyclicas Gregorii XVI, et Pii IX, ac præsertim Leonis XIII.* De principatu politico.

387. — QUÆR. An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali, et an liceat aliquando rebellare?

Resp.: Doctrina S. Scripturæ, Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum, Catechismi Concilii Trident., S. Ligorii *Hom. apost.*, tr. VIII, § 43, et etiam *Encyclicæ Gregorii XVI, 15 Aug. 1832*, quæ totam catholicam traditionem exprimit, sic paucis verbis circa hanc quæstionem resumitur potest.

Ad 1^{um}. Sicut evidens est nunquam obediendum esse auctoritati humanæ in iis quæ evidentiter contra legem Dei sunt, ita in iis quæ per se licita sunt, est omnino obediendum Principibus ETIAM DYSCOLIS, et illis quoque, qui auctoritate sua abutuntur. « Ex hisce fontibus purissimis, Scriptura nempe et traditione, ait *Gregorius XVI* in Brevi 9 Junii 1832, apertissime edocemur obedientiam, quam præstare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse præceptum, cui nemo contraire potest. »

Ad 2^{um}. Nunquam omnino licitum est rebellare. *Nimis perniciosum in hac re*, ait S. Liguorius. *fuit principium Joannis Gersonis, qui ausus est asserere quod monarcha potest legitime a tota natione judicari si regnum injuste regat...: principium, inquit, non tantum falsum, sed perniciosissimum... At quale remedium adest, si regimen Principis esset excessive tyrannicum? Remedium quod suppetit, ait S. Thomas, est ad Deum recurrere, ut auxilium præbeat.* — *Hom. apost.*, tract. VIII, n. 13.

Sed (ait S. Thomas), *ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem.* De Reg. Princ. lib. I, c. VI. — Vide præsertim *Epistolam encycl. Gregorii XVI, 15 Aug. 1832.* — Hinc SS. D. N. Pius IX hanc 63 propositionem in *Syllabo* damnavit: *Legitimis principibus obedientiam detractare, imo et rebellare licet.*

DE V DECALOGI PRÆCEPTO

Non occides. Exod. XX, 13.

388. — Prohibet hoc præceptum, quatenus *negativum est*, primario quidem homicidium, id est, injustam hominis occisionem: secundario autem

et consequenter omnem injustam læsionem, vulnerationem aut mutilationem corporis, sive proprii sive alieni. Quatenus vero virtualiter est *positivum*, præcipit vitæ conservationem.

Ea autem, quæ de occisione sive licita, sive illicita statuentur, eadem mutilationi vel cuilibet corporis læsioni, servata debita proportione, applicanda erunt.

Agendum 1° de occisione sui; — 2° de occisione proximi; — 3° de duello; — 4° de bello.

CAPUT I

DE OCCISIONE SUI, SEU DE SUICIDIO

Principia.

389. — I. Nemini unquam licet se directe, id est ex intentione, et absque auctoritate divina, occidere. Constat 1° ex præcepto divino: *Non occides*. Exod. xx, 13. — *Ego occidam, et ego vivere faciam*. Deut. xxxii, 39. — *Tu enim es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*. Sap. xvi, 13. — 2° Ex lege naturali. Homo enim dominium directum non habet in corpus suum, nec in vitam suam, sed solum dominium utile et administrationem: siquidem naturalis ejus conditio et rectus ordo omnino exigunt ut, quoad propriam existentiam ejusque durationem, plene dependeat ab arbitrio Creatoris ac summi rerum omnium Ordinatoris; qua de causa Tullius ipse in *Tuscul.*, l. I, c. xxx, ait: *Vetat dominans ille in nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare*. Ergo suicida lædit Dei supremum dominium destruendo rem non suam. Lædit quoque societatem, cujus est pars, ut ait *S. Thom.*, 2. 2., q. 64 art. 5.

II. Nunquam sine divina auctoritate fas est ponere actum externum, per se immediate tendentem ad sui destructionem, nisi actus ille habeat alium effectum bonum et immediatum, qui solus intendatur, et gravissima ratio effectum illum bonum obtinendi urgeat. Ratio est, quia ubi actus physicus etiam per se indifferens non habet alium effectum quam suicidium, jam fit malus, siquidem nulla adest ratio qua præceptum conservandi vitam et cavendi a mortis periculo cesset. Ergo in quocumque casu prohibetur.

III. Licet concurrere indirecte ad occisionem sui, seu ponere actionem ex qua præter intentionem propria mors certo sequatur; modo ex ista actione sequatur æque immediate aliquod bonum, quod vitæ jacturam compenset, et hoc solum intendatur. Ratio patet ex dictis in *Tract. de Act. hum.* ubi de *voluntario indirecto*, n. 9.

Quæsitæ.

390. — QUÆR. 1° *An liceat incendere navim aut turrim, ut hostes grave damnum patiantur, sed cum certa vitæ propriæ jactura?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius*; quia expedit damnum publicum vitari, vel commune bonum procurari etiam cum damno privatorum certissimo. — *Lugo, Lessius...* — *S. Lig. n. 367.*

QUÆR. 2^o *An virgo ad castitatem servandam se exponere mortis periculo possit?*

Resp. Affirm. saltem si mors non sit certo secutura, idque tum ob amorem castitatis, tum ob periculum peccati quod sæpius in tali occasione habetur. — *Ita communiter theologi.* — Imo *probabilius* adhuc affirmandum est, licet mors certo secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum; quia etiam sola corporis integritas maxime æstimatur. — *S. Ligor., n. 366; Hom. apost., n. 1. — Laymann, etc.*

QUÆR. 3^o *An virgo teneatur permittere se occidi potius quam violari?*

Resp. Neg. probabiliter, saltem speculative loquendo, modo voluntate positive resistat, et proximum absit consensus periculum. Ratio est, quia hæc permissio non est *formalis* ad peccatum alterius cooperatio, sed *materialis* tantum, justa autem adest permissionis causa, mortis scilicet periculum. Hæc tamen praxis non videtur consulenda, quando alicujus consensus periculum timeri prudenter possit. — *S. Lig. n. 368.*

QUÆR. 4^o *An licitum sit reo se sistere coram judice, etsi certo morte puniri debeat?*

Resp. Affirm., quia actio ista *per se* est indifferens, imo et honesta; in casu enim velle mori perinde est, ac velle justitiæ ordinem; et sicuti ob justam causam mortem alteri desiderare licet, atque etiam legitimo modo procurare, ita et sibi. — *Lugo. — Lessius. — S. Lig., Hom. apost., n. 2.*

Resolves.

391. — 1^o Præcepto negativo non se interimendi respondet necessario præceptum vitæ conservandæ, quod utpote affirmativum minus urget, atque justa de causa potest quandoque omitti. Si quis tamen, nulla tali causa interveniente, non utatur mediis necessariis ad vitam conservandam, perinde peccat ac si vitam sibi adimeret.

2^o Nunquam licet ponere cum intentione se occidendi actionem ex qua mors, licet per accidens tantum, secutura sit; quia nunquam licet velle rem vetitam, et hanc voluntatem ad actum redigere.

3^o Non tenetur quis servare vitam remediis extraordinariis, aut quæ maximum dolorem afferant; ratio est, quia præceptum affirmativum non est necessario adimplendum omni modo possibili, sed eo tantum qui est obvius et communis; unde non datur obligatio servandæ vitæ nisi mediis ordinariis, quæ nempe nec magna adducunt incommoda, nec sumptus pro varia ejusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant, etc. Sic, v. gr., non teneris, vitæ servandæ causa, pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum. — *S. Lig. n. 372.*

4^o Non tenetur virgo operationem pati per manus medici, etiamsi vita periclitetur, quando ob verecundiam id ei gravissimum accidit, majoremque illi horrorem, quam ipsa mors, ingerit. — *S. Lig., ibid., Hom. apost., n. 2.*

5^o Nunquam licet macerare corpus ad vitam breviandam, neque, etiam secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis pœnitentiis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen ex virtute, pœnitentiis ordinarie gravibus uti cum certa quadam vitæ abbreviatione; quia, ex communi

DD. sententia, propter meritum, vel naturæ pravæ mortificationem aliqua longioris vitæ jactura contemni potest. — *S. Lig.*, n. 371; *Hom. apost.*, n. 2.

6° Non peccant artifices qui super ædificiorum tecta ascendunt, et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt; ratio est, quia ex causa rationabili id agunt. Contra graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponseione et vana gloria in gravia discrimina sine causa se injiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc. etc.

7° Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum, et quidquid homo est, totum Dei est, nec aliud dominium in corpus suum, nisi utile seu indirectum habet. — *S. Lig. l. III*, n. 373.

8° Non licet se mutilare pro bono spirituali, aut ad vitandum quodlibet peccatum. Ut enim ait S. Thomas, *saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri præcisionem, quia peccatum subjacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcumque peccatum vitandum* (2. 2., q. 65, art. 4, ad 3).

9° *Probabilis* licet manum catena ligatam sibi abscindere ad vitandam mortem a bellua vel tyranno, aut incendio impendentem: quia pars bono totius hominis cedere debet. — *Lugo, de Justitia disp. x*, n. 22. — *Lacroix*, n. 786. — *Billuart*, contra alios. — *V. Casus*, n. 376 et seq.

CAPUT II

DE OCCISIONE PROXIMI

Scilicet: 1° de occisione rei, 2° aggressoris, 3° innocentis.

ARTICULUS I

DE OCCISIONE REI, SEU MALEFACTORIS

Principia.

392. — I. Licet malefactores publica auctoritate occidere. Ratio, quia hoc est medium necessarium ad commune totius societatis bonum procurandum, immo ad ipsam societatem servandam; quod quidem plerumque non nisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Deus autem potestatem, sine qua societas stare non posset, contulisse dicendus est. Constat etiam ex praxi cujusvis legislationis, ex sacra Scriptura, et universali omnium consensu.

II. Non licet autem occidere malefactores auctoritate privata. Quia nemo alium occidere potest sine potestate; at privati nullam ejusmodi potestatem a Deo acceperunt: etenim, ne cædibus omnia impleantur, hæc potestas soli totius civilis societatis Superiori data est. Ergo...

Resolves.

393. — 1° Nemini licet aliquem potestati suæ non subjectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius qui potestatem habet, v. gr.,

patris in filium, magistri in discipulum; verberatio enim est punitio: hæc autem supponit potestatem gubernativam. Excipe, nisi id necessarium sit ad avertendam præsentem injuriam, ut infra dicitur. — *Reuter, n. 369.*

2º Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa mutilare aut occidere; ratio, quia punire per mutilationem et occisionem, quæ damnum irreparabile inferunt, requirit sane potestatem perfectam, quam nec pater nec dominus habet. — *Billuart.*

3º Frater natu major non potest fratres minores verberare, nisi id ipsi sit a patre mandatum, aut nisi, mortuo aut absente patre, familiam ipse regat; quia primogenitura ei tale jus non confert. — *Billuart et alii.*

Quæsitæ.

394. — QUÆR. 1º *An milites jussi comprehendere et custodire malefactorem, possint eum aufugientem occidere.*

Resp. Neg. etiamsi jam ad mortem fuerit damnatus; quia vi officii sui, et secluso speciali Principis mandato, satellites reum tantum coercere possunt. — *S. Lig., Hom. apost., n. 9.*

QUÆR. 2º *An liceat tyrannum occidere?*

Resp. 1º: Certum est non licere occidere tyrannum *regiminis*, seu legitimum Principem tyrannice populum regentem, atque etiam opprimentem: *obedire enim oportet dominis etiam dyscolis*, I Petr. II, 18. — *Ita communiter cum S. Lig., Hom. apost., n. 13.*

Resp. 2º: Nec licet occidere tyrannum *usurpationis*, si jam in pacificam regni possessionem venerit. Sententia autem opposita dicenda est improbabilis et falsa; quia juxta *S. Thomam*, usurpator ut verus dominus haberi debet, saltem in praxi, si postea subditi illum ut talem agnoscant. Præterea bonum publicum requirit, ut obedientia ei præstetur ad Reipublicæ perturbationes et eversiones præcavendas. — *S. Lig., ibid.*

Resp. 3º: Nec licet occidere tyrannum seu injustum usurpatorem, etiamsi nondum sit in possessione regni, nisi ex auctoritate legitimi Principis, aut ex justa defensione, aut in actu belli Reipublicæ adversus ipsum; nunquam enim licet occidere hominem privata auctoritate. — *Ita communiter*, et certo tenendum est. — *S. Lig., ibid. — Recole dicta in fine 4º præc., n. 387.*

ARTICULUS II

DE OCCISIONE INJUSTI AGGRESSORIS

Principia.

395. — I. Licitum est unicuique defendere propriam vitam etiam cum occisione injusti aggressoris; quisque enim habet jus conservandi vitam injuste oppugnatam: ergo potest illam defendere per media necessaria, et proinde etiam mutilatione aut occisione aggressoris, si alio pacto sese morti eripere nequeat; ex jure enim naturali licet vim vi repellere. Constat etiam Jure canonico, præsertim *c. Si vero 3, de sent. excomm.*, ubi dicitur: *Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt.* — *Vide S. Lig. n. 380.*

II. In justa defensione contra iniquum aggressorem servari debet mode-

ramen *inculpatæ tutelæ*, seu nihil fieri debet, nisi id quod absolute necessarium est ad se tuendum; quia quod necessitas non excusat, est contra justitiam.

Quæsitæ.

396. — QUÆR. 1^o *An liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem?*

Resp. Affirm. probabilius, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari. Ratio est, quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* injustus, est tamen *materialiter* injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendi. Si vero certo scias, quod sane rarissimum erit, eum in statu peccati lethalis versari, a quo poterit post phrenesim aut ebrietatem resurgere, e contra vero moraliter credas te esse in statu gratiæ, cum hic in extrema necessitate versetur caritas exigit ut salutem ejus æternam vitæ tuæ temporalis conservationi præferas. Secus autem, si sui ipsius compos esset; proprium enim malum ipsi foret imputandum. Nihil tamen prohibet quominus eum ita percutias aut vulneres, ut, salva ejus vita, auferas ei vim nocendi.

QUÆR. 2^o *An liceat defendere proximum innocentem occisione aggressoris?*

Resp. Affirm. in omni casu quo licet propriam vitam defendere; idque ratione Caritatis. — *S. Ligor. n. 389.* Raro tamen privatus ad hoc teneri videtur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 390.*

397. — QUÆR. 3^o *An liceat occidere injustum aggressorem etiam pro defensione membrorum?*

Resp. Affirm. cum communi sententia, contra *paucos*. Ratio est, quia quisque jus habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitæ alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur. — *S. Lig. n. 380.*

QUÆR. 4^o *An liceat defendere bona fortunæ magni momenti cum occisione furis, si aliter retineri non possint?*

Resp. Affirm., saltem probabilius. Ratio deducitur ex dictis in quæsito præcedenti; quisque enim jus habet conservandi bona magni pro conditione sua momenti, et eo ipso adhibendi media absolute ad id necessaria. Aliunde præceptum Caritatis non obligat ut quis præferat bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quando proximus in extrema necessitate versatur; secus vero, quando sponte hic mortis periculo se exponit. — *S. Lig. n. 382.*

398. — QUÆR. 5^o *An mulieri liceat occidere invasorem pudicitæ?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia pudicitia est bonum præstantius divitiis: ergo, si licet occidere aggressorem injustum bonorum fortunæ, id *a fortiori* licebit ad pudicitiam servandam. — *S. Lig., n. 386, et alii communiter.*

QUÆR. 5^o *An liceat alium occidere ad conservationem honoris?*

Resp. 1^o Neg., omnino post illatam injuriam, quia id non esset se defendere sed vindicare.

Resp. 2^o Neg. etiam, saltem *practice* loquendo, si agatur de præveniendâ aut propulsandâ injuria, quia honor aliis mediis plerumque servari potest, ideoque aggressio honoris cum aggressionem vitæ aliorumque bonorum non potest comparari. Innumeris præterea cædibus aliter pateret aditus.

Ideirco Alexander VII merito damnavit sequentem propositionem numero 18^{am}: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, et etiam judicem a quo imminet injusta sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.* Attende insuper ad propositionem 30^{am} ab Innoc. XI damnatam: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc calumnia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.* — Vide *S. Lig. n. 381.* — *Viva, in prop. 17 et 18 damn. ab Alex. VII.*

Resolves.

399. — 1° Non licet occidere furem auferentem rem minoris momenti etiam cum resistantia domini; quia, licet talis ablatio, aliqui ex materia levis, fiat cum speciali ejus injuria ob violentiam, ejusmodi tamen injuria juxta hominum æstimationem gravis non censetur. *S. Lig. n. 383.* Attamen dominus non tenetur rem dimittere, et, servato moderamine inculpatæ tutelæ, potest se defendere, si alter ad eam auferendam vim personæ inferat.

2° Non licet generatim eum occidere qui mere aggressionem minitetur; quia magnum et frequens in hoc esse potest hallucinationis periculum. Secus vero, si certo constet de prava aggressoris voluntate, nec periculo alia ratione occurrì possit.

3° Non licet occidere aggressorem post factum, quia esset vindicta, non defensio. Excipitur, quando aggressio *effective*, ut aiunt, in fuga aggressoris rem furtivam auferentis perduraret. — *Ita communiter.*

4° Non licet puellæ occidere aggressorem honoris sui post oppressionem; potest tamen illum percutere et male acerbissimeque tractare, præsertim quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, non facile discedet homo nequam, aut facile ad sollicitationem redire poterit. *S. Lig. n. 386.*

5° Non licet, saltem *practice* loquendo, viro etiam honorato aggressorem volentem alapam impingere occisione præoccupare; semper enim fuga aut alia via proprio honori consulere potest. Licet tamen agredientem arcere, et se promptum ad propriam defensionem ostendere. — *S. Lig. n. 381.* — *V. Casus, n. 390 et seq.*

ARTICULUS III

DE OCCISIONE INNOCENTIS

§ I. De occisione innocentis in genere.

Principia.

400. — I. Nunquam licet *directe* innocentem occidere, sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum; est enim actio intrinsece mala et divina lege expresse prohibita. Exod. xxiii, 7: *Insonstem et justum non occides.* — *S. Lig. n. 393.*

II. Licet ob gravem causam ponere actionem in se bonam, ex qua præter

intentionem sequatur mors innocentis, juxta principium *D. Thomæ* supra expositum.

III. Non est homicidii reus, qui etiam sine causa, sed adhibita diligentia, ponit actionem quæ mortem *per se* non infert, ex qua tamen *per accidens* homicidium sequitur, quia homicidium illud est omnino fortuitum et involuntarium. Secus vero, si ponat actionem quæ mortem *per se* inferat, seu valde periculosa sit, et ex qua mors sæpe sequatur, etiamsi diligentia ad damnum præcavendum adhibeatur. — *S. Lig. n. 398.*

Resolves.

401. 1° Non licet occidere lethaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; nec rabidos, ne aliis noceant, salvo tamen jure propriæ aut alienæ defensionis, ut diximus supra *n. 396.* Ratio est, quia, ex noto effato, ad obtinendum bonum non sunt facienda mala.

2° Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno mortem ejus postulanti, etiam sub pœna urbis subvertendæ, et etiamsi morti suæ ille consentiret; ratio est, quia dominium in propriam vitam non habet. Probabilius tamen posset cogi ut seipsum tyranno pro bono publico traderet, et probabiliter, si nollet, etiam tradi. — *S. Lig., n. 393, cum aliis.*

3° Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde etiam aliqui innocentes mortem passuri sint; quia eorum mors præter intentionem sequitur. — *S. Lig., ibid.*

4° Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides vel legatos ad eos missos injuste interfecerint; quia sunt innocentes. — *Busemb., et alii communiter cum S. Lig., ibid.*

5° Peccant graviter medici, obstetrices et custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia eorum mortem aut non impediunt, aut causent, vel accelerent. Item si ex ignorantia graviter culpabili ægrotis noxia præbeant.

§ II. De procuratione abortus.

Abortus est ejectio fœtus immaturi ex utero matris; unde, quacumque intentione fiat, est ex se et ex natura sua viventis fœtus vera occisio.

Principia.

402. — I. Nullo unquam casu vel causa licet *directe* procurare abortum, etiamsi fœtus supponeretur adhuc inanimatus. Ratio est, quia si animatus sit fœtus, est homicidium propriè dictum; si vero non sit animatus, est homicidium anticipatum. Fœtus enim etiam non animatus ordinatur ad hominem formandum; ergo illius ejectio est homicidium anticipatum. — *S. Lig. n. 394. — Lacroix, n. 823.*

II. Licet aliquando *indirecte* abortum procurare, seu melius permittere, subministrando videlicet matri, morbo gravi laboranti, remedia fœtui nociva, si conditiones sequentes concurrant, scilicet: 1° ut agatur de morbo lethali; 2° ut remedia, fœtui nociva, sint *per se* ad morbum curandum

directe et immediate efficacia; 3° ut nulla sit spes fœtui illi vitam æternam per Baptismum procurandi. Hujusmodi autem spes in duplici casu abesse potest: nempe ubi moraliter certo constat, fœtum nondum esse animatum, ut in prioribus conceptionis diebus, vel ipsum, moriente matre, simul vel ante moriturum. — *S. Lig., ibid.* — *Lacroix, n. 826 et seq.* — *Billuart.*

III. Mulieri gravidæ ægrotanti licet porrigere pleraque remedia curandis morbis idonea, etsi quandoque abortus sequi possit. Ratio est, quia experientia constat abortum remediis ordinariis, saltem plerisque, rarissime sequi. — *Ita communiter.*

Resolves.

403. — 1° Non licet puellæ gravidæ pharmacum sumere ad fœtum expellendum, ne famam amittat, aut ne a patre furioso occidatur, quia directe procuraretur abortus. Constat etiam ex propositione 34^a ab Innoc. XI damnata.

2° Non licet, cum mulier gravis est, fœtum occidere ad matrem a morte liberandam. — *S. Lig. n. 394.*

3° Non licet matri gravidæ, etiam in certo mortis periculo, sumere, nec licet ei præbere medicinam ex vi sua, aut saltem ex intentione sumentis vel præbentis, *directe* ordinatam ad ejectionem fœtus, quamvis mors utriusque certo aut fere certo futura sit, si medicina non adhibeatur, et e contrario certo aut probabiliter salvanda sit mater si adhibeatur. Namque si non debeat mater occidi, prout docet *S. Thomas* (3., q. 68, art. 11, ad 3), ut salvetur puer, neque etiam puer occidi debet, ut mater salvetur; et intentio salvandi matrem, quantumvis censeatur principalis ac prædominans, non impedit quominus *directa* sit procuratio abortus, et *in se* volita. Non autem a peccato excusari possunt procurantes abortum, eo quod accelerent tantum mortem prolis alias certo morituræ: *directa* enim, et *in se* (non dico *propter se*) volita mortis acceleratio seu anticipatio est verum homicidium.

4° Eadem ratione id non licet etiam propter conferendum Baptismum proli, quæ secus non baptizaretur. Et revera *S. Thomas, l. c.* ait non esse occidendam matrem ut *baptizetur puer*; quæ doctrina generalis est, et de puero ipso est intelligenda. Quamvis autem *S. Lig. (l. VI, n. 106)* dicat, *licitum esse aqua gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeretur ex hoc mors acceleranda*, id permittit tantum, quia *talis actio non tendit ad occisionem, sed ad ablutionem*, et justa adest causa; at simul monet, *nunquam licere projicere in flumen infantem ad eum baptizandum* (qui tamen baptismus est probabiliter validus), *quamvis sit mox decessurus sine baptismo; quia nunquam est licitum ob quamcumque causam directe occidere innocentem*. Porro tam directe occidit infantem, qui directe procurat abortum, quam qui eum projicit in flumen.

5° Licet medico præbere remedium de se ordinatum ad morbum matris curandum, si certo constet, non dato remedio, et matrem alioquin morituram, et fœtum sine Baptismo exstinctum iri; sic enim tum mater, tum fœtus, quo meliori modo possunt, juvantur; sed rarissime de utroque constabit. Si vero æquale sit periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est; quia sine majori prolis periculo vitæ matris consulitur. — *S. Lig. n. 394.*

6° Homicidæ sunt qui percutiunt mulierem prægnantem, vel terrefaciunt, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidæ, quæ cum gravi imprudentia variis modis abortus causam proximam ponunt, v. gr., nimis laboribus operam dando, onera gravia asportando, pedes in aqua frigida lavando, etc.

7° A fortiori homicidii reæ sunt puellæ ex fornicatione gravidæ, quæ repetitos conatus adhibent ad abortum attentandum, potionibus, saltibus, oneribus, ventris valida percussione et compressione, etc. Quando hujusmodi feminæ confitentur, sedulo, sed non abrupte, interrogandæ sunt de abortu desiderato vel attentato.

8° Nulla ratione ab homicidio excusari possunt medici qui, ut matrem liberent partum edere non valentem, ideoque mox cum prole morituram, recurrunt ad *cephalotripsiam* seu *embryotomiam*, id est ope forcipis cranium infantuli in ipso matris utero perforant aut conterunt, ac mortuum foetum postea violenter extrahunt. Patet ex antea dictis¹.

9° Non potest foetus animatus propriaque vita donatus æquiparari, ut quidam innuerunt contra unanimem theologorum sententiam, injusto aggressori; qui enim ex solo cursu rerum naturali, v. gr., homo peste infectus, fit alteri causa mortis, nequit haberi tanquam aggressor formaliter aut materialiter injustus. — Neque etiam comparari potest innocenti qui una cum injusto aggressore occiditur, quia: 1° partus periculosus aut mortiferus nunquam recte dicetur injustus matris aggressor; 2° nunquam licitum est assumere mortem innocentis tanquam medium ad hostem occidendum; at in casu, abortus aut occisio infantis assumitur tanquam medium ad matrem liberandam a partu periculoso.

10° Ex eo quod mater in naufragio non teneatur sustentare puerum super aquas cum periculo propriæ vitæ, perperam concluderetur eam posse propriæ saluti per abortum prospicere: conservatio enim vitæ alienæ mediis seu actione *positiva*, qualis est sustentatio pueri super aquas, pertinet ad præceptum Caritatis *affirmativum*, quod neque semper neque cum gravi damno obligat; prohibitio vero abortus pertinet ad præceptum *negativum* non occidendi, quod nunquam non obligat. Et re quidem vera mater per abortum non solum non retinet, seu cessat retinere infantem intra uterum, sed imo eum extra uterum ejicit; similique ratione in exemplo allato, quamvis non teneatur ad puerum sustentandum, tenetur omnino, etiamsi perire debeat, ad eum non immergendum.

De pænis in procurantes abortum dicetur in Tract. de Censuris. — Vid. Casus, n. 399 et seq.

¹ Huic quæsito: *An tuto doceri possit in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam, quam Craniotomiam appellant; quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint; ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte?* respondit S. Cong. S. Offic., Fer IV. 28 Maii 1884: *Tuto doceri non posse.* — Eamque responsum SS^{us} D. N. P. Leo XIII in audientia ejusdem Feriæ et diei plene confirmavit. Sic nempe responsum est E. Card. Archiepiscopo Lugdunensi. Insistente autem iterum RR. Archiepiscopo Cameracensi, respondit S. Cong. S. Offic. 19 Aug. 1889: *In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit die 28 Maii 1884, ET QUAMCUMQUE CHIRURGICAM OPERATIONEM DIRECTE OCCISIVAM FOETUS VEL MATRIS GESTANTIS.*

CAPUT III

DE DUELLO

Duellum in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. In sensu strictiori est periculosa duorum pugna ex præcedenti conducto de loco, tempore et armis.

Duellum est: 1° *publicum*, vel *privatum*, prout fit auctoritate publica, vel non; 2° *solemne*, vel *simplex*, prout fit coram testibus, vel iis omissis.

Principia.

404. — I. Duellum auctoritate publica susceptum est licitum, si fiat ad bonum commune, v. gr., ut bellum conficiatur; secus, si aliis de causis imperetur aut permittatur. Ratio utriusque patens est.

II. Duellum auctoritate privata susceptum nunquam licitum esse potest. Ratio est, quia repugnat: 1° *juri naturali*, cum Deus nulli hominum dominium dederit in suam aut alterius vitam, nec in membra, extra casum defensionis contra actualem aggressorem; 2° *juri canonico*, ut constat ex *Trident.*, *sess. XXV, cap. XIX*, ubi duellum dicitur: *Detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus.* — *S. Lig. n. 399, 400.*

Resolves.

405. — 1° Non licet acceptare duellum etiam ad avertendam ignominiam; quia repugnat rationi istud medium crudele adhibere cum evidenti suæ aut proximi vitæ periculo, imo et salutis æternæ, ob finem non necessarium vel etiam inutilem. Vera æstimatio, laus et decus posita non sunt in vana opinione hujus mundi, cujus sapientia apud Deum stultitia est. — *S. Lig., Hom. apost., n. 27.*

2° Non licet acceptare duellum viro militari, etiamsi cedere idcirco debeat officio ad sustentationem suam et suorum necessario. Ratio sequitur ex dictis: occisio enim alterius privata auctoritate nunquam licita est, nisi contra actualem aggressorem cum *moderamine inculpatae tutelæ*; provocans autem ad duellum non est actualis aggressor. Constat etiam ex propositione 3^a a Benedict. XIV damnata. Hinc improbabilis evasit sententia *Lessii, Sanchez, Elbel*, qui duellum licere in hoc casu asserebant. — *S. Lig., Hom. apost., ibid.*

3° Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato aut certo numero ictuum completo, pugna cesset: 1° quia etiam in hoc maximum adest vulneris lethalis periculum; 2° quia Clemens VIII prohibuit etiam duella non fatalia; 3° quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem præbet.

4° Non licet duellum suscipere, etiam accedente auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam aut ad finiendam litem privatam; quia non est medium ad hos fines ordinatum. — *S. Lig., Hom. apostol., ibid.* — Nec cogi rei possunt ad duellandum, spe etiam vitæ

victori futuro data. — *Salmant.*, tr. XXV, c. I, n. 178, *contra plures*. — *S. Lig.*, l. III, n. 400, refert ex Busembaum sententiam oppositam, nec eam improbat.

5° Licet autem pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur nisi acceptetur pugna, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum haberetur.

6° Non ineunt duellum proprie dictum, et proinde non incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, aliasque pœnas a Concilio Trid. in duellantes inflictas, qui ob injuriam subita ira excandescentes et ad pugnam se provocantes statim congregiuntur; quia verius est rixa, non vero duellum, quod ex *condicto loco et tempore* fieri debet. Eademque de causa, ob improvisum ejusmodi congressum, prædictæ pœnæ non incurruntur quamvis pugnantes ex eodem rixæ impetu ad locum aliquem idoneum statim se simul conferant. — *S. Congr.* 5 Octobr. 1744. — *Scav.* — *S. Lig.* n. 401. — *V. Casus*, n. 403 et seq.

406. — Hic referre juvat quinque propositiones circa duellum damnatas a Benedicto XIV, an. 1752, in Bulla *Detestabilem*. Sunt sequentes:

1° *Vir militaris qui, nisi offerat et acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2° *Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3° *Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ vel officii.*

4° *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.*

5° *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.*

CAPUT IV

DE BELLO

407. — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, Reipublicæ defendendæ aut vindicandæ causa.

Hinc differt: 1° a *rixâ*, quæ est pugna paucorum contra paucos; 2° a *seditione*, quæ est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem ad quam pertinet.

Distinguitur bellum: 1° *offensivum*, si fiat ad injuriam vindicandam; 2° *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Principia.

I. Bellum *per se* licitum est, sive ad injuriam repellendam, sive ad jus suum vindicandum. Ratio est, quia societas quælibet independens ab alia societate habere debet medium se tuendi contra injuriam, et jus suum vindicandi; interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Quippe, cum altiora desint tribunalia ad quæ Nationes seu Principes recurrere queant, solum superest ut ad satisfactionem ab alia societate obtinendam bello utantur. — *S. Thom., 2. 2, q. 40, art. 1, et alii.*

II. Ad bellum justum et licitum, sequentia necessario requiruntur :

1° *Auctoritas legitima*, id est suprema, nullum alium Superiorem in civilibus agnoscens. Ratio est, quia ubi major auctoritas habetur hæc de lite judicare debet.

2° *Causa justa et gravis*, quæ sit præponderans incommodis ex bello secuturis, v. gr., regnum vel provincia recuperanda, aut injuria gravis Republicæ propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda, etc.

3° *Debitus bellandi modus*, scilicet ut ante bellum a parte adversa requiratur condigna satisfactio; quæ si offeratur, ex justitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse justum. — *S. Thom., ibid. — Billuart, etc.*

Quæsitæ.

408. — QUÆR. 1° *An liceat bellum gerere cum probabilitate sui juris?*

Resp. : *Controvertitur.* Sed pars negativa est *longe probabilior*, saltem *intrinsece et practice.* Ratio est, 1° quia possessor bonæ fidei nequit re possessa exspoliari, nisi constet eum injuste illam retinere; 2° quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, ut sunt cædes, injustitiæ, morum corruptelæ et alia hujusmodi, quæ bellum ordinarie subsequuntur, requiri videtur moralis certitudo juris sui. — *S. Lig. n. 404, Tamburini, Billuart, contra plures, quorum alii majorem tantum probabilitatem, alii vero æqualem sufficere autumant.*

QUÆR. 2° *An milites belligerare possint cum dubio de justitia belli?*

Resp. 1° : Si agatur de milite subdito, tenetur obedire, ubi bellum non est evidenter injustum, quia ad ipsum non pertinet rationes Superiorum examinare:

2° Si agatur de milite conducto ante bellum declaratum, potest obedire; ad hoc enim conducitur : unde fere ac si esset subditus, se gerere debet.

3° Si agatur de milite nondum conducto, tenetur inquirere de belli justitia, nec in dubio de justitia se locare potest. Ratio est, quia nemo potest cooperari ad spoliandum alterum re quam possidet, nisi sit certus injuste eam ab illo possideri. — *S. Lig. n. 408.*

QUÆR. 3° *An liceat Principibus catholicis in bello justo advocare in auxilium hæreticos et infideles?*

Resp. *Affirm. per se*, saltem *speculative loquendo*, modo absit scandalum, et Fidei periculum. Sed, ait *S. Lig. n. 406*, plerumque, per accidens, est illicitum ob damna Religioni imminentia.

QUÆR. 4° *An nocentes vel innocentes a victore occidi possint?*

Resp. : 1° Occidi aliquando possunt nocentes, seu milites qui pugnaverint, si hoc ad pacem et securitatem stabiliendam aut injuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitæ servandæ se dederint. Sed hoc a moribus nostri temporis prorsus alienum est.

2° Innocentes autem, id est mulieres, senes, peregrini, Clerici, Religiosi, etc., *directe* occidi non possunt, nisi constet illos fuisse belli socios. Possunt tamen *indirecte* occidi, non adhuc completa pugna, si cum nocentibus sint permixti, ita ut salvis istis reliqua nocentium turba, quam destruere opus sit, interimi non possit. — *S. Lig. n. 409.*

Resolves.

409. — 1° Milites in bello injusto ne defensionis quidem causa licite possunt hostes occidere; si fugere nequeant, curare debent ne ictibus suis feriant. Ipsi enim sunt injusti aggressores, et jura contraria in eadem re dari nequeunt. — *Lacroix, et alii communiter.*

2° Princeps, perspecta belli justitia, eam proponere debet parti adversæ, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur; imo etiam inceptum bellum, oblata satisfactio adæquata, relinquere tenetur, sin minus ex rigore justitiæ, saltem plerumque ex caritate, modo pars altera omnes expensas jam factas compensare velit, nec ad bonum publicum necesse sit ut ejus petulantia retundatur.

3° Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallaciis decipiantur, et in discrimina conjiciantur. Hæc enim non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii; cum media illa in bello adhiberi soleant: sic licet fingere fugam, uti vexillis hostium, etc. Illicitæ autem sunt fraudes quæ nulla prudentia possunt præcaveri, v. gr., veneno inficere puteos et fontes, etc.; hæc enim, sensu communi, contra jura belli pugnant. — *S. Lig. n. 410.*

4° Licet in bello justo urbes et arces obsidere, tormenta contra illas explodere, imo aliquando monasteria et ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si, v. gr., hostes ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam in prædam dare, sed non nisi ob gravissimas rationes. — *S. Lig., ibid.*

5° Duces exercitus et milites summopere præcavere debent ne excedant post victoriam in victis puniendis: sunt enim legitimæ ministri vindictæ, non vero latrones et sicarii; præsertim vitare debent quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

6° Duces et milites lædere nequeunt legatos partis adversæ, quia jure Gentium ubique sunt inviolabiles; nec mittere possunt speculatores qui Principem aut Ducem exercitus vel alios regni Primates occulte trucident; quia hoc, ex omnium consensu, ad perfidiam pertinet.

DE VI ET IX DECALOGI PRÆCEPTO

Non mæchaberis. — Non desiderabis uxorem ejus (proximi).

Exod. xx, 14.

410. — Juvat imprimis referre, ac propria nobis facere verba *S. Ligorii* in principio *Tract. de sexto Præcepto* :

Nunc ægre materiam illam tractandam aggredimur, cujus vel solum nomen mentes hominum inficit... Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum hæc sit frequentior atque abundantior confessionum materia, propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur, hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum quemadmodum et alium de debito conjugali..., legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini immaculatæ sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.

411. — Sextum Decalogi præceptum prohibet quamlibet luxuriam externam, id est opere patratam. — Nonum vero præceptum prohibet etiam luxuriam mere internam, impudicas nempe delectationes, ac desideria.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereæ, et consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione spirituum generationi inservientium. Non est igitur confundenda cum delectatione mere sensibili, quæ oritur ex proportionem objecti sensibilis ad sensum aliquem, v. gr., objecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, etc. Alia idcirco est materia seu objectum luxuriæ, alia sensualitatis. Delectatio sensibilis aut culpa vacat, aut veniale, saltem plerumque et *per se*, non excedit.

Variæ sunt luxuriæ species, prout diversa sunt ejus objecta. Sic specie differunt tactus et aspectus impudici; actus solitarii, et actus cum aliis exerciti; actus consummati, et non consummati; item actus consummati juxta naturam, et actus consummati contra naturam. Hæ autem species alias etiam subordinatas seu inferiores species sub se continent, ut ex dicendis patebit.

Luxuria alia est *directe* quæsitæ, alia *indirecte*. Prior habetur, quando voluptas carnalis præcise in se intenditur; posterior vero, quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis præter intentionem suboritur, ut fit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis.

Principia generalia.

412. — I. Luxuria cujusvis generis, vel speciei est *per se* grave peccatum. Ratio est, 1^o quia graviter pugnat contra naturam. Usus enim rei venereæ ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem et propagationem generis humani; non potest igitur usurpari extra matrimonium (imo ne in matrimonio quidem nisi debito modo) sine gravi recti ordinis perturbatione; 2^o quia sub gravi a Deo naturæ Auctore prohibetur, ut ex innumeris S. Scripturæ locis constat; sic Galat. v, 19: *Opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria...*, quæ prædico vobis sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

II. Luxuria *directe* voluntaria in quovis genere nunquam parvitatem

materiæ admittit. Ratio est, quia quævis ejusmodi delectatio est ex natura sua inchoata pollutio seu motus ad pollutionem, quæ ipsa nihil aliud est quam consummata ejusmodi delectatio. Ergo eadem est utriusque malitia. Pollutio autem non admittit parvitatem materiæ, uti constat ex principio præcedenti. Ergo. — Constat etiam ex propositione 40^a ab Alexand. VII damnata, quæ sic jacet: *Est probabilis opinio quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*

III. Luxuria autem *indirecte* voluntaria admittit parvitatem materiæ; quia nullus tunc est consensus seu directa intentio in voluptatem veneream, sed tantum in causam quæ leviter vel graviter est peccaminosa, prout leviter vel graviter in delectationem influit. — *Ita omnes.*

Agendum nobis hic est de peccatis *externis* tantum; de *internis* enim, seu de *morosa delectatione* et *pravo desiderio*, jam dictum est in *Tract. de Peccatis, n. 467 et seq.* Hinc: 1^o de peccatis non consummatis; 2^o de peccatis consummatis dicemus.

CAPUT I

DE PECCATIS LUXURIÆ NON CONSUMMATIS

Peccata hujus generis sunt oscula, tactus, aspectus, sermones et lectiones turpes.

ARTICULUS I

DE OSCULIS ET TACTIBUS IMPUDICIS

Statuenda.

413. — I. Tactus impudici, id est habiti sine causa in partibus inhonestis alterius, vix unquam a peccato mortali excusari possunt, etiam secluso affectu venereo, ob gravem indecentiam, et imminens libidinis periculum, quod inducunt. Facilius tamen excusantur a mortali, si in ejusdem quam si in diversi sexus persona fiant. — *S. Lig. n. 419, 420.*

II. Oscula et tactus in partibus honestis vel minus honestis constituunt peccata mortalia, si ex delectatione venerea fiant; sunt venialia, si fiant ex levitate, joco, curiositate, etc.; carent vero omni culpa, si fiant juxta morem patriæ, urbanitatis aut honestæ benevolentiae causa. Ratio horum *per se* patet. — *S. Lig. n. 417.*

414. — III. Tactus et oscula etiam in partes honestas non facile a peccato gravi excusanda sunt, si sæpius vel morose exercentur a juvenibus, potissimum diversi sexus, absque ulla necessitate, quamvis ob solam voluptatem organicam. Ratio est, quia ab hujusmodi actibus repetitis vel morosis commotio carnalis et delectatio venerea raro aberit. — *S. Lig. n. 416.*

IV. Oscula, tactus et amplexus ob delectationem veneream exercita contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstantiis; censentur enim ejusdem naturæ ac actus consummatus in quem natura sua tendunt. Hinc in confessione explicandum est, an habiti sint cum

eodem vel diverso sexu, cum persona conjugata, etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 417.* — *Lessius, etc.*

Resolves.

415. — 1° Culpa vacant oscula quæ matres aut nutrices infantibus solent infigere. Idemque saltem ordinarie dicito de aliis, qui infantes teneræ ætatis, etiam diversi sexus, secluso pravo quovis affectu, deosculantur.

2° Non statim arguendi sunt de peccato gravi juvenes utriusque sexus qui in nonnullis jocis decenter et sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis ab ejusmodi ludis ob periculum eis adnexum avertendi sint.

3° Sententia *Sanchez, Salmant*, et aliorum asserentium peccata mortalia non esse inter sponsos oscula et tactus pudicos, licet intendatur delectatio carnalis, et adsit levis commotio spirituum genitalium, secluso periculo pollutionis, vel consensus in copulam, habetur ut practice improbabilis a *S. Lig.*, qui ait longe probabiliorem, etiam speculative, et omnino sequendam esse sententiam docentem, tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo quo vetantur solutis. Ratio est, quia sponsi nondum jus mutuum habent in corpora, neque etiam jus habent ad copulam, ad quam solam tales actus ordinantur. — *S. Lig., l. VI, n. 854.*

4° Mortalia vero haberi fere debent oscula in partes minus usitatas corporis, præsertim inter personas diversi sexus, v. gr., pectori, etc., vel etiam, si fiant morose in os, lingua præsertim introducta; item si sint diuturna, repetita, etc. — *S. Lig. n. 417.*

416. — 5° Non peccant *per se*, qui se tangunt ad abstergendas corporis sordes, vel ad pruritus sedandum, aut ad infirmitates curandas; si tamen sit tolerabilis pruritus, suadendum est, ut a tactibus abstineant. — *S. Lig., Hom. apost., n. 3.* — Si vero tactus proprii corporis sine causa fiant, veniale non excedunt, quando, secluso affectu venereo, obiter tantum, et ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt admodum incentivi. — *S. Lig. n. 419.*

6° Tactus in verendis ejusdem sexus aut partibus vicinis, etiam super vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, joco, levitate, et obiter fiant. — *S. Lig. n. 420.* — Idem fere dicendum de tactibus reciprocis mulierum in mamillas, etiam super vestes: quia ob sympathiam harum partium cum tactu, adest proximum delectationis venereæ periculum.

7° A *fortiori*, excluso necessitatis casu, excusari nequeunt a peccato mortali tactus in verendis diversi sexus, etiam brevi tempore habiti; quippe vix ab alia præter libidinem causa procedere queunt, et, præterquam quod maxime indecentes sunt, proximum per se pollutionis aut venereæ delectationis periculum creant. — *S. Lig. n. 420. Probabiliter* tamen arguendæ non sunt de peccato gravi ancillæ quæ tangunt pudenda infantium, dum eos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant. — *Lacroix, n. 902.* — *S. Lig., ibid.*

8° Veniale non excedit, *per se* loquendo, tangere leviter et absque mora digitos, manus, vultum personæ diversi sexus, secluso pravo fine, atque

omni affectu et periculo libidinis, si hæc, v. gr., ex mera levitate fiant, nec periculum speciale ratione propriæ vel alterius fragilitatis adnexum habeant.

Cæterum, cum in materia tam lubrica non semper facile pateat, quid veniale sit, aut mortale, et aliunde cum non raro proximum adsit periculum graviter delinquendi etiam in iis quæ leve peccatum *per se* non excedunt, v. gr., si crebro et cum mora fiant inter personas ad libidinem proclives; quam maxime Confessario satagendum est, ut pœnitentes præsertim juniores a quibusvis tactibus cum diverso sexu removeat.

ARTICULUS II

DE ASPECTIBUS OBSCŒNIS

Statuenda.

417. — I. Aspectus turpes sine causa sufficienti sunt graviter aut leviter peccaminosi juxta intentionem agentis, turpitudinis gradum, et consensus venerei periculum. Facilius a gravi reatu excusantur in se quam in aliis, quia propria minus movent, quam aliena. Item facilius excusantur, si agatur de persona ejusdem sexus, quam sexus diversi, quia minus ad libidinem provocant.

II. Aspectus graviter impudici sine gravi causa, præsertim quoad personas diversi sexus, a peccato mortali non sunt *per se* excusandi, licet affectus venereus absit; quia fere proximum libidinis periculum procreant, ut supra de tactibus pravis dictum est. — *S. Lig. n. 421.* — Generatim tamen facilius a gravi peccato excusantur aspectus quam tactus turpes, quia minus in libidinem influunt.

QUÆR. *An aspectus, non secus ac tactus, induant malitiam circumstantiarum personæ quæ turpiter aspiciuntur?*

Resp. Neg. probabilius, si absque ullo desiderio fiant. Ratio est, quia non censentur proprie natura sua in actum consummatum tendere. — *S. Lig., ibid.; — Lacroix, ibid.* — Hinc aspectus personæ consanguineæ vel conjugatæ, aut sacræ, non induit malitiam incestus, adulterii, aut sacrilegii.

Resolves.

418. — 1^o Excusantur *per se* a mortali personæ ejusdem sexus, quæ se nudas leviter aspiciunt simul natantes aut se lavantes, præsertim si impuberes sint. — *Ita communiter.*

2^o Aspectus in verenda diversi sexus aut in partes vicinas ordinarie sunt peccata mortalia, nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus; quia aspectus hujusmodi aut a libidine oritur, aut certe proximum periculum peccandi inducit. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. — *Ita communiter.* — *S. Lig., n. 421.* — Excipiunt, 1^o si aspiciens sit puer vel valde senex, aut valde frigidus, quia isti parum moventur; 2^o si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. Unde non censentur graviter peccare ancillæ et nutrices quæ pueros sibi commissos sic aspiciunt, nisi morose vel iteratis vicibus pravoque affectu id faciant.

3° Aspectus in partes honestas personæ diversi sexus, etiam pulchræ, *per se*, non sunt peccata; si autem ex curiositate vel cum morositate aliqua fiant, peccata venialia *ordinarie* erunt; a mortali verò non excusabuntur aspectus diuturni, si proximum periculum involvant turpis concupiscentiæ vel morosæ delectationis; præsertim si commotio spirituum insurgat et *a fortiori* si persona inordinato amore diligatur. — *Ita cõmuniter.* — *S. Lig. n. 422.*

4° Aspectus in partes minus honestas sed non turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, non sunt *per se* peccata mortalia, secluso tamen proximo pravi consensus periculo, quod alioquin facile aderit, si aspectus sit diuturnus. — *S. Lig. n. 423.* — A mortali vero generatim non excusabis eos qui ubera mulieris pulchræ nuda cum mora notabili sine causa aspiciunt, ob periculum hujusmodi aspectui adnexum. — Nec graviter peccant qui, secluso speciali periculo, matres aut nutrices infantulos lactantes aspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris vetulæ aut junioris non adhuc formatae oculos figunt.

5° Aspectus picturarum obscænarum ex mera curiositate ut mortalia non habentur, si delectatio turpis aut ejus proximum periculum absit. — In praxi tamen vix a mortali posset excusari vir aspiciens pudenda mulieris depictæ, quia difficulter cavere poterit a delectatione turpi, nisi forte per brevissimum tempus aut in magna distantia fiat, aut nisi picturæ vetustas vim artificiî imminuerit. *S. Lig., n. 424.* — *Billuart* autem cum *aliis* excusat a mortali, si aspectus fiant ex levitate, obiter, ex curiositate, aut si picturæ infantes tantum repræsentent, quia picta non commovent sicut naturalia; et hoc improbable non videtur, nisi forte ob aspicientis fragilitatem aliter judicandum sit.

ARTICULUS III

DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS IMPUDICIS

Principia.

419. — I. Turpia loqui, canere, scribere, audire delectationis veneræ causa vel cum proximo periculo consensus in illam, est grave peccatum. — Si vero absit prava intentio et periculum consensus, simulque adsit legitima causa talia proferendi, scribendi, audiendi, nullum est peccatum.

II. Libros omnino obscænos legere absque justa causa est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis gratia fieri id videatur; quia *per se* hæc lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate, ob ætatem provectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi, grave libidinis periculum non incurrant. — *S. Lig. n. 426.*

III. Libros amatorios et leviter obscænos legere *per se* non est mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum præsertim junioribus. Libros autem quadamtenus obscænos, de scientiis alioquin tractantes, ex solo scientiæ vel utilitatis propriæ vel alienæ intuitu legere *per se* non est peccatum, secluso tamen consensus venerei periculo, quod alioquin in junioribus raro aberit.

Resolves.

420. — 1° Graviter peccant generatim qui sermones permiscunt etiam ex levitate de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem..., præsertim si inter juvenes diversi sexus id fiat.

2° Graviter peccant qui etiam sola verba turpia proferunt, si id faciant ob delectationem captam ex ipsa rerum turpium cogitatione. Nec a gravi excusantur, qui jocandi prætextu verbis æquivocis, sed satis notis, eadem ob eam delectationem expriment. — *S. Lig. n. 426.*

3° Graviter etiam peccant qui ob jactantiam narrant propria peccata turpia, et quidem ordinarie tripliciter, peccato nempe complacentiæ, scandali, et jactantiæ de peccato commisso.

4° Non est *per se* mortale proferre turpia quidem sed non graviter obscœna, si fiat breviter, per jocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dictoria turpia, quæ proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus, quia ad merum jocum ordinarie dicuntur et audiuntur. — *S. Lig. n. 426.*

5° Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, præsertim si sint diuturna, sæpe repetita, aut in locis solitariis fiant. — *S. Lig. n. 422, 426.* — Quid ergo judicandum de amoribus, ut vocant, præsertim inter juniores? — Non sunt indiscriminatim omnes culpæ mortalis damnandi; quamquam ordinarie occasio proxima lethaliter peccandi difficulter aberit, saltem in progressu accedentibus quibusdam adjunctis, ut si adamantes omnino soli præsertim per longius tempus aut noctu, etc., conveniunt. — *S. Lig., Praxis Conf., n. 65.*

6° Non peccant graviter qui ex mera curiositate legunt libros lepidos, quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt, ut sunt multæ comœdiæ vel poemata. — Si vero ob causam legitimam, v. gr., ad discendum aut ad acquirendam eloquentiam id faciant, nullatenus peccant.

CAPUT II

DE PECCATIS LUXURIÆ CONSUMMATIS

ARTICULUS I

DE PECCATIS CONSUMMATIS JUXTA NATURAM

§ I. *De fornicatione.*

421. — Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Fornicatio est graviter prohibita jure naturali et divino positivo, ita ut a peccato gravi excusari nunquam possit. Constat: 1° ex Scriptura, I Corinth. vi, 9: *Neque fornicarii regnum Dei possidebunt.* — Ephes. v, 3:

Omnis fornicator aut immundus... non habet hæreditatem in regno Christi.
 — 2º Ex ratione : nam si fornicatio permitteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione derelinqueretur, unde et subversio ordinis socialis necessario sequeretur.

Ad fornicationem referuntur : 1º concubinatus, qui est commercium habituale soluti cum soluta ; — 2º meretricium, quod est status mulieris omnibus prostitutæ.

Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in confessione declaranda, cum *per se* speciem peccati non mutet. *Per accidens* autem sæpius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque Confessario interroganti aperienda est. — *S. Lig. n. 432.*

§ II. De adulterio.

422. — 1º Adulterium est copula cum alterius conjuge, seu est accessus ad *torum* non suum.

2º Adulterium præter peccatum contra castitatem aliud includit contra justitiam. Patet ex ratione, constatque ex variis sanctæ Scripturæ locis.

3º Adulterium committitur, etiamsi alter conjux consentiat ; quia in omni casu violantur jura Sacramenti et contractus indissolubilis ; quæ quidem jura natura ipsa exigit, ut prorsus inalienabilia sint.

4º Adulterium inter duos conjugatos duplex est, et duplicis tori violatio, ac proinde circumstantia hæc in confessione exponenda est. — *S. Ligor. n. 445.*

§ III. De incestu.

423. — Incestus est concubitus cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos.

Incestus specie differt ab aliis luxuriæ peccatis, quia graviter repugnat reverentiæ naturali debitæ parentibus, et consequenter personis quæ proxima conjunctione sanguinis aut affinitatis eis devinctæ sunt. — *S. Ligor. n. 448.*

Utrum specie differat incestus cum consanguineis et incestus cum affinibus, et rursus utrum specie differat incestus pro vario affinitatis et consanguinitatis gradu, atque adeo utrum gradus necessario in confessione exprimendus sit, in *tractatu de Pœnitentia*, ubi de circumstantiis peccatorum aggravantibus, dicemus.

§ IV. De sacrilegio.

424. — Sacrilegium, quatenus est luxuriæ peccatum, est violatio personæ vel loci sacri per actum venereum.

Sacrilegium, præter peccatum contra castitatem, complectitur etiam peccatum contra Religionem seu contra reverentiam Deo, atque adeo locis sacris debitam.

Resolves.

1° Duplex sacrilegium committit persona Deo consecrata cum alia ejusdem conditionis peccans; quia dupliciter Religionem offendit. — *S. Lig. n. 456.*

2° Sacerdos simul et Religiosus, qui contra castitatem peccat, *probabilius* non committit duplex sacrilegium; — quia, quamvis ex duplici titulo maneat obstrictus voto castitatis, tamen contra idem præceptum formale seu ex eodem motivo impositum peccat. — *S. Lig. n. 455.*

3° Sacrilegus est qui personam sacram ad peccatum luxuriæ consilio inducit, licet ipse cum ea non peccet; quia ejus peccato cooperatur.

4° Pollutio voluntaria in ecclesia est sacrilegium, quamvis secreta sit, et quamvis ecclesia reconciliatione non indigeat, prout in pollutione notoria indiget.

5° Tactus leviter turpes in ecclesia, juxta communiorem sententiam, non sunt sacrilegia, quia ex eis non resultat magna irreverentia in locum sacrum. Secus vero, si sint enormiter graves. — Si autem sint simpliciter graves, duplex datur sententia: ut *absolute probabilius* affirmat *S. Lig.*, quia tactus inhonesti eandem malitiam habent quam ipsa copula, et licet his actibus non violetur ecclesia, ipsi tamen gravis irreverentia irrogatur. Idem dicit de verbis et aspectibus graviter obscænis *S. Auctor, n. 459-461, et Hom. apost., n. 22.* — Actus vero interni, seu cogitationes, vel desideria prava habita in ecclesia non sunt sacrilegia, si desideria peccandi externe in ipsa ecclesia excipias. — *S. Alph., n. 462, et Hom. apost., ibid.*

§ V. De stupro.

425. — Stuprum lato sensu dicitur quivis concubitus illicitus. Sensu proprio, quatenus a theologis habetur tanquam species distincta luxuriæ, definitur ex jure Canonico: illicita virginis defloratio. Ita *c. Lex illa, caus. 36, q. 1.* — Deflorari autem dicitur virgo, quæ congressu viri naturali ac opere consummato prima vice corrumpitur.

Stuprum vi consummatum, præter peccatum grave contra castitatem, involvit etiam culpam gravem contra justitiam, in confessione necessario aperiendam. — *S. Lig. n. 443.*

Resolves.

426. — 1° Stuprum est fornicari cum virgine amente, ebria aut dormiente, quia violatur sine ejus consensu, et proinde gravis ei inferitur injuria.

2° Juxta communiorem et probabiliorem sententiam, non est stuprum fornicari cum virgine plane consentiente, seu nullatenus invita, etsi prima vice corrumpatur; quia stuprum, ratione dumtaxat formalis injuriæ integritati virginis illatæ, potest esse et dici peccatum speciale contra castitatem. Atqui in casu virgo, quæ domina est sui corporis quoad liberum illius usum, sponte juri suo cedit. Ergo... Hinc

3° Circumstantia virginitatis puellæ, quæ violata est, si ipsa in rem con-

senserit, *probabilis* non est *per se* in confessione declaranda, quia stuprum tunc non habetur, sed mera fornicatio.

4^o Non tamen ad stuprum requiritur ut vis seu violentia physica inferatur; satis est enim ut puellæ alioquin invitæ consensus extorqueatur minis, fraude, dolo aut repetitis ac importunis precibus, quæ ejus constantiam vincant.

Cæterum advertit sapienter *Lessius*, posse virginis plane consentientis violationem, quamvis specialem stupri malitiam non contineat, specialem et gravem culpam continere in confessione aperiendam, ratione mœroris et infamiæ quam parentibus ac familiæ affert.

§ VI. De raptu.

427. Raptus lato sensu, id est quatenus hoc habet tantum, quod theologice et in foro interno requiritur ut sit distincta luxuriæ species, definitur: *violentia illata personæ, aut iis quorum potestati subest, explendæ libidinis causa.* — *Sanchez, de Matrim. l. VII, d. XII, n. 30.* — *Tolet., Salmont., etc.*

Strictiori sensu, quoad forum externum et quatenus pœnis subjicitur a jure statutis, est *violenta personæ abductio e loco tuto ad locum non tutum ipsi aut iis illata, quorum potestati subest, explendæ libidinis vel matrimonii contrahendi causa.* — *De raptu intuitu matrimonii agemus in tract. de Matrimonio.*

Violentia in utraque definitione intelligitur sive physica sive moralis seu per metum gravem illata; persona autem, quoad culpam theologicam, intelligitur quælibet, masculus vel femina, innupta, nupta vel vidua, honesta vel meretrix; quoad forum externum et pœnas subeundas, quælibet etiam, modo sit honestæ vitæ. — Hinc in omni stupro invenitur malitia raptus, sed non vice versa.

Quoad raptum hæc teneto :

1^o Raptus est peccatum speciale, quamvis pravus actus libidinis non sequatur; quia consistit præcipue in injuria quæ infertur per violentiam illatam libidinis causa.

2^o Si post raptum desiderium libidinis expleatur, non libidinis dumtaxat peccatum, fornicatio nempe, adulterium, sodomia, etc., sed ipse raptus in confessione omnino declarandus est.

3^o Non est censendus raptus, si mulier plene consentiat tum abductioni tum violationi, nisi tamen sit *minor* et simul ejus parentes seu tutores aut curatores invite hoc patiantur. Raptus autem aderit, si abductioni tantum et non violationi, aut violationi et non abductioni consensum præbeat. — *S. Lig. n. 444.*

De excommunicatione in raptos fœminarum dicitur in tractatu de Censuris.

ARTICULUS II

DE PECCATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM

Triplex eorum species datur : 1^o pollutio ; 2^o sodomia ; 3^o bestialitas. His adnumerandus est etiam *onanismus*, seu peccatum *Onan*, quod est copula

incepta, sed exterius consummata vitandæ generationis gratia, sive inter conjugatos id contingat, sive inter alios. Sed de nefario hoc peccato dicemus in *tract. de Matrim.*, ubi de conjugali debito.

§ I. De pollutione.

428. — Pollutio est seminis effusio sine congressu cum alio. Pollutio voluntaria, de qua sola agimus, est vel directe vel indirecte quæsitæ. Dicitur etiam mollities. Differt autem a distillatione, quæ est effusio levis alterius humoris subtilioris. In pollutione semen ordinarie cum vehementi delectatione magnaque commotione ejaculatur; distillatio autem cum nulla ordinarie aut levi admodum delectatione et commotione habetur.

Principia.

429. — I. Pollutio *directe* et *perfecte* voluntaria est semper peccatum mortale, ita ut nunquam illam procurare liceat. Ratio est, 1^o quia pollutio intrinsecam habet repugnantiam cum natura, quæ seminis effusionem unice ad generationem ordinavit; 2^o quia si aliquando permissa, aut tantum sub veniali prohibita foret, facillime ob tantam naturæ corruptæ in luxuriam proclivitatem habitus pollutionis contraheretur, et proinde ordo naturæ brevi subverteretur; 3^o constat ex variis sacræ Scripturæ textibus, v. gr., I Cor. vi, 10: *Neque molles... regnum Dei possidebunt*; 4^o constat etiam ex proposit. 49^a ab Innoc. XI damnata, quæ sic se habet: *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona... Vide S. Lig. n. 476.*

II. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria est peccatum grave, quoties causa proxima, id est per se directe et natura sua ad pollutionem tendens, v. gr., cogitationes morosæ de rebus valde libidinosæ, etc., sine justa ratione ponitur (*Scav. — S. Lig. n. 482*); est autem veniale quoties causa, quæ ponitur, est remota tantum, seu talis, ut ipsi periculum *per accidens* vel raro adjungatur. — *Ita communiter.* — Ratio utriusque patet. *S. Lig. n. 484.*

III. Pollutio *indirecte* voluntaria omni peccato caret, quoties habetur ratio sufficiens causam ejus ponendi, consensu seu affectu voluntatis in consequentem voluptatem secluso. Ratio est, quia ubi sequuntur duo effectus ex eadem causa ex se indifferenti, unus malus et bonus alter aut æquivalens, licet ponere causam intendendo bonum et permittendo malum. Major autem ratio pro majori periculo requiritur. — *Recole dicta de Act. hum. n. 9. — Vide S. Lig. n. 483.*

Resolves.

430. — 1^o Pollutio omnino involuntaria nullo modo est peccaminosa, ut patet. Hinc omni culpa vacat pollutio quam pati potest medicus, chirurgus, vel Confessarius munera officii sui obeundo, modo pura agat intentione nec consensum ullum delectationi præbeat.

2^o Pariter culpa vacat pollutio nocturna, quia a voluntate libera non ori-

tur, nec ullus ei præbetur assensus, ut supponitur, sed nec animum quidem libidinosum semper denotat, cum ex multis causis naturalibus possit provenire, v. gr., ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum aut dispositione nervorum. Mortalis autem erit vel venialis, si ante cubitum fuerit causata et prævisa, pro majori vel minori advertentia et causæ influxu. Sic pravæ cogitationes voluntariæ, prava colloquia, et alia ejusmodi somnum præcedentia illam mortalem facile reddent. Venialem autem tantum efficiet ordinarie intemperantia in cibo vel in potu, etc. Pariter censeri non debet mortalis pollutio nocturna quæ fit cum imperfecta voluntate et libertate, ut quandoque in semisopitis accidit; judicandum autem est, nullum consensum affuisse, vel ad summum valde imperfectum, quando ordinarie in statu vigiliæ displicet; quia ex ordinarie contingentibus judicandum est. Idem etiam de tactibus nocturnis teneto.

431. — 3^o Pollutio quæ subsequitur ex tactu, aspectu, vel lectione graviter turpi, est peccatum mortale etiam secluso actuali consensu, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia tunc pollutio est voluntaria saltem in causa, cum hæc *per se* grave pollutionis periculum inducant. Peccatum autem veniale erit tantum, si hæc leviter turpia sint, modo pollutio præter agentis intentionem et contra ejus voluntatem saltem directam sequatur; quia tunc in his non datur periculum proximum consensus neque in pollutionem, neque in veneream delectationem. Attamen periculum *in se* remotum potest *per accidens* alicui ratione propriæ infirmitatis proximum evadere. — *S. Lig. n. 482-485.*

4^o Omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva, est pollutio et proinde peccatum mortale. — *Lacroix, de Pœnit., n. 1034.* — Item mortale est acquiescere delectationi pollutionis etiam brevissimo tempore, et etiam si præter intentionem et sponte ex quacumque causa accidat. — *S. Lig. n. 477. A fortiori* si pollutio incepta conatu aliquo promoveatur.

5^o Qui causavit pollutionem in altero, debet explicare in confessione, an hic sit persona sacra, cognata, etc.; quia malitiam sacrilegii contraxit, vel incestus, etc. — *S. Lig. n. 476.*

6^o Peccatum non est *per se* equitare rationabilis recreationis causa, certo situ in lecto cubare, temperate sumere cibos calefactivos, ex honesta causa loqui cum altero sexu, infirmis inservire, eos in balneis adjuvare, artem chirurgicam exercere, et similia; quamvis prævideatur *per accidens* secutura pollutio, modo non intendatur, et firmum adsit propositum ei non assentiendi, si accidat, et absit proximum consensus periculum. — *S. Lig. n. 483.*

432. — 7^o Distillatio voluntaria, etiam tantum indirecte, si notabilis sit seu cum notabili spiritu genitalem commotione fiat, peccatum mortale esse potest; quia est gravis deordinatio, et proximum pollutionis periculum inducit. Si vero parva sit et absque notabili commotione, distinguendum est: 1^o Si *directe* voluntaria sit, nec a mortali potest excusari; quia quæcumque distillatio semper, vel ut plurimum, secum fert commotionem et aliquam seminis effusionem. 2^o Si *indirecte* tantum voluntaria sit, facile etiam ab omni peccato excusabitur; quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissionem cujuscumque alterius excrementi quo natura se exonerare solet. — Ita expresse *S. Lig. n. 477.*

8^o Motus inordinati cum venerea delectatione, sive *graves* sive *leves*,

sunt peccata mortalia, quoties sunt *directe* voluntarii, vel etiam quoties sponte obortis adhæret voluntas; quia tunc adest venerea delectatio in se quæsita, quæ materiæ parvitatem nunquam admittit. — Si autem a voluntate non pendeant neque in se neque in causa, ut sæpe contingit, nullusque consensus eis præbeatur, ab omni peccato sunt immunes. — Denique, si eorum causa libere ponatur, quin intendantur, de iis sicut de pollutione *indirecte* voluntaria, data tamen debita proportione, dicendum est. Hinc causa levis motuum facile excusabit a gravi peccato, cum id asserant communiter DD. de ipsa pollutione cum *S. Ligor. n. 484.* — Facilius enim poni potest causa talium motuum, quam pollutionis, ut patet.

9° Licet alicui pruritus magnum patienti in verendis illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, dummodo pruritus ille ex sanguinis acrimonia, ut ordinarie evenit, non vero ex libidinis ardore proveniat. Si enim accidat pollutio, secluso consensus periculo, *per accidens* et proinde inculpabiliter accidit. Cæterum adhortandi sunt pœnitentes, ut, in quantum fieri sine gravi molestia potest, ab hujusmodi tactibus temperent. — *S. Lig. n. 483.*

§ II. De sodomia.

433. — Horrendum sodomiae crimen est concubitus cum persona ejusdem sexus, vel diversi, sed in vase indebito.

Hinc duplex sodomia distinguitur: 1° *perfecta*, quæ est concubitus cum persona ejusdem sexus; 2° *imperfecta*, quæ est concubitus cum persona diversi sexus extra vas naturale, vel cum affectu ad vas innaturale.

Sodomia est crimen multo gravius pollutione simplici. Constat ex horrore quem apud omnes excitat, tum etiam inauditis pœnis a Deo inflictis Sodomæ et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.

Resolves.

434. — 1° Sodomia perfecta specie differt ab imperfecta, quia per illam homo inordinate fertur in sexum et vas indebitum, dum e contrario per istam fertur tantum inordinate in vas indebitum. Hinc, nisi superior contrarium declaret, nomine sodomiae simpliciter dictæ prior tantum intelligitur, ubi agitur de pœnis, censuris aut casuum reservatione. — *Vide S. Lig. n. 471.*

2° Coitus viri in vase indebito mulieris est sodomia imperfecta, specie tamen distincta a perfecta.

3° Non tamen sodomia dicenda esset, si fieret tantum applicatio manus, aut pedis ad partes genitales alterius, quia nullus esset concubitus.

4° Probabilius *per se* non est declarandum quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est. — *Billuart, cum aliis.* — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. — *S. Lig. n. 468.*

§ III. De bestialitate.

435. — Infandum et execrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia. Gravissimum est inter luxuriæ peccata, quia naturæ rationali maxi-

me repugnat. Morte puniebatur in lege Mosaica: *Qui cum jumento aut pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite.* Exod. XXII, 19. Peccatum istud est etiam horribilius ipsa sodomia, et specialis ejus deformitas in accessu ad speciem diversam consistit. — *S. Lig. n. 474.*

436. — Tactus impudici cum bestiis, quamvis non sint peccata bestialitatis proprie dicta, sunt tamen declarandi, quando aliqua venerea delectatio ex eis quæritur. Non autem videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua jumento, aut alterius bestię, voluptatem veneream aut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in confessione, cujus speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 474.*

Hic autem adverte, valde cautum, prudentem et parcum debere esse Confessarium in interrogandis pœnitentibus de luxurię peccatis, imprimis de iis quę magis horrenda et inconsueta videntur. Vide regulas infra tradendas in *tract. de Pœnitentia*, ubi de Confessarii muneribus.

DE VII ET X DECALOGI PRÆCEPTO

Non furtum facies. — *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quę illius sunt.* Exod. XX, 15, 17.

Septimum Decalogi præceptum prohibet omnem injustitiam externam in bonis fortunę proximi. — Decimum vero etiam peccata interna concupiscentię, id est desiderii honorum proximi et actionis injustę, vetat. De variis injustitię peccatis circa bona fortunę dicemus in *tractatu particulari de Justitia et Jure.*

DE VIII DECALOGI PRÆCEPTO

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exod. XX, 16.
— *Non falsum testimonium dices.* Matth. XVIII, 20.

437. — Hoc præceptum, quatenus est negativum, prohibet: 1° *præcipue et primario*, ne dicatur falsum testimonium tum in judicio tum extra judicium; 2° *indirecte et secundario*, ne lædatur fama et honor proximi.

Quatenus autem affirmativum est, jubet ut, qualibet sublata simulatione et fallacia, simplex et nuda veritas dicatur. — *Ita Catech. Rom., de 8° præc., n. 2.*

Hinc prohibet: 1° perjurium in proximum; 2° mendacium; 3° detractio- nem; 4° contumeliam; 5° judicium temerarium et suspicionem injuriosam. De singulis dicendum, excepto perjurio, de quo satis in secundo præcepto.

CAPUT I

DE MENDACIO

ARTICULUS I

DE MENDACIO IN GENERE

438. — Mendacium est locutio vel significatio contra mentem cum voluntate fallendi. Si fiat nutibus vel aliquo facto, *simulatio* vocatur, quæ iterum *hypocrisis* dicitur, quando quis alterius personam simulat: v. gr., cum peccator simulat personam justi. *Scav.* — Triplex distinguitur mendacii genus: 1^o *damnosum*, quo mediante injustum damnum alicui infertur; 2^o *officiosum*, quod utilitatis suæ vel alienæ gratia profertur; 3^o *jocosum*, quod fit ex joco et sola nugandi causa.

Principia.

439. — I. Mendacium proprie dictum est semper intrinsece malum. Ratio est, 1^o quia rectæ rationi repugnat vocibus uti contra earum naturalem finem et institutionem; 2^o quia si alios in loquendo decipere liceret, ordo societatis, qui mutuo hominum commercio nititur, omnino subverteretur. Hinc, Coloss. II, 9: *Nolite mentiri invicem.* — *S. Thom.* 2. 2., q. 110, art. 3. — *S. Aug.* lib. de Mendacio et contra Mendacium.

II. Mendacium *damnosum* grave est pro ratione damni quod proximo infertur; ideo obligatio damnum reparandi ex eo sequitur. — *Ita omnes.* — *S. Thom.*, *ibid.*, art. 4.

III. Mendacium *officiosum* peccatum veniale est *per se*, quia in eo gravis deordinatio non apprehenditur. — *Ita omnes.* — A fortiori mendacium *jocosum per se* veniale peccatum non excedit. Imo interdum id, quod mendacium *jocosum* dicitur, omni prorsus culpa vacat; quia non est mendacium *proprie* dictum, sed jocus recreationis causa adhibitus absque ulla intentione alium decipiendi, et proinde non ipsi convenit nostra definitio. Hoc autem tantum admitti potest, quando talia sunt rerum adjuncta, ut audientes facile intelligere possint loquentem tantum *jocari* velle. — *Ita communiter.*

Resolves.

440. — 1^o Non mentiuntur qui asserunt falsum quod credunt verum, sed errant tantum. E contrario mentiuntur qui verum dicunt quod falsum reputant, quia contra mentem loquuntur.

2^o Non sunt mendacia locutiones tropicæ, ironicæ, hyperbolicæ, quæ ut tales facile ab audientibus accipi possunt, et solent. Multo minus parabolæ, quibus tam frequenter ipse Christus utebatur. — *Nec sunt mendacia æquivocationes*, si non impediunt quominus sensus loquentis cognosci queat.

3^o Non mentiuntur qui fabulas conscribunt, vel ex joco dicunt aperte falsa, ut manifestum est.

4^o Ad mendacium referuntur simulatio, hypocrisis, adulatio et inanis jactantia, quæ *per se*, id est independenter a fine intento, et quatenus veritati solum opponuntur, peccatum veniale non excedunt; mortale tamen evadere possunt, seu potius mortale accedere iis potest ob aliam peccati speciem quæ superveniat, prout facilius accidit in simulatione et hypocrisi. — *S. Thom. 2. 2., q. 111.*

ARTICULUS II

DE RESTRICTIONE MENTALI

441. — Restrictio *mentalis* est actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis; unde fit ut vera non sint, nisi sumantur juxta sensum quem in mente loquentis habent.

Restrictio mentalis est: 1^o *pure* seu *stricte mentalis*, si sensus loquentis percipi nullo modo possit, et hæc *proprie mentalis* dicitur; 2^o *late* seu *improprie mentalis*, si sensus propositionis ex adjunctis possit colligi.

Ad restrictionem mentalem revocantur æquivocationes seu amphibologiæ, quæ sunt locutiones habentes ex se duplicem sensum principalem, sed unum magis et alterum minus obvium.

Principia.

442. — I. Numquam licet uti restrictione *pure* seu *proprie mentali*, nec amphibologia humano modo non perceptibili; *a fortiori* non licet cum iisdem jurare, quia est simpliciter mendacium. Constat etiam ex propositionibus 26^a, 27^a et 28^a ab Innocentio XI damnatis. — *S. Lig., de II Præc., n. 152.*

443. — II. Licet aliquando *ex justa causa* uti restrictione *late* id est *improprie mentali*, et verbis æquivocis, quando sensus a loquente intentus *intelligi* possit. Ratio est, quia hoc non est malum *in se*, cum proximus non *proprie* decipiatur, sed *ex justa causa* tantum permittatur ejus deceptio; aliunde ad bonum societatis requiritur ut medium adsit licite celandi secretum; aliquando autem aliud medium non suppetit præter æquivocationem, aut restrictionem *late* seu *improprie* mentalem. — Dixi, *ex justa causa*; quia si usus talium restrictionum absque *proportionata* causa permitteretur, nemo posset aut vellet alteri credere; hoc autem in maximum humane societatis damnum cederet. — *Ita communissime theologo.* — *S. Lig., de II Præcepto, n. 151-152.* — *Lacroix, lib. III, n. 287.* — *Suarez, Lugo, Laymann, Sporer, Elbel et alii innumeri, teste S. Lig., ibid.*

Licet vero uti ejusmodi lata restrictione etiam cum juramento; quamquam major causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit sine judicio usurpandum. — *S. Lig. n. 151.*

Resolves.

444. — 1^o Culpa non caret, qui utitur restrictione etiam non *pure mentali*, aut æquivocatione aliquo modo perceptibili, 1^o si id faciat absque ra-

tionem, sed ex sola intentione decipiendi, quia est abusus signorum; 2º si interrogans habeat jus inquirendi aut imperandi veritatis confessionem, quia juri illi respondet *regulariter* in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate. — *S. Lig. n. 154* — Adde 3º si exinde damnum proximi emergeret contra præceptum Caritatis; 4º quando contractus mutui celebrantur; quo in casu justitia postulat ut verba nude ad mentem contrahentis proferantur. — *Scav., de Actib. relig. extern., c. III, art. 2.*

2º Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *Nescio*; quia Confessarius id nescit scientia communicabili. Imo etiamsi instaret tyrannus et diceret: *An hoc nescis scientia communicabili?* Respondere adhuc posset: *Nescio*. Ratio est, quia tyrannus bene cognoscit se jus non habere de hoc interrogandi, nec Confessarius ut homo intelligit se scire, sed uti vicarius Dei ac proinde scientia incommunicabili.

3º Reus a iudice non *juridice* aut non *legitime* interrogatus potest respondere se crimen non patrasse, subintelligendo, de quo possit inquire, seu quod fateri teneatur. — *S. Lig., l. III, n. 154.*

4º Possunt uti hujusmodi restrictione omnes personæ publicæ interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

5º Potest famulus, jussu domini, negare ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem. — *S. Lig. n. 165.* — *V. Casus, n. 114 et seq.*

CAPUT II

DE DETRACTIONE

1º De vitio detractionis; — 2º de restitutione famæ.

ARTICULUS I

DE VITIO DETRACTIONIS

445. — Detractio est injusta violatio seu denigratio famæ alienæ per verba occulta. — Ita *S. Thomas, 2. 2., q. 73, art. 1.* — Verba intellige quæ sint occulta illi qui denigratur, et quantum est ex natura actus; quia sive in absentem proferantur, ut plerumque fit, sive etiam, ut quandoque evenit, in præsentem, numquam ad ipsum diriguntur vi detractionis, semper autem ad alios; unde ex natura actus dicuntur de præsentem quasi absens esset. Fama autem est bona æstimatio quam alii habent de vita et moribus alicujus.

Detractio dicitur *simpliciter talis*, si fama proximi violetur revelatione

criminis veri; *calumnia* autem denominatur, si famæ violatio ex appositione criminis falsi sequatur.

Detractio variis modis fieri potest: 1° *directe*, si falsum crimen imputatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur; 2° *indirecte*, negando nempe bona opera proximi, vel illa minuendo; vel etiam quandoque tacendo aliis laudantibus, vel frigide laudando.

Principia.

446. — I. Omnis detractio *directa*, sive sit *calumnia*, sive detractio *simpliciter*, est mortalis ex genere suo, nam gravius est peccatum contra justitiam, quam furtum, quia majori bono proximum injuste privat, ut constat ex sensu communi et ex Scriptura sacra, *Prov. xxii, 1*, ubi dicitur: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*; et *ibid.*, *xxiv, 9*: *Abominatio hominum detractor*; furtum autem est ex genere suo lethale.

II. Gravitas vel levitas detractiois desumenda est præcipue ex gravitate vel levitate damni quod proximus ex eo pati potest, et non præcise ex gravitate defectus seu criminis quod de proximo narratur. Hinc ad cognoscendam in casu particulari detractiois gravitatem attendendum est ad qualitatem: 1° personæ *detrahentis*, scilicet an sit gravis et discreta, an garrula et levis; 2° personæ *læsæ*, an sit bonæ vel malæ famæ, etc. Ratio est, quia major vel minor fides præstabitur pro majori vel minori loquentis auctoritate, item majus, vel minus sequetur famæ detrimentum pro ratione majoris vel minoris æstimationis qua persona læsa gaudet. — *S. Lig. n. 967.*

447. — III. Nunquam licet falsum crimen alteri apponere, ut constat ex propositione 44^a ab Innoc. XI damnata. Licet tamen justa de causa crimen alterius occultum etiam cum jactura famæ ipsius manifestare; quia aliquando bonum publicum vel privatum hoc requirit, et tunc jus proximi ad famam conservandam a potiori jure eliditur. — *S. Lig. n. 972.*

IV. Causæ autem, propter quas licite crimen alterius revelari potest, sunt sequentes: 1° utilitas notabilis revelantis ipsius, verbi gratia ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractioem; 2° utilitas delinquentis, nempe ad ipsius instructionem vel correctionem, etc.; 3° utilitas publica, uti ad impedienda mala Reipublicæ vel Religioni aut alicui Communicati imminetia; 4° utilitas gravis etiam privata sive audientium, sive aliorum, v. gr., ut a malis, damnis aut incommodis certe aut probabiliter eventuris liberentur.

Ratio horum est, quia tunc peccata alterius manifestans non lædit justitiam nec caritatem. 1° *Non lædit justitiam*, quia proximus non habet jus ita strictum ad suam famam, ut alii obligentur ad tegendam veritatem, quando ejus manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum; 2° *Nec lædit caritatem*, quia caritas non obligat cum gravi incommodo; et sicut non teneris impedire damnum proximi tui quantumvis magnum cum gravi tuo damno, ita nec teneris in casu occultum crimen proximi celare. — *S. Lig. n. 968.*

Quæsitæ.

448. — QUÆR. 1^o *An peccet graviter, qui revelat unicum peccatum mortale alterius?*

Resp. 1^o : Non est semper peccatum grave revelare peccatum alterius etiamsi pluribus manifestetur. Attendendum igitur est ad rerum et personarum adjuncta, ex quibus colliges, an aliquis gravem famæ jacturam ex peccati revelatione patiatur.

Resp. 2^o : Si peccatum graviter dedecoret sive in se sive relative ad infamatum, certo detractor graviter delinquit, quoties hujusmodi peccatum licet unicum pluribus manifestat, quia grave famæ damnum proximo infertur.

Resp. 3^o : An vero sit mortale hujusmodi peccatum unico viro prudenti et discreto revelare, seclusa speciali malitia, *controvertitur*.

I^a Sententia communior et probabilior dicit, graviter peccari, nisi inadvertentia aut magna levitas excuset. Ratio est, 1^o quia læsio famæ etiam apud unam personam gravem gravis censetur, ut patet ex judicio temerario, quod *per se* grave est; 2^o quia sæpe homines ægrius ferunt se lædi apud unam personam gravem, quam apud tres vel quatuor alias.

II^a Sententia satis probabilis negat. Ratio est, quia cum fama consistat in communi æstimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit. — *S. Lig. ut probabile habet n. 973.*

449. — QUÆR. 2^o *An specie differant detractiones in materiis specie diversis?*

Resp. : Duplex datur sententia probabilis.

I^a Sententia affirmat. Ratio est, quia alia est fama, quam quis possidet, v. gr., de castitate, et alia quam habet de justitia; siquidem non est diffamatus in fornicatione, quamvis sit diffamatus in furto.

II^a Sententia negat. Ratio est, quia licet tales detractiones materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam hominis famam lædunt, eo quod tendunt in unicum objectum formale, sicut contumeliæ sunt ejusdem speciei propter unitatem honoris, contra quem tendunt. — *Lugo, de Pœnit. d. XVI, n. 265, etc.*

Hanc ultimam scientiam approbare videtur *S. Lig. n. 978*; unde ait cum *Busemb.*, non necessario explicandum esse in confessione in quonam genere proximum infamaveris, v. gr., an dixeris eum esse furem, vel esse adulterum, etc. Ut *probabilius* tamen docet *l. V, n. 48*, cum *Lacroix* contra alios, materias specie distinctas locum præbere in detractione *numericæ* peccatorum distinctioni, quia fama quoad unam materiam numero saltem distinguitur a fama circa materiam aliam, et qui utramque lædit, jura lædit numero distincta, quæ in jus numero unum coalescere non possunt. Idecirco, si una et eadem detractione unum et eundem hominem in pluribus infamaveris, debetis ex *S. Auctore*, non diversas quidem detractionis materias, sed earum numerum in confessione aperire.

QUÆR. 3^o *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus?*

Resp. Affirm., saltem absque peccato gravi, quia hoc nec contra justi-

tiam videtur esse grave, nec etiam *per se* contra caritatem, sive sit publicum publicitate juris sive publicitate facti. — *Lugo, de Just., disp. XIV, sect. 5.*

450. — QUÆR. 4^o *An crimen publicum in uno loco possit revelari in alio loco ubi ignoratur?*

Resp. 1^o Affirm., probabilis per se, saltem absque peccato gravi, si agatur de loco vicino, seu de loco ubi facile et brevi publicandum est. Ratio est, quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certe non magnæ æstimationis est, et moraliter loquendo jam abjecta est.

Resp. 2^o : Si agatur de locis ad quæ divulgatio non est perventura, aut non nisi post diuturnum tempus, *distinguedum est :*

1^o *Quoad notorietatem juris :* 1^o Non est contra justitiam, quia iudex, quando publice aliquem condemnat, intendit reum spoliare fama, ut cæteris ubique sit in exemplum. *Ita communiter.* — 2^o Nec *probabilis* est contra caritatem, saltem graviter, quia ad bonum commune magnopere confert. Sententiam ubique vulgari, ut efficacior sit pœna, ac reus cognoscatur etiam ab incolis regionis remotæ, qui cum illo negotia tractanda habere possent. — *Ita communis cum Lugo, Salmant., S. Lig. n. 974.*

2^o *Quoad notorietatem facti, controvertitur inter theologos.* — 1^a *Sententia,* valde *probabilis,* dicit non esse *per se* illicitum, quia neque contra justitiam peccatur, neque contra caritatem, saltem graviter, modo agatur de criminibus, quæ reddunt hominem perniciosum. Ratio est quia bono publico conducit, facinorosos homines dignosci, ut ab eis cavere omnes possint. — *S. Lig. n. 974; Hom. apost. n. 12; In Retr., n. 12.*

2^a *Sententia* e contrario dicit esse peccatum tum contra justitiam tum contra caritatem : 1^o *contra justitiam* quidem, quia infamatus in uno loco, non amisit jus ad famam in alio remoto, ubi fama criminis non est brevi perventura : ergo ipsi facit injuriam, qui eum ibi diffamat ; 2^o *contra caritatem,* quia diffamans nocet proximo in re gravi seu in fama, quam alibi sine illius injuria possidere pergit. — *Billuart, Antoine.*

451. — QUÆR. 5^o *Quandonam crimen seu factum dici possit publicum seu notorium?*

Resp. 1^o : Dicitur omnino *publicum* seu *famosum,* quando innotuit majori parti communitatis seu civitatis, oppidi, pagi, etc.

Resp. 2^o : Dicitur *simpliciter publicum* seu *notorium,* quando innotuit tot personis, ut nulla tergiversatione celari possit, et moraliter sit impossibile quod in notitiam communitatis non deveniat. Valde autem difficile est determinare quot personarum requiratur cognitio, ut crimen publicum censi debeat. Varias regulas assignaverunt theologi pro vario numero personarum quæ communitatem componunt. Juxta communioem sententiam dici potest publicum crimen, si quindecim sciant ex communitate centum personarum; aut viginti diversarum familiarum in communitate mille personarum; aut quadraginta dispersi in oppido quinque millium personarum. — *Ita S. Lig. n. 975.* Sed, ut melius inquit *Billuart, de Justitia, diss. XV, art. 2, § 5,* hoc remittitur judicio prudentis, qui, attento communitatis numero, hominum garrulitate et aliis circumstantiis, judicet, an possibile sit ut res secreta maneat.

452. — QUÆR. 6^o *An peccet graviter referens tantum gravia peccata*

alterius ut ab aliis audita, v. gr., si dicat: Fertur, narrant, audivi de tali hoc vel illud?

Resp. 1°: Peccat graviter contra caritatem et justitiam, si ita referat, ut alii sint verisimilius et merito id credituri, v. gr., si asserat se, quæ narrat, audivisse a persona fide digna, quia tunc causam sufficientem credendi malum præbet; secus, si probabiliter fides dictis non adhibeatur, quia nulla infamia inde orietur. Multo autem facilius peccabit graviter referens, etiam ut mere dubium, peccatum enorme alterius, v. gr., hæresis, sodomix, etc.

Resp. 2°: Peccat graviter contra caritatem, si audita referat coram iis qui probabiliter ea credent ex levitate aut malitia propria; quia sub gravi quisque tenetur ex caritate tollere occasionem damni alterius, cum facile potest. Non tamen videtur peccare contra justitiam, quia non est causa efficax damni. — *S. Lig. n. 977. — Billuart, ibid., art. 2, § 4, et alii communiter.*

453. — QUÆR. 7° *Quomodo peccet audiens detractionem?*

Resp. 1°: Peccat certe graviter contra *justitiam*, qui efficaciter inducit alium ad detrahendum.

Resp. 2°: Peccat graviter contra *caritatem*, qui gaudet de detractione gravi ab alio facta, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe, si gauderet tantum de auditione rei novæ vel curiosæ, non vero de ipsa detractione.

Resp. 3°: Superior peccat contra caritatem, si detractionem non impediat in quantum commode potest, etiamsi de ea non gaudeat; quia illi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno subditi infamati obviandi. *Probabilius* autem non peccat contra justitiam: 1° Superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi; 2° Superior infamati, quia ipsi non incumbit ex justitia bono temporali subditi attendere. — *S. Lig. n. 979, 980.*

Resp. 4°: Persona particularis plerumque aut omnino aut saltem a gravi peccato excusatur, si detractionem non impediat, sive ex verecundia aut timore vel etiam negligentia, etiamsi commode possit, modo de illa non gaudeat, nec præter infamiam aliud damnum accedat. Ratio est, quia in hac materia sæpe constare nequit correctionem esse profuturam; imo sæpe periculosum est, et merito timeri potest, ne detractio potius augeatur vel producat. Culpa tamen aliqua non carebit, si facile correctionem efficacem adhibere possit. — *S. Lig. n. 981.*

Excusantur autem etiam a veniali, qui, ubi advertunt detractionem, discedunt, sermonem expungunt, aut faciem avertunt, atque tristes se ostendunt juxta illud Prov. xxv, 23: *Dissipat facies tristis linguam detrahentem.*

454. — QUÆR. 8° *An liceat seipsum infamare?*

Resp. Affirm. per se, si recta intentione fiat, secluso scandalo, et aliorum damno. Ratio est, quia non est contra justitiam, cum quisque sit famæ suæ dominus; nec contra caritatem, quia hæc non obligat ad bona externa conservanda, nisi quantum id exigat salus propria vel proximi.

Per accidens autem peccabis, et etiam graviter, si fama tua necessaria sit muneri tuo, vel si tibi damnum vitæ, vel aliis infamix ex hoc oriri possit. *S. Lig. n. 983.*

Resolves.

455. — 1^o Grave est peccatum etiam mortuis detrudere in re gravi; jure enim ad famam non spoliatur, licet e vivis excesserint. Unde historiographi ignominie notam memorie defunctorum sine causa sufficienti inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando, actam penitentiam non referendo, graviter peccare possunt. — *S. Ligor. n. 978.*

2^o Lethale esse potest de aliquo in conspicua dignitate constituto tam multa, etsi non singula gravia, revelare, ut notabiliter lædatur ejus fama, licet intra longum tempus id peragatur.

3^o Mortale est, si dicas aliquem esse adulterum, licet de hoc probabilia habeas indicia; quia ejus fame grave nocumentum affers. Imo idem tenendum, etiamsi diceres probabile eum esse talem.

4^o Grave est dicere de Sacerdote, quod duellum commiserit, aut sit amans puellarum, aliaque id genus. Sæpe autem lethale non est id asserere de milite, aut etiam de juvene mediocris fame; nec dicere de puella quod sit garrula, superba, etc. — *S. Lig. n. 967.*

5^o Non est mortale de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, v. gr., in tali loco esse multos improbos, ebriosos, impudicos; quia nemini gravis injuria irrogatur. Item non est grave, crimen aliquod referre de aliquo, quem audientes non noverunt, nec unquam agniti sunt, etiamsi nominetur. Imo hoc *per se* omni culpa vacat.

6^o Lethale tamen est, saltem communiter loquendo, graviter detrudere alicui Monasterio, licet nullus Religiosus nominetur, v. gr., si dicatur, in eo pravam duci vitam, grave peccatum fuisse patratum. Ratio est, quia Religiosi ejusdem Communitatis adeo inter se conjuncti sunt, ut coram externis velut solidarii alii pro aliis censeantur. Hinc tota Communitas apud imprudentes et simplices maculari solet. — *S. Lig. n. 978.*

456. — 7^o Non est mortale dicere de publico ebrioso, eum hac die *inebriatum esse, etsi occulte fecerit*; imo quandoque nullum adest peccatum, si quis omnem famam quoad aliquid amiserit, v. gr., si dicas de meretrice, quod fornicata fuerit. Nec est mortale infamem in uno crimine de altero valde affini dedecorare, v. gr., si de adultero dicas eum litteras amatorias misisse, vel de ebrioso, eum cum uxore rixatum esse; quia talis revelatio non est nova infamia, aut saltem non gravis. De disparato tamen et non connexo crimine aliquem infamare potest esse mortale, quia ille, qui dedecorus est in uno vitii genere, non ideo amisit jus fame quoad reliqua. — *S. Lig., Hom. apost., n. 14; et alii communiter.*

8^o Non peccat, saltem graviter, qui solatii causa tantum, seclusa detrahendi intentione, alicui amico narrat injuriam ab alio sibi factam, etsi inde aliqua infamia auctori proveniat. Hinc probabiliter excusantur, saltem a mortali, famuli detegentes injurias sibi illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, Religiosi a Prælato, etc.; quia auctor injurie non potest esse rationabiliter invitus, remque tam difficilem exigere, ut læsus solatio vel consilio necessario careat. Cavendum est tamen, ne dicatur pluribus, atque apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium. — *S. Lig. n. 973.*

9^o Non peccat graviter, generatim loquendo, qui revelat defectus natu-

rales animi vel corporis alterius, dicendo, v. gr., quod sit stupidus, ignarus, etc., quia tales defectus non sunt morales, nec famam notabiliter minuunt. Excipe, nisi grave damnum inde secuturum sit. Hoc autem maxime ex circumstantiis pendet. — *S. Lig. n. 967.* — *V. Casus, n. 420 et seq.*

ARTICULUS II

DE RESTITUTIONE FAMÆ

Principia.

457. — I. Detractor tenetur ex justitia, quantum fieri potest : 1° ad reparandam famam injuste ablatam; 2° ad compensanda omnia damna temporalia ex diffamatione provenientia et aliquo modo prævisa.

Ratio primi est, quia per ablationem famæ irrogata est injuria damnum; jus enim, quod quisque habet ad famam, auferri privata auctoritate nequit : cum itaque necessaria sit boni injuste ablati restitutio, propterea injuria illa resarciri debet. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 991, et lib. III, n. 660.*

Ratio secundi est, quia omnia damna provenientia ex detractioe tribuenda sunt detractori, ut causæ eorum efficaci, sive crimen revelatum sit falsum, sive verum, cum in utroque casu famam injuste detractor læserit. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 996.*

Obligatio restituendi famam est personalis. Obligatio vero reparandi damna, quæ ex diffamatione orta sunt, est realis, et proinde ad hæredes transit.

458. — II. Restitutio famæ alio modo facienda est a calumniatore ac a detractore simplici. Hinc

1° *Calumniator* tenetur dicta retractare, et quidem *per se* etiam cum jactura propriæ famæ, si aliter reparatio fieri nequeat; ratio, quia melior est conditio innocentis quam nocentis, et malitiæ suæ imputare debet quidquid propterea est passurus.

2° *Detractor simplex* dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed alio modo, quantum in ipso est, famam restituere debet, dicendo, v. gr., se male locutum fuisse, se erravisse, aut quid simile; non enim hi solum errant qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt, juxta illud Prov. XIV, 22: *Errant, qui operantur malum.* — *S. Lig. n. 992.* Sed sæpe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt, verum esse crimen, quod non asseritur aperte esse falsum. Tunc igitur detractor, tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum cui detraxit.

Resolves.

459. — 1° Qui alium injuste diffamavit verum crimen manifestando, tenetur ad integram damnum inde proveniens reparandum; quia injusta illius revelatio est causa vera et unica damni. — *S. Ligor. n. 994.*

2° Qui detraxerit per libellum famosum, tenetur, ut efficax sit restitutio,

eam facere contrariis scriptis vel publica revocatione. Item innotescere debet reparatio, si cognoscatur diffamationem ad multos pervasisse, sed ignoretur ad quos pervenerit. — *S. Lig. n. 995.*

3^o Item in defectu diffamatoris ad reparationem famæ tenentur, qui ad diffamationem propagandam cooperati sunt, lique omnes pariter tenentur de damnis fortunæ, si quæ acciderint.

Diffamator non tenetur ad veniæ petitionem, si famam reparare non possit, nisi famam simul et honorem læserit: quia per veniæ petitionem fama perdita non restituitur; nec ille magis urgetur obligatione veniæ petendæ, quam qui non potest restituere bona fortunæ, in quibus aliquem læserit. — *Ita communiter.*

Quæsitæ.

460. — QUÆR. 1^o *Quænam sint causæ a restitutione famæ excusantes?*

Resp.: Sequentes communiter admittuntur:

1^o Si delictum quod uni vel pluribus revelasti, ex alia via publicum evaserit, aut si fama alio modo reparata sit, v. gr., per sententiam iudicis, etc.

2^o Si prudenter judicetur criminis memoriam temporis decursu oblivione deletam esse.

3^o Si restitutio famæ fieri nequeat sine vitæ periculo, quia vita est bonum ordinis superioris, ac fama; item si restitutio famæ sit multo minoris valoris, ac jactura quam pati deberet diffamator, v. gr., si esset homo honoratus et præsertim bono publico vel Religioni valde utilis.

4^o Si reparatio sit moraliter impossibilis ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quæ præsertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur; v. gr., si qui audierunt detrahentem a præoccupata opinione revocari non possint.

5^o Si judicetur detractioni fidem adhibitam non fuisse ab audientibus, ut fit sæpius, quando in iræ calore detrahitur.

6^o Si infamatus obligationem expresse vel tacite remiserit, modo remittere possit; imo quandoque sufficit condonatio præsumpta. — *S. Lig. n. 1003.* — Eam autem remittere non potest, quando ex ejus infamia sequitur scandalum, aut damnum vel commune vel suorum, etc., v. gr., si agatur de infamia Sacerdotis, magistratus, etc. — *S. Lig. n. 997 et seq.*

QUÆR. 2^o *An detur obligatio restituendi famam sine formali injustitia læsam, v. gr., si quis detrahat ex inadvertentia?*

Resp. Affirm., quia quisque tenetur reparare damnum ex sua actione proveniens, si commode possit, ut dicemus in *tractatu de Justitia in jure.* — *S. Lig. n. 994.*

461. — QUÆR. 3^o *An infamans teneatur famam restituere etiam coram iis qui crimen a se revelatum mediate acceperint?*

Resp. Affirm. probabilius, imo et verius, si famam violasti apud audientes quos prævidebas facile infamiam evulgaturos; quia tunc es vera causa damni; secus non teneris. — *S. Lig. n. 991.*

QUÆR. 4^o *An excuseris a restitutione famæ si etiam læsus tuam famam violaverit, nec restituere velit?*

Resp. : Negat Navarrus, Sporer, et quidam alii; sed probabilius affirmandum cum *S. Alph.*, n. 999; quia non teneris alteri jus suum reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.

QUÆR. 5^o *An tenearis famam pecunia compensare, si eam restituere non possis?*

Resp. Neg. saltem *probabilius*, quia justitia obligat tantum ad reddendum ablatum, aut æquivalens; sed pecunia non fuit ablata per detractio- nem, neque ipsa est famæ æquivalens, cum sit alterius ordinis. — *S. Lig.* n. 1000, etc., contra *plures*.

CAPUT III

DE CONTUMELIA

462. — Contumelia est injusta honoris læsio præsentis et scienti irrogata. Honor autem est externa testificatio æstimationis quæ de alicujus excellentia interne habetur. Præsens vero aliquis esse potest, vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem, perque aliud in quo aliquatenus repræsentetur.

Contumelia autem fieri potest: 1^o *negative*, per omissionem honoris hic et nunc debiti; 2^o *positive*, tum verbis tum factis aut signis contemptus.

Quando fit verbis, diversa nomina sortitur, quæ sæpe indiscriminatum usurpantur, aliquatenus tamen inter se discrepant. Dicitur enim *convicium*, si naturales defectus; *contumelia* simpliciter, si defectus morales; *imprope- rium*, si indigentiam, generis vel conditionis vilitatem, objiciat. — *S. Thom.* 2. 2., q. 72, a. 1, ad 3.

Ad contumeliam referuntur: 1^o *irrisio*, qua quis verbis et risu contem- nitur; 2^o *subsannatio*, qua quis gestibus ridiculis irridetur; ab ea differunt quia contumelia honorem deprimere intendit, hæ vero pudorem et verecun- diam causare. — *S. Thom.* 2. 2., q. 73, a. 1.

463. — *Dico* 1^o: Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. Est enim quid gravius detractio, quæ *per se* est gravis. Constat præterea ex verbis Scripturæ, Matth., v, 22: *Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis.* — *S. Lig.* n. 966.

Dico 2^o: Contumelia *per se* strictam inducit obligationem restituendi honorem et reparandi damna, si quæ subsequuta fuerint, saltem si in confuso fuerint prævisa, ut patet ex dictis de restitutione famæ.

Licet autem teneamur contumelias tolerare, animum vindictæ abjiciendo; quandoque tamen expediet contumelias repellere, quando nempe tolerantia obesse posset bono communi, v. gr., si Prælatus tolerando redderetur contem- ptibilis, et sic subditorum petulantia adaugeretur, etc. — *S. Lig.* n. 966.

Resolves.

464. — 1^o Honor publice per contumeliam ablatum, publice est restituendus coram illis qui dehonorationis testes fuerunt, vel saltem ita, ut satisfactio ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per aliam personam, quæ nomine dehonoris veniam petat. — *S. Lig.* n. 984.

2° Restitui pariter debet honor læsus per contumeliam occultam, quia verum honoris damnum proximo fuit illatum; reparatio tamen occulte fieri potest. — *S. Lig. n. 985.*

3° Ea honoris restitutio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad manifestandam æstimationem juxta personæ offensæ conditionem. Si enim qui dehonora vit fuerit Superior, sufficiet si dehonora tum salutet, domi invisat, aut ei benevolentiam ostendat. Si autem fuerit æqualis, vel a fortiori inferior, major requiritur satisfactio, nempe ut præveniat in salutando, cedat locum, veniam petat, etc., si alio modo sufficienter satisfacere nequeat. — *S. Lig. n. 986.*

4° Si inhonora tus vindictam sumpsit, v. gr., alterum percutiendo, vulnerando..., plerumque pro honore non requiritur ulterior satisfactio; quia ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et æstimationem de altero. — *S. Lig. n. 989.* — Item a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos impacta mutuo fuerint æqualia convicia aut impropria, quia eo ipso fit compensatio.

5° In praxi multoties expedit ut Confessarius omittat monere pœnitentem in bona fide existentem circa satisfactionis obligationem, maxime si prævideat monitionem non profuturam esse; vel si putet eum, qui dehonora tus fuit, facile id condonare, aut recusaturum esse reparationem præsertim publicam, ne memoria injuriæ apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc. — *S. Lig. n. 988.* — *V. Cas., n. 434.*

CAPUT IV

DE JUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE, ET DUBITATIONE TEMERARIA

465. — 1° *Judicium temerarium* est firmus assensus ex levibus indiciis formatus de aliquo peccato vel defectu proximi: distingui debet ab opinione, quæ est assensus minus firmus et cum formidine de opposito.

2° *Suspicio temeraria* est quædam inclinatio ad assensum de malo proximi ex insufficienti ratione; seu melius, est assensus inchoatus, quo quis, ex insufficienti ratione, judicat probabiliter latere aliquod fundamentum male opinandi de proximo.

3° *Dubitatio* est suspensio animi in neutram partem se determinantis.

Principia.

466. — I. *Judicium temerarium* de culpa proximi est peccatum mortale ex genere suo contra justitiam; quisque enim jus habet ab bonam sui existimationem apud singulos, nec malus præsumi quisquam debet, donec probetur: proinde injuriam gravem proximo infert, qui contra eum in re gravi temere judicat. Sæpius tamen veniale est ob materiæ parvitate aut actus imperfectionem.

II. Ad gravitatem judicii temerarii requiritur: 1° ut sit firmum, seu citra dubium; 2° ut sit plene deliberatum et voluntarium; 3° ut sit in re gravi

de persona determinata et cognita; 4^o ut innixum sit indiciis quæ uti levia et inepta ad judicandum cognoscantur. Ratio horum est, quia alias non esset verum judicium, neque vere temerarium, neque graviter proximo injuriosum. Sæpe autem leve est ob defectum alicujus ex commemoratis conditionibus. — *S. Lig. n. 962.*

III. Suspicio *temeraria*, et dubitatio de labe proximi sunt venialia tantum ex genere suo. Ratio est, quia ob debilem et facile mobilem adhæSIONEM ordinarie leve tantum damnum proximo afferunt, cum famam non tollant, sed tantum minuunt et dubiam reddant. — *S. Lig. n. 963.* — Si quis vero sine ratione, sed ex malevolentia, in suspitione vel dubio de re admodum gravi persistat, mortale vix effugiet. — *S. Lig. n. 963.*

Resolves.

467. — 1^o Non peccat graviter qui de proximo sinistre judicat, si judicium innititur indiciis ad prudentem probabilitatem sufficientibus, quia moralis certitudo et vera probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis injuria habere quasi certum quod est valde probabile. — *S. Lig. n. 962.*

2^o Non peccat graviter qui judicando non advertit plene ad motivorum insufficientiam, quamvis advertat se minus prudenter judicare, vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo judicio. — *S. Lig., ibid.; Hom. apost., n. 1.*

3^o Non peccat graviter qui temere judicat de aliquo indeterminato inter plures, v. gr., alicujus cœtus vel communitatis, vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto. — *S. Lig., ibid.*

4^o Non temere judicares, si audiens aliquid a viro probo et fide digno contra proximum, illud crederes. Multo minus, si suspicareris aut dubitares tantum, cum multo minus requiratur ad prudentem suspitionem aut dubitationem, quam ad prudens judicium; secus autem, si audires aliquid ab homine perverso aut erga alterum male affecto.

5^o Suspicio vel etiam dubitatio plane temeraria, nulli scilicet innixa rationi, peccatum mortale esse potest, si versetur circa peccata valde extraordinaria et gravia ratione conditionis personarum quas respicit; quia hujusmodi suspicio aut dubitatio major injuria est, quam judicium etiam firmum circa peccata minus gravia. — *S. Lig. n. 964.*

6^o Licet damna præcavere ex timore non omnino imprudenti; atque ita, v. gr., potes res tuas sub custodia servare, ne surripiantur a peregrino domi tue commorante; quia, etsi non possis positive judicare hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere, cum certo scias inter homines esse aliquando fures, quamvis a furto alieni existimentur. — *S. Thom. 2. 2., q. 60, a. 4, ad 3.*

APPENDIX.

DE VIOLATIONE SECRETI

468. Secretum in genere dicitur quidquid occultum est: quoad rem nostram attinet, secretum vocamus, quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet.

Triplex distinguitur secretum :

1° *Naturale*, si ab ipsa natura rei celandæ imponatur, v. gr., si quid scias quod manifestare nequeas sine gravi alterius læsione sive in æstimatione, sive in bonis, etc.

2° *Promissum*, si quis, arcanum ab alio audiens vel casu discens, promittat se id non revelaturum.

3° *Commisum*, si quis alteri quidpiam manifestet, et simul ab ipso silentium circa illud tacite vel expresse exigat.

Principia.

469. — I. Secretum *naturale* in re gravi obligat *per se* sub gravi, et quidem ex justitia, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur *per se* damnum proximi, qui jus habet, ne sine causa rationabili lædatur. — *S. Lig. n. 970. — Salm., etc.*

II. Secretum *promissum*, præter obligationem secreti naturalis quam ratione materiæ aliquando inducere potest, *per se*, vi solius promissionis, obligat graviter vel leviter juxta intentionem promittentis : leviter, si promittens, ut saepe fit, ex fidelitate tantum; graviter in materia gravi, si ex justitia se obligare voluerit. — *S. Lig., ibid., et alii communiter.*

III. Secretum *commisum* seu *communicatum*, quod dicitur etiam rigorosum, obligat *per se* sub gravi ex justitia, et quidem strictius ac secretum mere naturale, atque etiam promissum; quia præter obligationem naturalem urget etiam obligatio ex contractu oneroso expresse vel tacite suscepta. — *S. Lig. n. 970.*

Quæsitæ.

470. — QUÆR. 1° *Quænam sint causæ justæ secretum manifestandi?*

Resp. : 1° Consensus recte præsumptus illius, cujus interest secretum occultari. — 2° Divulgatio rei aliunde profecta. — 3° Damnum ex secreto secuturum Reipublicæ vel privatis. Attamen si agatur de damno jam illato, non potes licite secretum commissum revelare, quousque damnificator ipse se prodere non tenetur. — *S. Ligor. n. 971, Lugo, Sanchez, etc.*

QUÆR. 2° *An possis revelare secretum, si promiseris illud servare etiam cum vitæ jactura?*

Resp. 1° *Affirm.*, si illud exigat bonum commune, quia promissio facta contra bonum commune nulla est.

Resp. 2° *Neg.*, si agatur de tuo proprio damno simpliciter gravi quia præstat servare secretum hoc speciali contractu promissum. *Neg.* etiam *probabilius*, si agatur de damno tuo extremo, quia juri tuo expresse renuntiasti, nec illicitum est omittere vitæ conservationem, ut promissum serves. — *Ita Lugo, Lacroix, et S. Lig. n. 971.* — Attamen S. Auctor oppositum satis probabile merito dicit.

471. — QUÆR. 3° *An peccet graviter qui revelat secretum uni vel alteri viro probò sub eodem secreto?*

Resp. *Neg. probabiliter per se*; quia in hoc casu gravis injuria erga alium committi non videtur. Excipe dummodo non reveletur personæ cui secretum

tibi committens specialiter voluisse illud celari merito præsumitur. — *S. Lig. n. 971 et alii.*

Dixi, *per se*; quia in praxi, ob circumstantias secreti, revelatio facile gravis evadet, quando scilicet personas, quibus acceptum secretum committis, nimis leviter supponis ita discretas, ut illud sint certo servaturæ, præsertim si cum mulieribus agatur. Etenim tibi commissum est secretum, quia discretus putaberis; si vero illud violes, putasne alium, cui confidis te ipso discretiorem futurum esse?

QUÆR. 4^o *An graviter peccet aperiens aut legens alterius litteras?*

Resp. Affirm., per se, seu ex genere suo. Ratio est, quia jure naturali et jure gentium obligatio inest secreta litterarum illasa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. — *S. Lig., Hom. Apost., tr. XI, de VIII Præc., n. 5, et alii communiter.*

Excipe casus sequentes: 1^o si adsit consensus tacitus aut præsumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litteræ mittuntur; 2^o si cognoscatur vel præsumatur litteras continere res levis momenti; 3^o si justa de causa fiat, v. gr., ad damnum publicum aut privatum avertendum, modo non plus legatur quam ad hunc finem necessarium est. — *Scav.* — 4^o si litteræ ex levitate aut ex aliqua inadvertentia aperiantur. — *S. Lig., l. V, n. 70.*

Resolves.

472. — 1^o Secretum *promissum* nullo modo obligat, quoties alias tenebaris rem manifestare, v. gr., si interrogaris a Superiore vel a iudice. — *S. Lig. n. 970.*

2^o Secretum *commissum* a te servandum est generatim, etiamsi interrogaris a Superiore vel iudice, etc.; respondere autem debes, te de hoc nihil scire; quippe ejusmodi notitiam perinde habes, ac si eam non haberes. — *S. Lig. n. 970.*

3^o Eodem modo servandum est secretum *implicite* vel *tacite* tantum *commissum*, ac si *expresse* commissum esset. Sic ad secretum stricte obligantur consiliarii Principum, duces belli, advocati, medici, theologi de aliqua quæstione consulti, omnesque universim quibus vel consilii, vel solatii, vel auxilii causa secretum committitur.

4^o Superior religiosus litteras suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas licite aperit sive ex Religionis statuto, sive ex consuetudine, aut ex prudenti suspitione quod aliquid minus recti contineant. — *S. Ligor., l. V, n. 70.*

5^o Superior tamen aperire et legere nequit litteras quas subditi Superioribus mediatis ac vicissim isti Superiores subditis mittunt; recta enim gubernandi ratio postulat, ut supremi Moderatores cum omnibus subditis libere communicare possint. — *S. Lig., ibid.* — *V. Casus, n. 436 et seq.*

TRACTATUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE

473. — Ecclesia gaudet facultate statuendi præcepta fideles sub gravi obligantia. Christus enim legislativam potestatem ei contulit, ut dictum est in *tract. de Leg.*, n. 83.

Multa existunt Ecclesiae præcepta, ut ex Jure canonico constat; præcipua vero, quæ universos respiciunt fideles cujuscumque status aut conditionis, ad sex sequentia reducuntur, scilicet: 1° ut festa auctoritate Ecclesiae instituta fideles colant; — 2° ut saltem diebus Dominicis et festis Sacro intersint; — 3° ut saltem semel singulis annis peccata confiteantur; — 4° ut saltem tempore Paschalis ad S. Eucharistiæ Sacramentum accedant; — 5° ut certis diebus a carnibus abstineant; — 6° ut jejunia statutis temporibus servant.

DE I ET II ECCLESIAE PRÆCEPTO

SEU

DE OBSERVATIONE FESTORUM

474. — Sancta mater Ecclesia gaudet potestate festa instituendi, eorumque sanctificationem sub gravi omnibus fidelibus præcipiendi, utpote quæ accepit a Christo omnem potestatem in ordine ad bonum spirituale filiorum. Nulla de hoc inter catholicos controversia agitur.

Præceptum festa celebrandi, si obligationem respicias, qua aliquo cultu venerari Deum interdum tenemur, divinum sane ac naturale est; quod autem spectat ad tempus diesque huic cultui consecrandos, id in veteri lege per *cæremoniale* præceptum, in nova per *ecclesiasticum* sancitur. — *S. Lig. l. III, n. 263.*

Solus Papa universæ Ecclesiae festa indicere potest, quia solus in Ecclesiam universam jurisdictione gaudet. Episcopi quoque festos dies instituere in propria diœcesi possunt; habent enim facultatem leges in sua diœcesi condendi. Attamen ex præsentī disciplina, ne nimia Ordinariorum facilitate ultra modum dies festi multiplicentur, vetantur Episcopi, ne, Clero fidelibusque inconsultis, aut saltem contradicentibus, festa statuunt. — *Ita communiter ex c. Conquestus, de Feriis. — S. Lig. n. 266.* Quinimo non desunt qui putent eam potestatem Episcopis ablatam esse ab Urbano VIII Constit. *Universa*, in qua hæc habentur: *Locorum Ordinarii in Domino monentur, ut, ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum abstineant.* Et revera S. C. Rituum ad quæstionem: *An Episcopus, in sua Diœcesi, possit alia festa instituere de præcepto præter illa quæ in dicta*

Bulla (Urbani VIII) *expressa sunt?* respondendum censuit : *Negative*, 23 Jun. 1703, in *Concordiæ*.

Cæterum votum celebrandi nonnulla festa de præcepto cum vigilia et processione, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes. — *S. R. C.*, 19 Nov. 1650. — *Gardellini*.

Multa olim instituta sunt festa, quæ decursu temporum, refrigerente fidelium fervore, in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ipsa Ecclesiastica abolita sunt.

475. — Urbanus VIII, *Const. Universa* (13 Sept. 1642), multa festa suppressit, novunque dierum festorum elenchum statuit, ut sequitur :

« Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infra scriptos dumtaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse... Dominicos scilicet dies totius anni; — Nativitatis D. N. J. C.; — Circumcisionis; — Epiphaniæ; — Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis; — Ascensionis; — Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis; — Sanctissimæ Trinitatis; — Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis. — necnon festivitatum Purificationis, — Annuntiationis, — Assumptionis, — et Nativitatis Deiparæ Virginis; — Dedicacionis S. Michaelis Archangeli; — Nativitatis S. Joannis Baptistæ; — SS. Petri et Pauli, — S. Andree, — S. Jacobi, — S. Joannis, — S. Thomæ, — SS. Philippi et Jacobi, — S. Bartholomæi, — S. Matthæi, — SS. Simonis et Jude, — et S. Marthæ; item S. Stephani, Protomart.; — SS. Innocentium; — S. Laurentii, martyris; — S. Sylvestri, Papæ et Conf.; — S. Josephi, etiam Conf., — et S. Annæ, Deiparæ Genitricis; — Solemnitatis omnium Sanctorum; atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit. »

Huic catalogo addendum est festum *Immaculæ Conceptionis B. M. V.* quod de præcepto haberi voluit Clemens XI, per *Constit. Commissi Nobis* (6 Decemb, 1708).

Nullo modo est confundendus Patronus qui eligitur in protectorem Nationis, Provinciæ, Diocæsis, Ordinis, aut civitatis, cum Titulari, sub cuius nomine dedicatur aliqua ecclesia. Itaque non colendum est de præcepto festum alicujus Sancti, Titularis utique Ecclesiæ cujusdam, sed quem canonicè in Patronum, servatis omnibus Urbani VIII de hac re præscriptionibus, electum fuisse non constat.

Pius VI, propter temporum calamitatem, fidelibus Romanis condonavit obligationem quædam festa celebrandi. Hæc autem sequentia sunt, scilicet : festa SS. Apostolorum præter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duæ ferie quæ Pascha et Pentecosten sequuntur; Inventio S. Crucis; festa S. Annæ, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Michaelis, et S. Josephi; quæ tamen tria postrema postea restituta sunt. Cæterum quoad alia nihil per hoc immutatum fuit quoad obligationem Pastoribus impositam Missam *pro populo* celebrandi: ideoque standum est adhuc catalogo Urbani VIII. Ita solemniter a Pio IX fuit declaratum per *Constitut. Amantissimi*, 3 Maii 1858.

In Gallia autem post Indultum Card. Capraræ, 9 Apr. 1802, ex concessione Summi Pontificis Pii VII, quatuor tantum festa præter dies domini-

cos de præcepto supersunt pro fidelibus, nempe : 1^o *Festum Nativitatis Domini*; 2^o *Ascensionis ejusdem*; 3^o *Assumptionis B. M. Virginis*; 4^o *Festum omnium Sanctorum*. Ex eodem Indulto ad Dominicam proxime occurrentem transferenda sunt festa *Epiphaniæ Domini*, *Sacratissimi Corporis Christi*, *SS. Apostolorum Petri et Pauli*, et *SS. Patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ*. Reliqua festa, olim præcepta, celebrantur nunc iisdem ac antea diebus, sed absque ulla pro fidelibus obligatione.

De requisitis ad dies festos colendos, nempe de audienda Missa, etc., vide quæ supra diximus, ubi de tertio Decalogi præcepto.

Quæsitæ.

476. — QUÆR. 1^o *Utrum, præter obligationem abstinendi ab operibus servilibus necnon Missam audiendi, sublata fuerit etiam solemnitas liturgica festorum suppressorum aut translatorum?*

Resp. Neg. Nam S. C. Rit. pluries respondit : *Quoad chorum et ecclesiasticas functiones peragi solitas, nihil omnino innovandum relative ad festa in quibus populus solutus est a præcepto audiendi Sacrum*. 18 Octob. 1818, in *Alifana*, in *Aquilana*, in *Tarentina*.

QUÆR. 2^o *Utrum eadem decisio applicanda sit Galliæ?*

Resp. Affirm. Etenim clara sunt hæc verba Cardinalis Legati : *Eam tamen legem adjectam esse voluit (Pius VII), ut in diebus festis, vigiliisque, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinarum officiorum sacrarumque cæremoniæ ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverant.*

QUÆR. 3^o *Utrum idem dicendum sit de festis quorum solemnitas ad Dominicam proxime sequentem translata fuit, v. gr., Epiphaniæ, Corporis Christi, etc.?*

Resp. Affirm. Nam S. C. Rituum ad quæstionem : *An, in festis quorum solemnitas differtur in occurrentem proximam Dominicam, Officium publicum tam matutinum quam vespertinum peragendum sit sicut ante reductionem?* respondit : *Affirmative*, 23 Maii 1835, in *Namurcen.* — Idem decreverat S. C. in *Cenomanen.*, 29 Nov. 1831.

DE III ECCLESIAE PRÆCEPTO

SEU

DE ANNUA CONFessione

477. — Præceptum hoc continetur in Concilio Later. IV, sub Innocentio III habito an. 1218, canone 21, qui sic se habet : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, scilicet Papæ, Episcopo, Parocho, vel Sacerdoti ab Episcopo approbato.* — *Bened. XIV, de Syn. l. XI, c. xiv, n. 2-6.*

Non conveniunt Auctores quoad modum computandi annum intra quem præceptum adimpleri debeat. *Lugo, de Pœnit., d. xv, n. 137, Vasquez, Viva, etc., eum numerant a prima die Januarii ad ultimam Decembris;*

S. Lig., de Pœnit., n. 662, Suarez, Laymann, etc., quibus favet recepta fere ubique consuetudo, a Paschate ad Pascha. — Nomine autem Paschalis intelligitur totum tempus, quod ad Paschalem communionem peragendam præfinitur.

Quæsitæ.

478. — QUÆR. 1^o *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut præcepto annuæ confessionis adstringantur?*

Resp. : Quando sunt capaces peccati mortalis; quod non ex ætate solum, sed præcipue ex gradu ingenii vel boni malique discretionis judicandum est. Satis autem discretionis inesse censetur in iis qui jam apprehendunt, malum esse mendacium, aut inobedientiam, aut de impuris quibusdam actionibus erubescunt, etc.

Hinc Pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes ad confessionem sensim præparare, et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum etiam dubium, absolvere, saltem intra annum, vi Concilii Lateranen. — *S. Lig. l., VI, n. 662-666; l. III, n. 270.* — In dubio de discretionis, absolvantur sub conditione. — *S. Lig., de Pœnit., n. 666.*

Graviter igitur *errant*, neque excusari possunt Confessarii qui pueros sibi commissos nunquam ante primæ Communionis ætatem absolvere volunt. — *S. Lig., ibid.*

QUÆR. 2^o *An ille, qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri venialia, ratione præcepti annuæ confessionis?*

Resp. Neg.; quia Ecclesia illam tantum confessionem præcepit, quæ est ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam præcepit confessionem nisi peccatorum mortalium, ut explicat *Conc. Trid., sess. XIV.* — *S. Lig., l. VI, n. 667, et alii communiter.*

Cæterum, quoad praxim, quæstio hæc minimi est momenti; quis enim fidelis venialibus tantum gravatus omittit semel saltem in anno confiteri, vel ad sacram Synaxim ab anno inconfessus accedere solet?

QUÆR. 3^o *An ille, qui intra annum obligationis, quocumque modo computetur, venialia tantum, aut semel aut sæpius, confessus est, teneatur adhuc præcepto annuæ confessionis, si ante finem anni in peccatum mortale lapsus fuerit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia præceptum semel in anno confitendi respicit confessionem peccatorum mortalium, ut dictum est supra: hinc, quemadmodum non tenetur confiteri is qui sola venialia habet, ita etiam non censetur satisfacisse præcepto per confessionem venialium, qui postea eodem anno peccatum mortale committit. — *S. Lig., l. VI, n. 669.* — *Suarez, de Pœnit., d. XXXVI, n. 9 et 12.* — *Lugo, ibid., d. 45, n. 162, et alii communiter.*

QUÆR. 4^o *An teneatur confiteri quamprimum, qui integro anno non est confessus?*

Resp. Affirm. Quia terminus anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam urgendam. — *S. Lig., l. VI, num. 668.*

479. — QUÆR. 5^o *An confessio annua, quæ Parocho aut alteri ex Parochi venia non fit, valida censenda sit.*

Resp. Affirm. — *Ita communiter; et hodie, inquit S. Liguorius, certum est ex universali consuetudine. Confer quæ dicenda sunt de Sacram. Pœnit., c. II. — V. Casus, n. 443 et seq.*

Vide plura de confessione in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

DE IV ECCLESIAE PRÆCEPTO

SEU

DE COMMUNIONE PASCHALI

480. — I. Præceptum Communionis Paschalis, non secus ac præceptum annuæ confessionis, divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. Constat de hoc præcepto ex perpetua Ecclesiæ praxi, ex innumeris Conciliis, et Constitutionibus pontificiis, et præsertim ex *Conc. Trid., sess. XIII, can. 9: Si quis negaverit, omnes fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum matris Ecclesiæ, anathema sit.* — Tempus Paschale, ex declaratione Eugenii IV, incipit a Dominica Palmarum et terminatur Dominica in Albis. Potest tamen ex consuetudine, necessitate, vel privilegio aut etiam a Confessario in casu aliquo particulari justa de causa ampliari. Utrum autem solius Episcopi auctoritate protrahi possit quoad omnes diœcesanos, affirmant nonnulli Doctores, negat vero Benedictus XIV, *de Synodo, l. XII. c. VI, n. 10.* Annus obligationis, juxta communem consuetudinem, a Paschate ad Pascha computari solet. — *S. Lig., l. VI, n. 295.*

II. Communio Paschalis in propria parœcia sumenda est, ut aperte colligitur tum ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, tum etiam ex generali Ecclesiæ praxi.

Hinc præceptum Eucharistiæ suscipiendæ triplex est: 1^{um} ad ipsam Communionem, 2^{um} ad tempus, 3^{um} ad locum spectat: ubi autem vel postremum vel secundum impleri nequit, duobus aliis, vel certe primo satisfaciendum est. — *Conc. Remense, an. 1850, tit. VII, c. 1.*

Quæsitæ.

481. — QUÆR. 1^o *An qui tempore præscripto omisit Communionem, teneatur, quamprimum potest, communicare?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia tempus minime determinatum est ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam; id enim clare indicare videntur verba Concilii Lateranensis: *saltem semel in anno... ad minus in Paschate;* et Tridentini: *singulis annis, saltem in Paschate;* quibus verbis præcipitur quidem ut Communio tempore Paschali fiat, sed simul atque principaliter ut ultra annum non differatur. Constat etiam ex ipsa Ecclesiæ praxi, quæ Romæ fideles censuris ad satisfaciendum præcepto, Paschali tempore elapso, compellit. — *S. Lig., l. VI, n. 297, et alii communius.*

Plures tamen et graves Auctores, quorum sententiam *S. Lig.* ait non esse contemnendam, arbitrati sunt præceptum Communionis omnino

affixum esse tempore Paschali, ipsumque elapso hoc tempore penitus cessare. — *Ibid.*

Nondum autem cœpto tempore Paschali, nemo, saltem juxta sententiam communem, quæ annum obligationis computat a Paschate ad Pascha, tenetur huic præcepto parere, etsi prævideat se postea impeditum fore; sed incepto tempore illo, tenetur quamprimum obligationi huic satisfacere, si impedimentum prævideat, imo auferre impedimenta etiam gravia, cum sit præceptum divinum et grave, et iterum communicare, etsi S. Communionem, ob impedimentum futurum prævisum, jam anticipaverit. — *S. Lig. n. 297.*

QUÆR. 2^o *An præceptum communicandi in parœcia obliget sub gravi?*

Resp. Affirm. saltem *per se*. Ratio est, quia videtur res in se gravis; quorsum enim tot Constitutiones et Decreta SS. Pontificum ad obligationem levem adstruendam? — *Ita communiter.*

482. — QUÆR. 3^o *An urgeat adhuc præceptum communicandi in parœcia, cum tempus Paschale elapsum est, et præcepto non fuit satisfactum?*

Resp. Affirm. cum sententia communi. Ratio est, quia semper remanet finis legis obtinendus. Aliunde Episcopi, legis interpretes, communiter requirunt ut dispensatio in eo casu petatur, qua Communio alio in loco fieri possit. Excipe tamen, nisi Parochi licentia præsumi possit.

QUÆR. 4^o *An peccet graviter qui differt Communionem ad I^{am} vel II^{am} diem post elapsum tempus Paschale?*

Resp. Affirm. per se. Ratio est, quia licet hujusmodi dilatio *in se* parva videri possit, præ tempore tamen Paschali est satis notabilis. Nec excusandi sunt a peccato mortali, qui ex gravi negligentia accedunt indispositi ultima die temporis Paschalis, ita ut a Confessario ea tantum de causa ad aliud tempus remitti debeant. Per *accidens* excusantur, qui bona fide existimant satis esse, si ad Confessarium tunc accedant inchoandæ confessionis gratia; sed de obligatione communicandi intra Paschale tempus instruendi sunt.

483. — QUÆR. 5^o *An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui communicat in ecclesia cathedrali, vel de manu Episcopi extra parœciam?*

Resp. Neg., quia non communicavit in propria parœcia. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 300.* — *Salmant.* — *Gousset, n. 224*, contra *alios.*

QUÆR. 6^o *Quis possit dispensare ab hoc præcepto communicandi in parœcia?*

Resp. 1^o : Episcopus cum diœcesanis; 2^o Vicarii generales pariter pro diœcesi; 3^o Parochus ipse, cum lex in ipsius favorem lata fuerit, et insuper ex consuetudine constet. — *S. Lig., l. VI, n. 300.*

484. — QUÆR. 7^o *Ubinam peregrini, vagi, milites et famuli præcepto Communionis Paschalis satisfacere possint?*

Resp. 1^o : Peregrini et vagi possunt communicare in qualibet ecclesia, nec tenentur adire parœciam loci ubi versantur; quia non habent proprium Parochum, qui eos agnoscere debeat. — *S. Lig., l. VI, n. 300.*

2^o Milites in statione, vel domicilium in civitate habentes, communicare debent in parœcia in qua commorantur; secus in quacunque ecclesia præceptum adimplere possunt.

3° Famuli et alii omnes quasi domicilium habentes eadem lege ac incolæ loci ligantur.

QUÆR. 8° *An teneatur iterum communicare in parœcia, qui ibidem sacrilege communicavit?*

Resp. Neg., quia adimplevit finem præcepti quoad circumstantiam loci; sufficit igitur ut alicubi communicet ad satisfaciendum præcepto Communionis Paschalis, quod non adimplevit per Communionem sacrilegam. Nec tenetur ad Communionem Paschalem in parœcia sumendam, si quis tempore Paschali sacrum Viaticum suscepit; nam finis legis fuit sufficienter adimpletus. — *V. Casus, n. 448.*

Vide plura de Communionem in tractatu de SS. Eucharistiæ Sacramento.

DE V ECCLESIAE PRÆCEPTO

SEU

DE ABSTINENTIA A CARNE EXTRA JEJUNIUM

Principia.

485. — I. Exstat præceptum ecclesiasticum omnibus fidelibus impositum, certis diebus a carnibus abstinendi. Constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, Catechismis, et universali consuetudine, et omnium theologorum consensu. Imo præceptum abstinentiæ apostolicum reputatur, non secus ac præceptum jejunii, a quo primis Ecclesiæ sæculis non separabatur.

II. Præceptum hoc, præter tempus jejunii urget: 1° die Veneris cujlibet hebdomadæ in universo orbe christiano, nisi in hanc diem incidat Nativitas Domini; 2° die Sabbati, nisi legitima consuetudo alicubi per aliquod anni tempus aliter præscripserit. — Obtenta autem dispensatione a lege abstinentiæ in die Sabbati, quæ multis in locis ex Indulto Apostolico petentibus conceditur, non idcirco peregrinantibus extra regionem dispensationis licet comedere carnes in locis in quibus viget adhuc prædicta lex. Ita declaratum a S. Cong. R. et SS. Inquis. fer. iv. 10 Jan. 1855. — *V. Casus n. 496.*

In plerisque Galliæ diœcesibus, peculiari ex consuetudine, viget obligatio abstinentiæ tribus Rogationum diebus ac vigilia S. Marci. Attende igitur ad specialem locorum consuetudinem.

III. Præceptum abstinentiæ obligat *per se* sub gravi, quia materia est *per se* gravis; in eo tamen, juxta communem theologorum sententiam, admittitur materiæ parvitas. — *S. Lig. n. 1029.*

Quemadmodum autem ab aliis positivis legibus, sic etiam ab obligatione ista dantur causæ excusantes, scilicet impotentia, tum *physica*, tum *moralis*, seu magna difficultas, quæ in legis observatione reperitur. — *Ita omnes theologi cum S. Lig., ibid.*

Quæsitæ.

486. — QUÆR. 1^o *An parvulis possint dari carnes illis diebus, quibus prohibentur?*

Resp. Affirm., si usum rationis non sint adepti; secus, *nego.* — Si tamen usu rationis potiantur ante septennium, *controvertitur*; probabilius *negat S. Lig., de Leg., n. 155.* Expediit autem ut pueri ejusmodi abstinentiæ, etiam antequam obligentur, assuescant. — *Recole dicta in tract. de Leg., n. 93.*

QUÆR. 2^o *An sit peccatum mortale vesci offa, lactucis, etc., carne vel sagimine conditis?*

Resp. Affirm., si ille cibus sit notabiliter jurulentus; secus veniale tantum erit. Hinc mortale est, si jus offæ cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis. Facilius autem excusantur a gravi, vel etiam levi peccato pauperes, qui, cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis quantitate ad condiendam offam utuntur.

S. Pœnitentiaria declaravit, in concessione condimentorum (vulgo *de graisse*) non intelligi concessum usum condimenti ex adipe cujuscumque animalis, sed utendum esse tantum condimento suino; neque etiam sub his terminis comprehendi jusculum carnis coctæ. — *Acta S. Sedis, v. I, p. 420.*

487. — QUÆR. 3^o *Quinam a lege abstinentiæ excusari censeantur?*

Resp. 1^o: Pauperes mendicantes; manducare enim possunt quidquid eleemosynæ accipiunt, *ut communiter sentiunt theologi.*

2^o Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam aut lactucas condiendas. — *S. Lig. n. 1008.*

3^o Ægrotantes, v. gr., febri laborantes, etc.; ii etiam qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant; sed ab hallucinatione cavendum est, et medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri possit. — *S. Lig., ibid.*

4^o Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut, ægrotantium instar, famem non experiantur, cibosque respuant; cujusmodi sunt qui in fodinis, vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Horum etiam in numero censendi videntur aurigæ, qui, plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possint; non autem ii qui currus, equos vel mulos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur.

5^o Viatores, qui præter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola enim ratio itineris nullo modo a lege abstinentiæ eximit, etiamsi a jejunio ob nimiam defatigationem forte dispenset. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque hujus generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur.

6^o Excipiuntur denique milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti.

DE VI ECCLESIAE PRÆCEPTO

SEU

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO

488. — Jejunium Ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, quæ juxta formam ab Ecclesia præscriptam servanda est tempore præsertim Quadragesimæ, quatuor Temporum, et quarundam Vigiliarum, scilicet Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini nostri.

Agendum 1° de essentia et obligatione jejunii; — 2° de causis a jejunio excusantibus.

CAPUT I

DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE JEJUNII

489. — I. *Fideles omnes*, a vigesimo primo ætatis anno completo, tenentur *sub gravi* ad servandum statutis diebus jejunium, nisi legitime excusentur, vel a Superioribus dispensentur. Est antiquissima obligatio; quæ dicitur ab ipsis Apostolis tradita. Cæterum de hac obligatione constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, et ex omnibus Provinciæ ecclesiasticarum Catechismis.

Dixi: 1° *sub gravi*, quia lex respicit materiam gravem, quippe quæ ad salutem animarum admodum conducit. Constat insuper ex Propos. 23^a ab Alex. VII damnata, quæ sic jacet: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia faciat, puta, quia non vult se subicere præcepto.*

Dixi: 2° *a vigesimo primo anno expleto*; quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem eorum vires superantem. Constat ex consuetudine universali, et ex omnibus Catechismis.

II. Jejunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet: 1° unica comestione per 24 diei horas, vespertina refectiuncula adjecta; — 2° abstinentia a carnibus et lacticiniis; — 3° tempore ad refectiorem sumendam determinato. — Animadvertite tamen consuetudinem locorum ac temporum maxime conferre ad determinandam, vel modificandam, vel coarctandam jejunii naturam et obligationem.

ARTICULUS I

DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIONUNCULA

§ I. *De unica refectiõne.***Principia.**

490. — I. Refectio unica est primaria jejunii conditio: in hoc enim præcipue sita est ejus essentia, qua quidem sublata, nemo unquam jejunare

dicitur, dum e contrario jejunium sine abstinentia a carnibus et lacticiniis concipitur.

II. Parvæ autem comestiones, quæ præterea fiant, venialia peccata erunt seorsim sumptæ, et sæpius eodem die repetitæ in gravem materiam coalescere possunt, ut constat ex Propositione 29^a damnata ab Alexandro VII, quæ sic jacet: *In die jejuniû, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Merito autem damnata est hæc Propositio; cum secus de jejunio actum esset.

III. Jejunium non frangitur haustu aquæ, vini, aliarumque potionum, quæ de se ordinantur et communiter adhibentur ad sitim sedandam, quamvis juxta primam Ecclesiæ disciplinam Christiani a vino et a similibus liquoribus prorsus abstinnerint. Hinc axioma: *Liquidum non frangit jejunium.* — Sic *S. Lig., n. 1022.* Per *liquidum* autem id solum intelligitur, quod ex *communi usu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc. — *S. Lig. n. 1021.*

Quæsitæ.

491. — QUÆR. 1^o *An vinum ad famem sedandam haustum fringat jejunium?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia lex jejuniû præcipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu, et juxta S. Thomam, *in 4. dist. 13. q. 3, art. 4, q. 1, Statutum legis positivæ non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in præcepto, sed est finis præcepti.* — *S. Lig., n. 1022, et alii communiter.*

QUÆR. 2^o *An frangat jejunium potus casei et theæ?*

Resp. Neg. probabilius, nisi nimia sacchari copia admisceatur: quia hæc non habent naturam cibi, sed potus vel medicinae. — *Ita communiter.* — *S. Lig., n. 1022,* loquens tantum de thea dicit, eam, posita restrictione modo allata, *probabilius* rationem potus habere. Videtur idem de caféo tenendum esse.

492. — QUÆR. 3^o *An frangat jejunium potus aquæ saccharo immixta: vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectæ (limonades, sorbets, glaces, etc.)?*

Resp. Neg. per se, id est nisi magnam eorum substantiæ copiam immisceas, quæ rationem cibi habere censeatur. — *Ita communiter cum S. Ligor., ibid.* — Ratio est, quia hæc omnia ex communi æstimatione tanquam potiones habentur, sive sint liquida, sive gelu concreta.

QUÆR. 4^o *An potio chocolati frangat jejunium?*

Resp. Affirm., si pinguem, uti mos est extra tempus jejuniû, tibi præbeat nutritionem. — *Neg.* vero si modica chocolati quantitas sumatur, et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur. — *Ita S. Lig. n. 1023.* — Quenam quantitas sumi potest? Dicit S. Auctor, non minus quam unciam cum dimidia chocolati in cyathis ordinariis immitti solere; sic enim ex more ab Ecclesia tolerato, et a piis fidelibus servato communiter fieri solet. Non pauci autem, imminuta chocolati prædicta quantitate, panem pro rata substituunt. At vero totalis cibi illius quantitas duarum unciarum pondus, præcisa aqua, excedere non deberet.

493. — QUÆR. 5^o *An liceat die jejunii degustare aliquid cibi ante potum, ne hic noceat?*

Resp. : Id sane non licet *toties quoties*, ut aiunt, quamvis *Diada, Leander, alii*que id quoque concedant; tunc enim irrisibilis foret lex jejunii. Permitti itaque tantum potest semel aut iterum in die. — *S. Lig. n. 1018.*

QUÆR. 6^o *An electuaria frangant jejunium?*

Resp. : *Electuaria* dicuntur ea, quæ ex electis rebus, v. gr., ex saccharo et junipero, etc. conficiuntur. Non censentur autem illicita diebus jejunii, si per modum medicinæ, et in modica quantitate sumuntur. Sufficit autem quælibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. gr., ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris factorem tollendum, vocem conservandam, et similia. — *S. Thom., 2. 2., q. 147, art. 6.* — *Sporer.* — *Elbel.* — *S. Lig., n. 1019*, addit, probabiliter eos quoque excusari, qui aliquid sumunt ne vires deficient, quando prandium ultra horam communem differre debent. Imo urgebit obligatio aliquid sumendi, si ad jejunium servandum, quod secus ferre non posses, hoc sit necessarium. — *Lacroix, n. 1324.*

494. — QUÆR. 7^o *Quænam quantitas cibi censeatur materia gravis, si extra refectioem et cœnulam sumatur?*

Resp. : *Controvertitur.* Gravis procul dubio censenda est materia, quæ vespertinæ cœnulæ addita alteram efficeret refectioem. Certo autem quantitas duarum unciarum ut materia levis habenda est. Non pauci materiam gravem existimant quantitatem dimidiæ cœnulæ æquivalentem, seu quatuor uncias.

QUÆR. 8^o *An qui culpabiliter duplicem sumpsit refectioem graviter peccet, si tertiam superaddat?*

Resp. Neg., saltem probabilius. Ratio est, quia præceptum jejunii urget modo indivisibili, durante die præcepti; proinde qui semel illud violavit, non peccat iterum atque iterum comedendo. Ergo patrato semel peccato mortali per jejunii violationem, tota lex tali die urgens violata est. Ergo, etc. — *S. Lig. n. 1030.* — *Mazzotta, Ronc., et alii communiter.*

Qui tamen frangit jejunium pluries comedens carnes aut lacticinia vetita, toties peccat, quoties comedit. *S. Lig., Hom. apost., n. 20.*

495. — QUÆR. 9^o *An qui inculpabiliter duplicem in die refectioem sumpsit, errore detecto, aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

Resp. : *Quidam affirmant.* Ratio est, quia jejunium *materialiter* tantum, non *formaliter* læsit: quare cum primum ad legem jejunii advertit vel causam excusantem cessare videt, eidem legi subjicitur, eamque, ut cæteri, servare tenetur; secus enim eam formaliter violaret. — *Ita probabiliter Reuter, de Leg., n. 176.* — *S. Lig., Hom. apost., n. 20.* Alii tamen *probabilius negant*, quia cum essentia jejunii in unica comestione sita sit, post binam refectioem jejunium impossibile evadit. — *Recole dicta de Leg., n. 95.*

496. — QUÆR. 10^o *Quid si die jejunii inadvertenter jentatus fueris?*

Resp. : 1^o Si parum quid sumpseris, v. gr., unam aut alteram cibi unciam, debes ex more jejunare, quin tamen refectioem ac cœnulam consuetis horis deseras; non enim fuit *substantialiter* læsum jejunium.

2^o Si quantitatem sumpseris dimidiæ aut integræ cœnulæ æquivalentem,

transferre debes prandium ad vespertinum tempus, completa si placeat interdiu cœnula; vel, si nolis transferre, cœnulam vespere debes minuere. aut, casu quo integram sumpseras, ab ipsa abstinere, nisi in grave incommodum hoc tibi cedat.

3^o Si tamen ejusmodi quantitas vel duplici fere cœnulæ vel consuetæ refectioni par fuerit, deberes, omisso prandio, vespertinam tantum cœnulam sumere, eam tamen maturius, si absque gravi difficultate expectare nequeas. Hanc insuper cœnulam pro necessitatis ratione augere posses.

§ II. De collatione serotina.

Præter consuetam refectionem licet, ex consuetudine universali a multis sæculis introducta, et ab Ecclesia tolerata, imo tacite etiam approbata, sumere sub vespere refectiunculam ex levioribus cibis. — *Ita omnes.*

Quæsitæ.

497. — QUÆR. 1^o Quænam cibi quantitas in cœnula sumi possit?

Resp. : Ex hodierna et communi consuetudine octo circiter cibi uncix, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt. — *Ita S. Lig. n. 1025.* — Alii vero permittendam, aiunt, quartam cœnæ partem. Verum hæc doctrina nimis vaga vel scrupulis obnoxia est. — Quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur, major autem concedenda iis quibus hæc non sufficeret. — *S. Lig., ibid.* — *Elbel, Lacroix.* — Sane statui nequit regula omnino fixa, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem jejunii, etc. attendi debeat. Licet in genere sumere quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quæ ipsum impediat quominus officia sua convenienter obeat. — *Scav., Gousset.* Habenda etiam est ratio propriæ regionis, sicubi major cibi quantitas necessaria est.

498. — QUÆR. 2^o Qualis excessus censeatur gravis in cœnula?

Resp. : Omnes conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem. — *S. Lig., ibid.* — Severiores cum *Concina* gravem esse docent excessum duas uncias superantem. Non pauci requirunt excessum supra cœnulam alteri dimidiæ cœnulæ æquivalentem; alii tenent cum *Billuart* requiri excessum qui seorsim sumptus cœnulæ integræ æquivalet.

Variis in locis ex inducta consuetudine in vigilia Nativitatis, aut in Cœna Domini sumere licet quantitatem duplo majorem, sed hæc consuetudo non ubique viget.

QUÆR. 3^o Quænam ciborum qualitas adhiberi possit in cœnula?

Resp. : Panis, fructus quilibet, olera etiam quælibet, et dulciaria varii generis. Sed imprimis servanda est locorum consuetudo. Plura enim permittuntur in variis diœcesibus, vel provinciis, quæ alibi interdiciuntur: sic, v. gr., in Gallia et alibi generatim caseo vesci licet.

499. — QUÆR. 4^o An liceat comedere ova et butyrum in cœnula vespertina?

Resp. Neg., generatim; neque sufficit ut habeatur dispensatio pro lactiniis, prout constat ex Decreto Bened. XIV et Clem. XIII, quo declaratur eam dispensationem indultis pontificiis ad unicam comestionem dari. Attamen quibusdam in locis, ut diximus, ex hodierna consuetudine licet

sumere aliquid butyri, aut casei; minime autem ova permittuntur, quia sunt maximæ substantiæ, et ideo a consuetudine rejiciuntur, ait *S. Lig.*, *ibid.* — *Vide dicenda n. 504. S. Lig. n. 1027.*

QUÆR. 5^o *An in cænula permittantur pisces?*

Resp. Affirm., si agatur de pisciculis, præsertim exsiccatis, et probabiliter etiam de piscibus majoribus; putat tamen *S. Lig.*, *n. 1028*, ex hisce duarum vel trium unciarum pondus non esse excedendum. — *S. Ligor. n. 1028.*

500. — QUÆR. 6^o *An liceat in cænula uti jusculo ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo, aut vino decocto?*

Resp. Affirm. probabiliter, nisi certo adversetur consuetudo: tum vero, nec aqua, nec vinum in pondus computanda sunt; computandum autem est, juxta *Vivam*, quod non habet rationem potus, v. gr., oleum. — *S. Lig.*, *n. 1029, et alii.*

QUÆR. 7^o *An liceat sumere in cænula panem cum aqua et oleo decoctum, sive panem jurulentum (gallice: potage)?*

Resp. Affirm., ex hodierna consuetudine, quam sequuntur etiam timorati, approbantque communiter recentiores theologi. — Attamen, juxta *S. Lig. n. 1029*, non licet sumere octo uncias panis decocti cum aqua, hac præcisa. Ratio est, quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua aliam naturam acquirit, ita ut ex iis quid unum fiat et evadat una substantia major.

Concedi autem potest, ait *S. Ligorius*, ut inter ipsam refectionem quis panem aqua aut vino intingat, et sic etiam octo uncias panis vino madefacti sumat; quippe nulla hic intervenit fermentatio; et liquor, cum inserviat tantum ad vehiculum, non computatur.

501. — QUÆR. 8^o *Quænam hujusmodi panis decocti quantitas permitti possit?*

Resp.: Dissentiunt theologi; alii enim, *severius*, negant licitum esse octo uncias, computata aqua et oleo, excedere. *Severius*, inquam; etenim si una uncia panis in decem aquæ unciis cum altera uncia olei decoqueretur, quid scrupuli esset duodecim has uncias permittere? Alii vero laxiores concedunt octo uncias decocti panis, aqua præcisa. Atqui ob hujusmodi decoctionem atque fermentationem habes quid unum cibi, quod magis, quam solus panis, certe nutrit; ergo ab aqua omnino saltem præscindi non potest. Mediam nos sententiam eligimus, permitti scilicet posse quinque vel saltem quatuor uncias panis decocti, non computata aqua, neque oleo. — *Ita probabiliter Salmant., c. II, n. 77.* — Dicit autem *S. Lig.*, *n. 1029*, se hanc sententiam non improbare. Idem pariter dicendum erit de aliis decoctionibus, quæ itidem in cænula apponi solent, v. gr., ex farre, oryza, etc.

ARTICULUS II

DE ABSTINENTIA CARNIS IN JEJUNIO

Principia.

502. — I. Omnibus fidelibus ratione utentibus, præcepto Ecclesiæ interdicatur esus carnis singulis jejunii diebus. Hinc duplex lege jejunii imponi-

tur præceptum, ut etiam definit Bened. XIV, nempe abstinendi a pluribus refectionibus, et abstinendi a carnibus; contra igitur ac plures antiquiores habent, dispensatus vel impotens quoad unum, non ideo ab altero excusandus est. — *S. Lig. n. 1005.*

Nomine autem carnis veniunt omnia animalia in terra viventia ac respirantia, ut admittunt communiter theologi ex regula a *S. Thoma* tradita; non igitur prohibentur pisces, ranæ, limaces, testudines, etc. — *S. Lig. num. 1011.*

II. Tempore quadragesimali prohibentur etiam ova et lacticinia, ea scilicet omnia quæ originem ex carne ducunt. Constat ex praxi Ecclesiæ, ex ejus dispensationibus et ex Propositione 32^a ab Alexand. VII damnata, quæ sic sonat: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.* Nunc tamen plerisque in locis conceditur fidelibus generalis dispensatio ab illa lege, si pauci dies excipiantur. Imo in multis diocesis Episcopi, ex delegata a Romano Pontifice facultate, quoad esum quoque carnis pro præcipua parte Quadragesimæ dispensationem concedunt.

Cæterum, quamvis esus ovorum et lacticiniorum a peccato gravi, *per se*, excusari non posset juxta communem sententiam, facilius tamen materiæ parvitas in his, quam in esu carnis, admittenda videtur.

Quæsitæ.

503. — QUÆR. 1^o *An abstinentia a lacticiniis servari debeat etiam in jejuniis extra tempus quadragesimale?*

Resp. Neg. Quia hujusmodi obligatio nulla generali lege imponitur. Est sententia communis, ait *S. Lig. n. 1009.* Alicubi tamen, v. gr., Romæ, invaluit consuetudo, habens vim legis, ut etiam quibusdam aliis diebus, v. gr., quatuor Temporibus, ejusmodi abstinentia servetur.

QUÆR. 2^o *An abstinentia a lacticiniis servari debeat in Dominicis Quadragesimæ?*

Resp. Affirm., quia diem Dominicam neque lex neque consuetudo excipit. — *S. Lig., n. 1007, et alii communiter,* contra nonnullos, quorum sententia non est probabilis juxta *S. Lig., ibid.*

504. — QUÆR. 3^o *An tempore Quadragesimæ liceat in refectione comedere panes ovis confectos?*

Resp. Neg., nisi ova fuerint permessa; ratio est, quia eorum substantia non deperditur ex eo quod farinæ miscetur. *S. Lig. n. 1009, etc.*

QUÆR. 4^o *Ad dispensati ad lacticinia censeantur eo ipso etiam dispensati pro ovis?*

Resp. Affirm., quia hæc ex consuetudine equiparantur, nisi distinctio clare in dispensatione exprimitur.

QUÆR. 5^o *An dispensati ad carnes diebus jejunii possint comedere etiam pisces?*

Resp. Neg. si agatur de comedendis piscibus in eadem refectione. Constat ex Constit. Bened. XIV: *Non ambigimus.*

ARTICULUS III

DE HORA REFECTIONIS

Nostris his temporibus, ex *universali consuetudine*, licite refectio fere sub meridie sumitur. — *S. Lig. n. 1016; Hom. apost., num. 9.*

Quæsitæ.

505. — QUÆR. 1^o *An hora refectiois pertineat ad essentiam jejunii, ita ut graviter peccet, qui notabiliter eam anticipet?*

Resp. : Controvertitur. Duplex est sententia probabilis. Affirmat S. Lig., Hom. apost. n. 21, et alii multi. Negant vero Laymann, Elbel, alique non pauci. Praxis primæ sententiæ consona videtur præferenda, nisi legitima locorum consuetudo aliud permittat.

QUÆR. 2^o *An frangatur jejunium, si cœnula meridie, refectio autem vespere sumatur?*

Resp. : Non frangitur essentialiter, et proinde si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale. Verum etiam ab hoc veniali excusat causa rationabilis, et loci aut conditionis consuetudo. Imo multis in locis ex consuetudine hodierna fieri potest cœnula hora decima matutina, et refectio vespere.

QUÆR. 3^o *Quamdiu prandium protrahi possit?*

Resp. : Nihil absolute circa hoc determinari potest; non videtur autem absque aliqua culpa protrahi posse ultra duas horas. — S. Lig., n. 1020; Hom. apost., n. 10. — Lacroix. — Billuart, etc.

506. — QUÆR. 4^o *An frangat jejunium, qui refectioem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit?*

Resp. : 1^o Si interruptio sit levis, v. gr., unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat. — S. Lig. id. num.

2^o *Si interruptio sit unius fere horæ sine ratione, non caret aliqua culpa levi, ut videtur.*

3^o *Si interruptio sit valde notabilis, v. gr., duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio, nisi justa causa excuset.*

Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, quando præcedens refectio sufficiens non fuerit; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectioe transigendam. — *S. Lig. n. 1020.*

QUÆR. 5^o *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensæ accumbere?*

Resp. Affirm., probabiliter, si convivæ adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum quod ipse ignorabat apponendum. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. — S. Lig. n. 1020.

QUÆR. 6^o *Si quis mane, itineris causa, jentaculum sumpserit, an teneatur jejunare, si postea non proficiscatur?*

Resp. Affirm., per se. Ratio est, quia, cum essentia jejunii non sit adhuc

destructa, pergīt urgere illius obligatio. Excipe tamen, si per unicam illam comestionein non possit ille commode reliquo die jejulare. — *S. Lig., ibid.*
— *Vide Casus de jejunio et abstinentia*, a n. 458 ad n. 467.

CAPUT II

DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS

Causæ excusantes a jejunio ad tres præcipue revocari solent, scilicet : 1° ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2° ad pietatem vel caritatem; 3° ad dispensationem, sicut de aliis præceptis dictum est.

Resolves.

507. — 1° Excusantur a jejunio pauperes ostiatim mendicantes, aliique omnes qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde æquam refectionem comparent. Ad hanc vero non sufficiunt panis et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum. — *S. Lig. n. 1033; Hom. apost., n. 23.*

2° Excusantur ægroti, infirmi, convalescentes et debiles, v. gr., qui febris tertiana vel quartana laborant, vel ab ea convalescunt; ii præterea, qui nisi bis reficiantur, notabilem ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiuntur. — *S. Lig. n. 1033, 1034.*

3° Excusantur illi qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare, et alia hujusmodi. — *S. Lig. n. 1041.*

4° Excusantur famuli et famulæ aut alii ejusmodi, cum tot tantisque occupantur laboribus, ut jejunium cum his conjungi absque magna difficultate vel incommodo non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione. — *S. Lig., ibid.*

5° Non autem *per se et ordinarie* excusantur tonsores, sartores, pictores, scribæ, famuli, pedissequi, typographi qui præhæm non versant, sed characteres tantum disponunt, cæterisque similibus operam dantes. — *S. Lig. n. 1041. — Reuter, etc.*

Quæsitæ.

508. — QUÆR. 1° *An juvenes viribus validiores jejulare teneantur ante 21^{um} ætatis annum expletum?*

Resp. Neg., quia lex, ut accipitur et consuetudine approbata determinatur, obligat tantum eos qui annum 21^{um} expleverunt: in hoc enim attenditur ad id tantum quod communiter accidit. Suadendum tamen est juvenibus, ut pro modo suæ ætatis interdum jejulent, quo facilius, cum tempus obligationis advenerit, jejunii legem servare queant. — *S. Lig. n. 1035, etc.*

509. — QUÆR. 2° *An excusentur a jejunio senes sexagenarii?*

Resp. 1°: Excusantur sane, si sint viribus debiles, ut patet. Imo excu-

santur etiam juxta communem sententiam in dubio de validitate virium; quia tunc præsumptio stat pro earum imbecillitate. — *S. Lig. n. 1036.*

Resp. 2°: Si viribus polleant, controvertitur. Prima sententia negat eos a jejunii lege eximi, quia illi qui in ea ætate vires validas habent, ut senes non reputantur. — Laymann, Antoine, Collet, etc. Hæc quidem sententia est probabilis (ait ibid. S. Alphonsus); sed non minus probabilis est sententia opposita, quam tenent Sanchez, Roncaglia, Salmant... Ratio est, tum quia alia esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit vel ne sufficienter robustus ad jejunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia hujusmodi senes, tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali ætate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit, in hujusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum... Hinc commune adagium: Senectus ipsa est morbus.

510. — QUÆR. 3° *An excusentur a jejunio fabri, artifices, etc., si sint adeo robusti ut jejunare sat facile possint?*

Resp. Affirm. probabiliter, quia consuetudo eximit generatim omnes qui ejusmodi artes exercent; leges autem non respiciunt id quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter et per se contingit. Negant autem etiam probabiliter Concina, Bonacina, etc. — Hæc secunda sententia (ait S. Lig., n. 1043), speculative loquendo, videtur probabilior; sed in praxi vix reperietur unus, qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur.

QUÆR. 4° *An excusentur a jejunio opifices iis diebus, quibus a labore abinent?*

Resp. Affirm., si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendæ lassitudinis, et servandarum virium ad proximos labores sustinendos. — Ita communiter.

QUÆR. 5° *An excusentur artifices divites, qui a labore diebus jejunii cessare possint?*

Resp. Affirm. probabilis. Ratio est, quia interest Reipublicæ, ne causa jejunii operarii intermittant exercere artes quibus ex suo officio incumbunt. Id etiam constare videtur ex declaratione Eugenii IV apud S. Lig., n. 1042. Neque mens est Ecclesiæ ut fideles ab ordinariis occupationibus impedian- tur. — Ita communiter.

511. — QUÆR. 6° *An peccent, qui sine justa causa inusitatum laborem et cum jejunio impossibilem assumunt?*

Resp. Affirm. per se, etiamsi in fraudem legis non agant; lex enim, quæ jejunium imperat, consequenter jubet, ne absque ratione apponantur causæ quæ ejusdem satisfactioni adversentur. — Ita communiter.

Dixi absque ratione; quia justa interveniente causa suscipere licet laborem cum jejunio impossibilem, quamvis labor iste inusitatus sit, v. gr., ad maximum percipiendum lucrum, etc. Sola autem meri oblectamenti ratio nunquam sufficit, nisi alia causa honesta accedat. — S. Lig. n. 1046.

QUÆR. 7° *Quale iter justa de causa pedibus susceptum a jejunio eximat?*

Resp. : Communiter aiunt, requiri ac sufficere iter 5 ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum; quod si vel perardua foret via, vel tempestas

immitis, vel viator debilis, itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum. — *S. Lig. n. 1047.*

512. — QUÆR. 8^o *An vel quomodo excusentur concionatores, magistri scientiarum et Confessarii?*

Resp. 1^o: Concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent, communiter ratione pietatis ac muneris a jejuniis excusantur. Potiori etiam jure missionarii, qui graviori defatigatione in missionibus exercentur. Generatim loquendo non excusantur concionatores qui ter aut quater tantum in hebdomada concionantur; sed in hoc standum est iudicio prudentium. — *S. Lig. n. 1049; Hom. apost., n. 34.*

Resp. 2^o: Magistri scientiarum excusantur, licet per unam tantum horam singulis diebus doceant, si magno studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii qui e scripto tantum tradunt lectiones jam prius ordinatas ac sæpius repetitas. — *S. Lig., ibid.* Merito autem censent Sanchez et Azor, contra Salmant. et alios, excusari magistros grammaticæ, si per 4 vel 5 horas doceant.

Resp. 3^o: Confessarii non excusantur *per se*, sed tantum cum extraordinarium laborem subeunt, v. gr., cum pluribus succedentibus diebus confessiones audire debent, ut in Missionibus fieri solet, vel cum ita sunt debiles viribus, ut sine gravi incommodo pœnitentium frequentiæ satisfacere nequeant. — *S. Lig., ibid.* — *V. Casus, n. 468 et seq.*

RESPONSA CIRCA JEJUNIUM ET ABSTINENTIAM A CARNIBUS

513. — 1^o Ad quæsitum: *Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam intra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero differendo ad quartam vel quintam horam vespertinam?*

S. Pœnitentiaria (die 10 Jan. 1834) respondendum censuit: Si inversionis supradictæ rationabilis aliqua exstet causa, pœnitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.

2^o Ad quæsitum: *Utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiæ a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes familiæ personas indiscriminatim extendere possint?* (Ex italico exemplari latina versio.)

S. Pœnitentiaria respondendum censuit: Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus.

3^o Ad quæsitum: *Utrum, cum paterfamilias a lege abstinentiæ a carnibus tempore Quadragesimæ dispensatus, non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes, parari, ejus filii aut familiares carnes edere possint?* (Ex italico exemplari.)

S. Pœnitentiaria (die 16 Jan. 1834) respondendum censuit: Posse personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrisfamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdicitis epulis, et de unica comestione in die pro iis qui jejunare tenentur. Ratio autem hujus permissionis non est Indultum patrisfamilias concessum, sed impotentia in qua versantur filiifamilias.

miliis observandi præceptum. Sic declaravit S. Pœnitent. (die 27 Maii 1863). — Vide *Ephemer.*, *Revue cathol. de Louvain*, Juillet 1863. Item, *Correspondance de Rome*, 17 Octobre 1863.

514. — 4^o Ad quæsitum: *Utrum fideles exempti a lege jejunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimæ, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, haud secus ac in dominicis diebus ejusdem Quadragesimæ in quibus non urget obligatio jejunii?* (Ex italico exemplari.)

S. Pœnitentiaria (die 16 Jan. 1834) respondit: Fideles, qui ratione ætatis vel laboris jejulare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum Indultum concessum est, omnibus diebus Indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis, per idem Indultum permissis, quoties per diem edunt. Hoc autem non valet in diœcesi cujus Episcopus auctoritate apostolica concedit fidelibus, ut feria 2^a, 3^a, 5^a, temporis Quadragesimæ possint semel in die vesci carnibus et ovis, iis vero, qui ratione ætatis vel laboris jejulare non tenentur, permittit ut ovis sæpius in die utantur. Sic declaravit S. Pœnitentiaria, die 27 Maii 1863. — Vide *Ephemer.*, *Revue catholique de Louvain*, Juillet 1863. — Item, *Correspondance de Rome*, 17 Octobre 1863.

5^o Ad quæsitum: *Utrum iis qui, ratione ætatis et laboris, jejulare non tenentur, æquiparandi sint qui, ratione infirmæ valetudinis, a jejunio excusantur, adeo ut illis quoque pluries in die vesci carnibus liceat?*

S. Pœnitentiaria (39 Junii 1863) resp.: Non æquiparari.

Non æquiparantur, eo quod excusati propter ætatem et laborem cibis vetitis uti possint solummodo, prout per indultum permittuntur; infirmi e contra, juxta statum propriæ valetudinis et medici judicium. — *Acta S. Sedis*, vol. I, p. 427. not. 2. Nam cæterum

6^o Ad quæsitum: *An ii qui ratione affectæ valetudinis a lege jejunii dispensati sunt, possint iis diebus, quibus per indultum esus carniū concessus est, sæpius per diem carnibus vesci?*

S. Pœnitentiaria (die 16 Martii 1882) resp.: Affirmative.

7^o Ad quæsitum: *Utrum ii, qui ratione ætatis vel laboris jejulare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per Indultum carnes permittuntur?*

S. Pœnitentiaria (die 13 Februarii 1834) respondit: Consulat (quisque) probatos Auctores.

Porro hac de re controvertitur inter theologos. Alii docent illos quoque subjici; nam lex, qualitatem ciborum respiciens, omnes rationis usum adeptos obligat, adeo ut, si Indultum non esset, etiam illi a carnibus deberent abstinere: unde tota diversitas eo tantum respicit, ut quæ una vice comedere possunt jejunantes, ea toties quoties voluerint, valeant comedere a jejunio exempti. Alii vero, quibus subscribit *Righetti*, contrarium tenent, nam Encyclicæ *Bened. XIV*, quibus ea mixtio prohibetur, de solis jejunantibus loquuntur: ergo non ultra sunt extendendæ; alioquin si nimis essent urgendæ, a jejunio dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendæ carnes, cum semel tantum ibi carnes indulgeantur. — *Scavini*, *App.* II in fine vol. I¹.

¹ Verum postulanti Episc. Baionensi: *Utrum obligatio de non miscendis piscibus cum*

515. — 8° Ad quæsitum : *Utrum fideles dispensati a lege abstinentiæ diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio jejunii, vesci possint piscibus simul et carnibus?* (Ex italico exemplari.)

S. Pænitentiaria (die 15 Feb. 1834), proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI, de ipsius Sanctitatis Sux mandato, respondet : Permitti.

9° Ad quæsitum : *Utrum diebus jejunii tempore Adventus a Pio VI præscripti, permissis tamen lacticiniis, ei, cui propter infirmitatem licitus est esus carniū, interdicta sit promiscuitas carnis ac piscium?*

S. Pænitentiaria (die 8 Jan. 1834) respondit : Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem¹.

10° Ad quæsitum : *Utrum lege vetitæ permixtionis cum carnibus, comprehendantur pisciculi sale siccati, seu encrasicholi (gallice anchois), harengi (gallice harengs) aliaque his similia; an misceri possint ad instar condimenti alterius feruli?*

S. Pænitentiaria (die 10 Jan. 1834) respondit : Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.

11° Ad quæsitum : *Utrum tempore jejunii, ei, cui licitus est esus carniū, liceat miscere testacea marina, quæ improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, id est ostreas (gallice huitres), caneros (écrevisses)?*

S. Pænitentiaria (die 16 Jan. 1834) respondit : Testacea marina, quæ improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio est prohibita.

12° Ad quæsitum : *Utrum dispensati a lege abstinentiæ a carnibus possint, diebus quibus urget jejunii obligatio, valetudinis causa, vesci jure tantum carnibus condito, et de cætero cibos esuriales edere (sicut cæteri qui pisces edere queunt), ad legem abstinentiæ, in quantum fieri potest, servandam?* (Ex italico exemplari.)

S. Pænitentiaria (die 8 Feb. 1828), attente consideratis expositis, respondit : Affirmative.

516. — Memoranda hic est et decisio S. Congreg. S. Officii 23 Maii 1853 circa jejunium vigiliæ S. Petri pro iis regionibus in quibus festum S. Petri in sequentem diem Dominicam transfertur. Ita porro se habet : *In Congregatione generali sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis, habitu in conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam, coram Em. et Rev. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus proposita scripta instantia, et præhabito voto Dominorum consultorum, iidem Em. ac*

carne diebus Quadragesimæ, attingat omnes qui vi indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos qui jejunant? S. R. et Un. Inquis., die 23 Jun. 1875, respondit : *Affirmative* quoad 1^{am} partem; *negative* quoad 2^{am} partem; et detur decretum 24 Mart. 1841, nempe ad dubium : *An lex de non permiscendis epulis, eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenentur, uti juvenes antequam tertium compleverint septennium alique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam vel laborem?* EE^{mi} decreverunt : *Non licere.*

¹ Lex de non permiscendis piscibus cum carne extenditur ad anni tempora universa, quibus præcipitur jejunium; ad totam scilicet Quadragesimam, ipsis Dominicis comprehensis, ad Quatuor tempora, Vigiliisque præceptas. — *Benedictus XIV. Const. In suprema, 22 Aug. 1741; et Libentissime, 10 Jun. 1745.*

Rev. Domini rescribi mandarunt, jejunium in pervigilio festivitatis Sanctorum Apostolorum esse servandum. (22 Maii 1853.)

Hæc autem responsio ex multiplici decisione S. C. Rit. ita intelligenda est, ut jejunium a supradictis fidelibus servari debeat, non quidem in ipso pervigilio S. Petri, sed Sabbato immediate præcedente Dominicam, ad quam remittitur Solemnitas SS. Apostolorum. — Postulantibus tamen Episcopis Belgii, ut in suis diocesisibus res in pristinum statum restituerentur, jejuniumque in pervigilio Festi, et non in Sabbato, fieret; ne, ut non raro evenit, incidente Festo in ipsum Sabbatum, eodem die quo esset in Choro celebrandum solemniter Festum SS. Apostolorum, eorundem esset servanda Vigilia: SS. D. P. Gregorius XVI *de speciali gratia* annuit, die 22 Sept. 1838; sed solummodo juxta preces, quando natalis SS. Apost. incidit in Sabbatum. Non constabat hanc gratiam aliis præter quam Belgarum Episcopis aliquando concessam fuisse; verum quæ pro gratia solum haberi poterat, jam regula est, quæ ubique observari debeat, vi decreti a S. Cong. S. Offic., die 22 Nov. 1879, editi, quo præscribitur universim: *ut incidente festo SS. Apostolorum in Sabbatum ante Dominicam festivitatis, servetur jejunium IV kalendas Junii, i. e. die Junii 28.*

TRACTATUS

DE JUSTITIA ET JURE

Tanta est tractationis, quam aggredimur, de justitia et jure necessitas, ut ea inter præcipuas theologiæ moralis partes merito reponenda sit; tanta vero difficultas, ut nisi perspicuitas et ordo laborem levent, in plurimis ad hanc materiam pertinentibus vix quisque sese possit expedire. Justitia enim latissime patet, ac plurima amplectitur jura et officia, quibus humanæ societatis membra invicem devinciuntur. Quanti vero momenti hæc tractatio sit, ex eo apertum est, quod hisce præsertim temporibus homines multos videre est sua profundere, aliena invadere, jura omnia subvertere, ut jugem voluptatum famem exsaturare possint. Quibus infestissimis Reipublicæ malis ut Ecclesiæ ministri medeantur, regulas justitiæ et juris apprime callere debent. Ipsorum enim est aberrantes ad recta principia revocare, et jurium officiorumque æquitatem summo zelo curare. Quamobrem in hac potissimum tractatione versanda ferventi oratione assiduoque studio utendum est.

Agendum 1° de natura et principiis justitiæ et juris; — 2° de violatione juris, sive de injuria; — 3° de reparatione juris, seu de restitutione.

PARS PRIMA

DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIÆ ET JURIS

CAPUT I

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS JUSTITIÆ ET JURIS

ARTICULUS I

DE NATURA JUSTITIÆ

517. — DEFINITIO. Justitiæ nomen a *justo* derivatum videtur. Justum autem dicitur, quod est adæquatum et commensum cum sua regula, unde justitia in genere vocatur ea animi affectio, quæ efficit hanc adæquationem et commensionem. — *Lessius*.

Hinc justitia, latiori sensu, nunc accipitur pro collectione omnium virtutum: Matth. v, 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*; nunc pro statu gratiæ aut caritate; nunc pro actu recto vel habitu bono: his enim omnibus voluntas conformatur ac veluti commensa efficitur suæ regulæ, id est divinæ legi.

In strictiori autem sensu est virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad jus suum alteri reddendum. De justitia sic accepta nobis agendum est.

Justitia itaque specialis virtus est, quæ debiti solutionem urgere ad æqualitatem intendit; *ratio enim ejus*, inquit *S. Thomas* (2. 2., q. 80, a. unic.), *consistit in hoc, quod alteri reddatur quod ei debetur secundum æqualitatem*. Ad ipsam igitur pertinet injuste ablata restituere, damnificata reparare, a fraudibus abstinere, fidem datam in pactis custodire, et cuique jus suum integrum servare.

Dicitur in definitione: *alteri*; quia justitia est semper *ad alterum*, atque adeo requirit personarum diversitatem; nemo enim justus erga seipsum dici potest, neque sibi facere injuriam, quæ est læsio juris altero invito. — *Lugo, disp. 1, n. 9.*

518. — *Divisio*. Justitia quadruplex distinguitur, scilicet: legalis, distributiva, vindicativa, et commutativa.

1^o Justitia *legalis* inclinatur quemque ad reddendum societati, cujus est pars, officia omnia quæ bonum commune requirit. Hinc subditum et ipsum Principem ad communitatem velut partem ad totum ordinat. Vocatur *legalis*, quia munus ejus præcipuum est ut omnium legum, ad quas pertinet universa ordinare in bonum commune, observationem promoveat. *Generalis* quoque dicitur, eo quod nullus sit virtutis actus, quem non possit, et aliquando non debeat, propter bonum commune imperare. — *S. Thom. 2. 2., q. 58, art. 5.*

2^o Justitia *distributiva* ea est, qua bona vel onera communia distribuuntur inter membra societatis secundum debitam proportionem meritorum vel facultatum. Non igitur intendit æqualitatem rei ad rem, quæ dicitur arithmetica, sed geometricam, quæ est æqualitas proportionis. Residet præsertim in Superiore; eam tamen participant etiam subditi, quatenus justæ distributioni a Superiore factæ acquiescunt, atque illa contenti sunt. Hinc ordinat communitatem seu Superiorem ad subditos, velut totum ad partes. — *S. Thom. 2. 2., q. 61, art. 1, 2.*

3^o Justitia *vindicativa* inclinatur Principem ad fontes pœnis congruis pro societatis bono plectendos. Consistit igitur in congrua punitione reorum in bonum publicum; et ad justitiam *legalem* revocari potest, quatenus promovet bonum commune; ad *distributivam*, quatenus debitam proportionem in infligendis pœnis sontibus observat; ad *commutativam*, quatenus ex officio iudex eam exercet. Ex his enim omnibus efficitur ut puniatio *congrua* esse dicatur; unde multi justitiam *vindicativam* non habent tanquam peculiarem justitiæ speciem a cæteris distinctam.

4^o Justitia *commutativa* inclinatur voluntatem ad jus suum strictum unicuique privato reddendum, servando æqualitatem rei ad rem, id est rei redditæ ad rem debitam. Hæc spectat tantum privatos, ut a se invicem distinctos; et si quandoque interveniat inter communitatem et cives, id fit ubi communitas se gerit aut accipitur non ut totum, sed ut pars aut particularis persona, quæ contractu aut quasi contractu alteri particulari personæ obligatur. Vocatur autem *commutativa*, quia circa commutationes et contractus præcipue versatur. De hac sola agemus, quia sola presso sensu nomen justitiæ sibi vindicat.

ARTICULUS II

DE NATURA JURIS

519. — DEFINITIO. In stricto sensu, et quod ad præsens attinet, jus *active* sumptum definitur: *Legitima potestas quam quis habet circa rem suam, vel ad rem sibi debitam.* Passive autem idem est ac justum et æquum, seu est id quod habenti talem potestatem propter ipsam debetur. Hinc, cum justitiæ munus sit reddere cuique *jus suum*, id est, quod ipsi debetur, patet quod ipsa a jure differt, sicut virtus quælibet a suo objecto. — Jus *passivum* igitur est ipsum debitum; *activum* est titulus seu ratio debiti.

520. — Sensu autem latiori vox *jus* sumitur: 1° pro peritia legis seu jurisprudentia; 2° pro lege seu regula justæ, et sic dicitur jus naturale, positivum, divinum, humanum, civile, canonicum, jus gentium, etc.; 3° pro sententia judicis, et inde vox *judex*, quasi jus dicens; 4° pro re quæ alteri ex quovis titulo debetur, et tunc est jus passivum, seu juris objectum; 5° pro ipso titulo rei debitæ: sic, v. gr., jurisdictio dicitur jus Superioris ad obedientiam.

521. — DIVISIO. Jus præcipue dividitur in jus in re, et jus ad rem.

1° Jus *in re* illud est, quo rem ipsam quis habet sibi obligatam. Tale est jus emptoris in re empta ex Jure Gallico, et empta atque tradita ex Jure Romano. Hoc Jus confert actionem realem, quæ scilicet rem ipsam immediate attingit; quocirca quisquis hoc jure gaudet, rem suam repetere potest, quocumque transierit.

2° Jus *ad rem* illud est, quod quis habet, *ut res fiat sua*, seu ut res sibi obligetur. Dat actionem personalem contra impediendam acquisitionem rei: unde dicitur jus personale, quia personam immediate attingit.

Contractus *promissionis* confert tantum jus *ad rem*. Titulus item emptio- nis ex Jure Romano ante rei traditionem confert tantum jus ad rem. Ex Jure novo Gallico solus partium consensus conficit contractum venditionis, se- clusa rei traditione, et consequenter dat jus in re. — *Cod. civ., art. 1583.* — Excipe casum particularem, in quo res *mobilis*, vendita et non tradita, secundo emptori bonæ fidei collata fuisset; tunc enim solum jus ad rem haberetur. — *Cod. civ., art. 1141.*

ARTICULUS III

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS ET JUSTITIÆ

§ I. De principiis generalibus juris.

PROPOSITIO I

Deus solus est vere et absolute Dominus rerum omnium.

522. — Res perspicua est. Etenim Deus solus est vere et absolute omnium Dominus, cum ab ipso solo res omnes suum esse, existere, agere, conservari ac perfici habeant. Hinc *Ps. xxiii, 1*, dicitur: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Hinc: 1° Nullum ens creatum potest esse vere proprietarium respectu

Dei; cum nullum ens creatum sit independens a Deo, et quidquid sit et habeat, a solo Deo repetere debeat.

2° Nullum propterea ens creatum potest uti re qualibet tanquam absolute sua; ens enim creatum non est principium existendi erga ens aliud creatum, sed omnia sunt absolute Dei solius.

3° Proinde jus proprietatis enti creato inesse nequit, nisi a solo Deo; se- cundum enim ens creatum habere posset aliquid ab alio ente independente a Deo, quod absolute repugnat. — *Lugo, disp. II, n. 4.*

PROPOSITIO II

Homo potest esse proprietarius erga alium hominem.

§23. — *Prob.* Homo potest esse proprietarius respectu aliorum, si nihil obstat neque ex parte ipsius hominis, neque ex parte objectorum possiden- dorum, neque ex parte Dei. Atqui certum est nihil obstat.

1° *Ex parte hominis.* Etenim homo quilibet quoad esse suum est inde- pendens ab alio homine, cum a solo Deo esse suum recipiat et recipere possit; ergo a nullo alio impediri potest, quin proprietarius fiat.

2° *Ex parte objectorum.* Quia dantur objecta: 1° de se apta ad providen- dum sive necessitatibus, sive justis vitæ oblectamentis, qualia sunt bona fortunæ, honoris, etc.; 2° libera a jure alieno, ut sunt bona nondum pos- sessa aut derelicta, vel ab aliis concessa.

3° *Ex parte Dei.* Quippe non solum Deus non prohibuit homini res ter- renas sibi proprias facere, sed e contrario ipse eas ita ordinavit, ut ipsius dominio subjicerentur, prout constat ex natura bonorum illorum, ex homi- nis exigentia, necnon ex Jure positivo divino. Sic, v. gr., dicitur *Gen. I, 28*: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus quæ moventur super terram.* Imo eas ita ordinavit, ut spectata præsentis hominis conditione, necesse sit illas dividi et privatim possideri. — *S. Thomas, 2. 2. q. 66. a. 2.*

Hinc a mundi initio primævi homines potuerunt pro suo libito bona ex- terna ad suos usus applicare, ut ex sacra Scriptura constat. Unde prima bonorum divisio non facta est jure gentium, ut volunt plures, nisi hoc no- mine intelligatur id quod ratio naturalis omnibus communiter gentibus dicitur esse, pro vita humana recte instituenda, in præsentis faciendum. Aliunde consensus omnium ad divisionem terræ est quid mere gratuitum, non historicum. — *Lugo, Disp. 6. s. 1. n. 5. 6.*

PROPOSITIO III

Si homo quilibet bona quædam legitime sua fecerit, in illa jus per se inviolabile acquisivit.

§24. — *Prob.* Homo bona externa sua facere non potuit, nisi Deo ita ordinante ad sublevandam naturæ humanæ indigentiam, ut ex dictis constat. Atqui non potuit Deus ita res ordinare, nec homini jus possidendi proprium largiri, quin simul statuerit prædictum jus violari non posse. Ergo...

525. — Hinc : 1° datur præceptum naturale a Deo ipso promulgatum atque sancitum, vetans ne jus alterius lædatur, et præcipiens ut, si quando læsum fuerit, in integrum restituatur. Ex dictis enim jus proprietarii est per se inviolabile, Deumque habet naturalem sui auctorem atque sponso-rem; sed hæc inviolabilitas pessumdaretur, nec Deus ejus naturalis auctor et sponsor censeretur, nisi ipse imponeret sanciretque præceptum naturale ipsum conservari jubens et perturbari vetans. Ergo...

2° Qui injuste rem alienam usurpat, reus fit tum erga proximum, tum erga Deum : 1° quidem *erga proximum*, siquidem lædit independentiam proximi naturalem, et necessario inviolabilem in bonis justo titulo posses-sis; 2° *erga Deum*, violando jus divinum proximo communicatum, et simul præceptum naturale jus prædictum observari jubens.

Quæsitæ.

526. — QUÆR. 1° *Quomodo facta sit primæva bonorum divisio?*

Resp. : Certum est in prima rerum origine bona fuisse communia. Adamo enim et ejus filiis terram Deus absque ulla divisione concessit. Constat pa-riter, divisionem ex primæva ætate factam fuisse, ita ut bona unius non essent bona alterius. Patet ex *Gen. iv*, ubi dicitur Abel obtulisse Deo de primogenitis *gregis sui*.

Quomodo autem facta fuerit bonorum divisio, varii varia de hoc excogi-tarunt systemata. Alii enim hanc divisionem repetunt ab auctoritate pa-terna; alii ex conventionem facta inter homines, vel a jure gentium; alii ex auctoritate civili; alii tandem communius ex simplici occupatione rerum communium, id est nondum occupatarum. Hoc ultimum verisimilius omnino apparet. Videtur enim ille modus divisionis bonorum, nempe per occupationem, valde naturalis et facillimus, dum alii difficultatibus non paucis subjiciuntur. Conventio præsertim mutua hominum coadunatorum videtur chimærica et moraliter impossibilis. Legislatio autem civilis et jus gentium post divisionem maxima saltem ex parte jam peractam subsecuta sunt.

Quidquid sit de origine historica proprietatis, certum est jus domini de se inviolabile exsistere : 1° de jure naturæ; nam eo sublato subverteretur so-cietas; 2° de jure divino, ut patet ex septimo et decimo præcepto Decalogi : *Furtum non facies*. — *Non concupisces domum proximi tui...* Exod. xx, 17, etc.; 3° ex lege ecclesiastica et civili, ut ex utriusque fori legislatione comprobatur.

527. — QUÆR. 2° *Quid sentiendum sit de systemate communistarum seu socialistarum, circa bonorum divisionem?*

Resp. : Systema istud est impium, societati summe noxium, et in se absurdissimum.

1° *Est impium*, quia sapientissimum rerum ordinem a Deo statutum ac sancitum penitus tollit, suavem divinæ Providentiæ œconomiam funditus subvertit, et male hominibus provisum esse arroganter decernit.

2° *Est societati summe noxium*. Ejus enim totalem subversionem indu-cit, dum jus proprietatis, sine quo societas humana stare nequit, de medio tollit.

528. — 3^o *Est in se absurdissimum*. Etenim perfecta divisio bonorum inter homines est omnino impossibilis, et proinde stulta est ac ridicula inventio. Quid enim absurdius et impossibilius quam illa æqualis inter omnes rerum distributio, et præsertim illius stabilitas? Esto enim quod peracta fuerit; quamdiu, quæso, perdurabit? Nonne otiositate, ludo, crapula, prodigalitate, imperitia, hebetudine, vel contra ambitione, industria, aut rapacitate, bono aut malo successu destruetur illa æqualitas, statim ac stabilita fuerit?

529. — Sed aiunt quidam: Nulla fiat bonorum divisio, nullusque sit proprietarius; possideat omnia bona sola Respublica, et cives sint operarii. Verum quale aderit laborantibus incitamentum? quis laboris genus singulis assignabit? Quomodo victus quotidianus, et vestimentum omnibus subministrabitur? Nonne requiretur legio præpositorum? Sed jam non omnes igitur duris laboribus addicendi erunt. Quibusnam vero incumbet officium præpositorum vel subditorum? quid de ægrotis, infirmis, senibus, pueris? quid de familia? quid de officiis mutuis parentes inter et filios? quomodo discernendi erunt veri infirmi ad laborem inepti ab innumeris qui impotentiam simulabunt? quid de commercio? de artibus? de litteris? de scientiis in societate necessariis, v. gr., juris, medicinæ? etc. Quid igitur illa utopia absurdius? Nonne hoc absurditatum cumulus est habendum? Quid ergo de communismo dicendum est? Id quod de alio portento perhibuit Poeta: *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum?*

530. Objiciunt communistæ: *Terra pro omnibus fructus suos producit. Ergo... Sic Rousseau.*

Resp.: Sane terra fructus suos pro omnibus producit, et reipsa omnes a mundi exordio de fructibus terræ victitarunt. Sed titulo aliquo legitimo, v. gr., emptione, commutatione, et imprimis labore et vultus sudore ejusmodi fructus acquirendi sunt. Ante omnia autem servanda est lex divina: *Furtum non facies.*

531. — Inter patronos doctrinæ *socialistarum* ardentissimos eminent *Proudhon* stupendo hoc effato famosissimus: *Proprietas est furtum (la propriété c'est le vol).*

§ II. De principiis generalibus justitiæ.

PROPOSITIO I

Justitia commutativa obligat sub gravi, et cum onere restitutionis.

532. — *Prob. I^a pars.* Nam justitiæ commutativæ violatio pœna æterna punienda est, ut constat pluribus Scripturæ locis infra citandis, ubi agemus de furto et de restitutione; ac præterea, ex se et ex natura sua repugnat Caritati, quæ movet ad volendum alterius bonum: ipsa enim essentialiter consistit in nocumento alteri inferendo. Ergo *per se* saltem et *ex genere suo* est peccatum mortale. — *S. Thom. 2. 2., q. 59, art. 4.* — *Dixi per se;* quia hac in re materiæ parvitas admittitur, ut omnibus perspicuum est.

Prob. II^a pars. Nam justitia respicit æqualitatem rei ad rem; atqui hujus læsio non potest reparari, nisi per restitutionem. Quamdiu igitur manet inæqualitas, manet obligatio illam reparandi; et lædens peccat servando inæqualitatem, sicut peccavit eam violando.

PROPOSITIO II

Cæteræ justitiæ species per se obligant etiam sub gravi,
sed non cum onere restitutionis.

533. — *Prob. I^a pars.* Etenim læsio earum deordinationem gravem inducit, cum graviter necessario societatis ordini noceat.

Probatur II^a pars. Etenim qui legalem, v. gr., aut distributivam justitiam violat, agit quidem contra bonum commune, vel debitam non servat proportionem in bonis communibus distribuendis, at nemini quod suum est aufert, nec quemquam privat re quæ sua sit. Atqui restitutionis obligatio oritur tantum ex injusta acceptione, retentione aut damnificatione rei vel juris alieni. Ergo...

Verumtamen sæpe justitia *commutativa* aliis adjungitur, et ejus læsio onus restitutionis inducit: sic restituere tenetur magistratus vel judex qui, propter gravem negligentiam in puniendo, causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur; quo in casu non solum reus est boni communis, ad quod justitia legalis inclinatur, prætermitti, sed etiam violati contractus, quo assumendo officium se *implicite* obligavit ad damna subditorum præcavenda.

534. — Hinc: 1^o Princeps non potest sine causa gravissima per legem tollere a subdito rem suam, seu jus acquisitum; quia nihil potest circa bona privatorum, nisi quid ratio boni communis omnino exigit.

2^o Potest tamen Princeps, si quando id requiratur ad commune bonum, rem a subdito tollere; quia jus ad finem importat necessario jus ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Bonum autem publicum aliquando requirit ut aliquis re sua privetur, v. gr., agro pro via publica construenda, etc. Sed tunc Princeps, in quantum fieri potest, ad justam compensationem tenetur; quia æquum non est ut unus spoliatur, aliis intactis, prout ex jure naturali et positivo constat.

535. — 3^o Superior ad restitutionem non tenetur, si minus dignis officia societatis distribuit; quia non violat jus strictum dignioris, nec communitatis, quæ aliud exigere nequit, nisi ut indigni ab officiis arceantur. — *S. Lig., lib. IV, n. 107*, contra aliquos. Secus vero, si in concursu Superior minus dignum digniori præferret; quia in concursu intervenit pactum ex quo *jus strictum* digniori competit.

4^o Non tenetur ad restitutionem Superior qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis; quia neminem jure suo privavit, quamvis peccaverit ob personarum acceptionem.

5^o Tenetur ad restitutionem erga communitatem Superior qui officiis publicis indignos destinatur; quia *ex quasi contractu* tenetur bonum communitatis promovere. Imo tenetur etiam ad restitutionem erga privatos qui ex indignis ministris damnum injustum in bonis fortunæ patiuntur.

CAPUT II

DE PRÆCIPUIS JURIS SPECIEBUS

Præcipuæ juris species sunt dominium, usus, usufructus, et servitus.

ARTICULUS I

DE DOMINIO

536. — DEFINITIO. Dominium est facultas legitima disponendi de re aliqua tanquam sua.

DIVISIO. Dominium præcipue dividitur in *perfectum et imperfectum*, prout est jus disponendi tum de re ipsa tum de ejus utilitate, aut de alterutro tantum.

Imperfectum autem subdividitur in *directum et indirectum* seu *utile*, prout respicit solam rei proprietatem, vel solam ejus utilitatem.

Communiter distinguunt etiam dominium *altum et humile*. Prius dicitur jus quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando, ex gravissima causa, de bonis privatorum in bonum communitatis, ut superius, n. 534, dictum est. Posterius est dominium privatorum, cui proprie definitio convenit.

Cæterum dominium *altum* non est dominium proprie dictum, seu non est verum dominium proprietatis, cum respublica *per se* non habeat jus strictum in bona subditorum; sed ad dominium *jurisdictionis* revocandum est, quod communiter definitur: *potestas gubernandi subditos*.

Agendum 1° de objecto, 2° de subjecto, 3° de acquisitione domini.

§ I. De objecto domini.

Principia.

537. — I. Homo habet dominium *utile* bonorum quæ sibi intrinseca sunt, nempe animæ et corporis. Ideo potest absque ullius injuria iis uti ad propriam utilitatem, et in omnem usum a lege non prohibitum.

Non habet tamen dominium *directum* horum bonorum. Constat ex Scriptura sacra; sic Sap. xvi, 13: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*. — Item Deuter. xxxii, 39: *Ego occidam, et ego vivere faciam*. — Constat etiam ex lege naturali, ut diximus, ubi de *quinto Decalogi præcepto*, n. 389 et seq.

538. — II. Homo habere potest dominium *utile et directum* in bona externa fortunæ legitime acquisita. Constat: 1° *quoad dominium utile*, quia ex una parte bona hæc apta sunt de se ad conservationem vel utilitatem hominis promovendam, et ex alia parte eorum usus juri divino et humano non adversatur; quinimo Deus ipse prædictorum bonorum saltem utilitatem permisit his verbis, Gen. i, 28: *Dominamini piscibus maris et volatilibus cæli*, etc. — Et Psalm. viii, 8: *Omnia subjectisti sub pedibus ejus*.

— Constat 2^o *quoad dominium directum*, quia facultas applicandi bona fortunæ ad usus suos nullo jure restringitur; imo expresse permittitur jure humano, ut patet ex variis legibus circa jus possidendi, et jure divino in allatis verbis: *Dominamini*, etc.

Quæsitæ.

539. — QUÆR. 1^o *An homo habeat dominium suæ famæ?*

Resp. Affirm. juxta sententiam communem; nam etiam circa famam homini competunt primarii actus dominii, ut eam labore acquirere, ejus restitutionem condonare, etc. Ergo... Attamen prudentia exigit, ut non eam prodigat sine justa ratione, et aliquando tenetur *sub gravi* eam sedulo servare ratione scandali, damni familiæ removendi, etc. — *S. Lig. lib. III, n. 983.* — *Billuart, diss. III, art. 2.*

QUÆR. 2^o *An homo in alium hominem dominium habere possit?*

Resp. 1^o Neg., quoad dominium proprietatis; illud enim soli Deo competit, ut constat ex dictis n. 389.

Resp. 2^o Affirm., quoad dominium utile seu hominis operas. Ratio est, quia homo quilibet est dominus propriæ operæ; ac proinde potest illam alienare in propriam utilitatem, et in dominium alterius tradere. Dominus enim pro arbitrio de objecto dominii sui disponere potest.

Hinc: 1^o homo potest de jure naturali etiam in perpetuum se alteri vendere quoad dominium utile. Si enim potest alteri dominium sui utile conferre pro aliquo tempore, idem facere potest in perpetuum, siquidem cedere potest quidquid habet. 2^o *Per se* juri naturæ non repugnat *servitus*, seu status subjectionis perpetuus, quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri præstare.

540. — QUÆR. 3^o *Ex quibus titulis induci possit servitus?*

Resp.: Ex quatuor sequentibus titulis: 1^o *Ex pacto*, seu renuntiatione propria. Etenim non repugnat, ut quis renuntiet suæ libertati ad propriam inopiam sublevandam, etc. — 2^o *Ex jure belli*. Non enim repugnat, victorem hanc quandoque pœnam infligere. Quandoque enim posset captivos occidere ob gentis securitatem: ergo *a fortiori* eos in servitatem redigere. — 3^o *Ex delicto*, seu ex justa condemnatione. Etenim si reus potest damnari ad mortem, *a fortiori* ad servitatem, cum privatio vitæ summa omnium pœnarum merito censeatur. — 4^o *Ex nativitate* in statu servitutis, quandoquidem de jure servi sunt, qui e servis nascuntur. Ita ex jure gentium juxta communem sententiam. — *Lugo, disp. vi, n. 11 et 17.*

541. — QUÆR. 4^o *An licitum sit Nigritarum commercium?*

Resp. 1^o: Omnino illicitum est ex omni jure, quoties Nigritæ injuste libertate spoliantur, et turmatim ut vilia pecora a regionibus suis transvehuntur, et venduntur, ut fit in nefario eorum commercio (*Traite des Nègres*). Contra tam immanem negotiationem prodire variæ Constitutiones apostolicæ, nempe Pauli III, Urbani VIII, Benedicti XIV, et nuper Gregorii XVI in Constitutione *In supremo apostolatus*, 3 Decembris 1839, ut videre est apud folium publicum dictum: *Ami de la Religion, tom. CIII, n. 3219.*

Resp. 2^o: Si vero agatur de nigris aut aliis in legitima servitute existentibus, *per se* illicitum absolute non est, quia, semel admissa servitute

ut legitima, dominus verum jus in servos seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere in alios valet. Dixi, *per se*; ob stare enim possunt circumstantiæ, v. gr., si conjux a conjuge esset separandus, vel leges civiles id vetent, prout reapse generatim in Europa servitus interdicatur.

§ II. De subjecto domini.

542. — Subjectum domini est rei alicujus dominus, seu ille cujus est res aliqua. In terra omnis et solus homo est domini capax, quia omnis et solus homo cognoscere potest utilitatem rerum, eas velle sibi applicare, si nullius sint, atque de iis ita sibi applicatis disponere in proprium finem propriumque commodum; unde ait S. Thomas, 2. 2., q. 66, art. 1: *Naturale dominium super cæteras creaturas competere homini secundum rationem*. Nec incapaces sunt domini parvuli, nec ipsi amentes, ut constat ex omnium populorum usu, et ipsa ratio dictat: nam dominium fundatur in rationali hominis natura ejusque potentiis, non autem in actuali earum potentiarum exercitio.

Agendum speciatim de dominio: 1° filiorumfamilias, — 2° uxorum, — 3° Clericorum, — 4° auctorum. De dominio autem Religiosorum dicetur infra in *tract. de Statibus*, ubi de voto paupertatis.

PUNCTUM I

De dominio filiorumfamilias.

543. — Filiifamilias proprie hic dicuntur illi qui, ex legitimo matrimonio orti, cujuscumque sint sexus, adhuc paternæ potestati subjacent.

Diversi generis sunt bona filiorum, juxta diversa populorum statuta.

I. *Ex Jure Romano* distinguuntur bona: 1° *castrensia*, id est, occasione militiæ acquisita; — 2° *quasi castrensia*, seu acquisita ex aliquo officio publico, v. gr., judicis, medici, etc.; — 3° *profectitia*, quæ filius ex bonis paternis lucratur, v. gr., agendo negotiationem cum pecunia patris: huc spectant etiam bona quæ filio dantur patris intuitu; — 4° *adventitia*, quæ filio proveniunt aliunde quam a bonis paternis, nisi donata sint filio intuitu patris.

II. *Ex Jure Gallico* distinguuntur: 1° bona acquisita *industria separata* filii, aut *ipsi soli data*; 2° *cætera* bona filiis provenientia. Bona autem acquisita *industria separata* comprehendunt bona castrensia et quasi castrensia Juris Romani, et insuper quidquid filius lucratur labore vel commercio separato.

Principia ex Jure Romano.

544. — I. Filius habet perfectum dominium honorum castrensiarum et quasi castrensiarum; impubes tamen eorum administrationem non habet.

II. Pater habet dominium perfectum profectitorum, dummodo filius sit sub paterna potestate. Potest tamen filio usumfructum profectitorum cedere.

III. Filius habet dominium proprietatis in adventitia, pater vero usum-

fructum et administrationem. Si autem sint consumptibilia, pater de ipsis potest disponere, sed cum onere restitutionis, prouti generatim in casu domini sic divisi fieri solet.

IV. Si filius negotiatus est bona paterna nomine patris, lucrum est profectitium; si vero nomine proprio, adventitium est. In dubio autem an lucrum venerit ex bonis patris vel alterius, ut profectitium habendum est, quando filius bona paterna administraverit. — *S. Lig., ibid.*

V. Si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis quam pateris, lucrum est adventitium; lucrum vero filii laborantis in domo paterna et a patre nutriti, profectitium est. — *S. Lig., ibid.*

Principia ex Jure Gallico.

545. — I. Filiusfamilias habet perfectum dominium in bona acquisita industria separata, et in ea quæ ipsi soli dantur, *C. C.*, 387, quamvis eorum administrationem non habeat ante majoritatem (21 ann.), vel ante emancipationem. *C. C.*, 389, 481 *et seq.*

II. In cætera autem bona habet dominium directum ante annum 18 completum, vel ante emancipationem, quæ post ann. 15 fieri potest. Interea autem pater eorum usufructu potitur; et similiter mater patre mortuo, modo alias nuptias non contrahat. *C. C.*, 384, 386, 476 *et seq.*

Quæsitæ.

546. — QUÆR. 1° *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis?*

Resp. 1° Affirm., si primo usu sint consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forte aliqua restrictio apposta fuerit, v. gr., ad usum determinatum, ut esset pecunia ad libros emendos, etc.

Resp. 2°: Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes, etc., filius non habet generatim nisi dominium utile, quia parentes fere non aliud ipsi conferre intendunt.

QUÆR. 2° *An filius censeatur renuntiare usufructui ad quem jus habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usufructum percipiat?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo. Ratio est, quia silentium in tantum æquivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset; jam vero quin id facile possit, plerumque metus reverentialis obstat. — *Communis.*

547. — QUÆR. 3° *An filius habeat dominium eorum quæ in domo paterna lucratur?*

Resp. 1° Affirm., in casibus seq.: 1° si sit emancipatus; 2° si labore nomine proprio; sed tunc pater non tenetur eum alere; 3° si non teneatur ex conditione sua laborare; 4° si excessu *extraordinario* plus cæteris fratribus operis et laboris impendat.

Resp. 2° Neg., autem, 1° si labor filii sit necessarius ad vitam parentum sustentandam; 2° si parvum lucrum faciat, quia vix expensas a parentibus pro se factas adæquaret.

Resp. 3° Probabilis Neg., etiam præter præfatos casus, si filius labore

et lucretur sat notabiliter præ fratribus, non tamen excessu extraordinario, quia filius tum censetur agere ut membrum familiæ, et sic lucrum omne bono familiæ cedere debet. — Aliunde pax familiarum postulat, ne plus æquo cupiditati filiorum indulgeatur, quo janua litibus innumeris præcludatur. — *S. Lig. (saltem practice), n. 488 et 544. — Billuart. — Laymann. — Gousset, n. 684.*

Attamen sat *probabilis* apparet sententia opposita, quia filius non est pejoris conditionis quam famulus. Sed lucrum illud filius repetere non deberet *per se* ante mortem patris, cum difficile sit antea dijudicare, utrum filius passus sit damnum, necne. — Ita *Pontas*, verbo *Compensation.* — *Lessius, l. II, c. XII, n. 81. — Elbel, n. 77. — Collet, c. n. — Bouvier, c. II, art. 1. — Carrière, n. 244. — Vernier, n. 340. — Ituriaga, t. I, cas. 3. — Vide Casus, n. 503 et seq.*

Cæterum in praxi recedendum non est a prima sententia, saltem ante factum ob hallucinationis periculum. Insuper perpendendæ sunt circumstantiæ in quibus versantur tum filius tum ejus cohæredes, ut judicetur quid æqualitas juris stricti requirat.

Secunda vero sententia, licet aliquando in praxi teneri saltem post factum possit, tamen minime publice docenda est propter incommoda quæ per abusum inde sequerentur. — Ita *Bouvier, ibid. — Carrière, ibid.*

PUNCTUM II

De dominio uxorum.

548. — Bona uxoris sunt triplicis generis, scilicet :

1^o *Dotalia*, quorum fructibus vir gaudet ad onera matrimonii sustinenda, id est ad alendum uxorem, filios ac familiam.

2^o *Paraphernalia* (*παραφερνήν, præter dotem*), quæ uxor habet præter dotem, et quæ sibi specialiter reservat.

3^o *Communia*, quæ pactis conjugum aut determinatione legis in societatem quamdam conferuntur.

Possunt conjuges ante ineundum matrimonium determinare quibus conditionibus subjienda sint ipsorum bona, servatis quibusdam legis statutis; si hæc facere omiserint, lex supplebit.

I. — DISPOSITIONES JURIS ROMANI

549. — I. Uxor habet dominium directum *suæ dotis*, maritus vero usumfructum et administrationem. Mortuo viro, ipsa omnibus creditoribus mariti personalibus præfertur, et etiam in vita dotem juridice repetere potest, si timeat ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si dos consistat in pecunia, aut in aliis usu consumptibilibus, vel fuerit æstimata *ad venditionem*, hoc est, ut maritus eam accipiat tanquam rem sibi venditam, et pretio tantum, soluto matrimônio, restituendam, dotis quidem plenum dominium viro tribuitur, sed cum obligatione valorem restituendi, translato pro uxore dominio in omnia bona mariti pro rata seu quota suæ dotis. — *S. Lig. n. 489.*

II. Uxor tenet plenum dominium et administrationem bonorum *para-*

paraphernalium, ita ut de his maritus, ipsa nolente, nihil disponere valeat. Hinc quoad illa nullatenus uxor a marito dependet. — *S. Lig., ibid.*

III. Proprietas et utilitas bonorum *communium* pertinent ad utrumque conjugem; sed administratio eorundem pertinet ad solum maritum. Hæc autem communitas bonorum varias condiciones seu restrictiones admittere potest, et ideo attendendum est ad varias locorum dispositiones. — *Elbel, n. 69.*

II. — DISPOSITIONES JURIS GALlici

Pacta, quæ a conjugibus ante matrimonium iniri possunt, tres classes, seu regimen triplex constituunt, scilicet: 1^o regimen *dotale*; 2^o regimen *communitatis*; 3^o regimen *excludens communitatem*.

550. — I. *Regimen dotale*. Bona dotalia ea sunt tantum, quæ uxori in dotem ipso contractu matrimonii constituuntur: horum vir administrationem plenam habet, et usumfructum percipit. Uxor vero solum dominium directum servat (*art. 1549*).

Si bona dotalia consistant in mobilibus sive partim sive totaliter, vir eorum dominium perfectum habet, et tantum de eorum valore consignato in contractu matrimonium præcedente tenetur (*art. 1551*).

Bona dotalia nullatenus alienari possunt, etiam uxore consentiente, præter certos quosdam casus lege exceptos (*art. 1554, seq.*).

Bona autem quæcumque uxoris, in dotem non constituta, remanent ipsi omnino propria, seu paraphernalia habentur, et eorum mulier etiam administrationem habet, atque usumfructum percipit (1574, 1576). Non potest tamen immobilia alienare, neque pro eis in iudicio se sistere sine expresso mariti consensu, aut, renitente marito, sine sententia tribunalis *primæ instantiæ* (*art. 1567*); quod idem dicendum, si uxor in bonis sit prorsus separata (*art. 1536*).

Ad bona paraphernalia spectant ea quoque, quæ uxor sibi comparat *singulari industria* vel labore extraordinario, adhibita rei familiaris sufficienti cura, vel ea quæ accumulât aliquid subtrahendo de sibi concessis ad victum, vestitum, recreationes, etc., tum etiam ea quæ ipsi data fuerint cum expressa conditione, ut viro non cedant.

Nunquam censentur conjuges se *regimini dotali* subjecisse, nisi id in ipso matrimonii contractu expresse declaraverint; neque ad id sufficit dotis constitutio, quam alioqui cætera quoque regimina admittunt, vel communitatis exclusio, aut etiam bonorum separatio (*art. 1392*).

551. — II. *Regimen communitatis* tunc adest, quando conjuges quædam vel universa bona inter se habent communia. Communitas autem est vel *legalis*, vel *conventionalis*, prout lege vel pacto speciali contrahentium constituitur.

Communitas *legalis* ipso jure existit, quando nullum inter se conjuges inierunt contractum matrimonialem, vel in contractu simpliciter declaraverunt, absque ulla speciali stipulatione, se matrimonium contrahere sub regimine communitatis. Hinc haberi potest tanquam jus in Galliis commune quoad matrimonia (*art. 1393 et 1400*).

Communitas *legalis* coalescit: 1^o ex omnibus bonis mobilibus quæ con-

juges possidebant ipso initi matrimonii die, vel quæ ipsis deinde titulo successionis vel donationis adveniunt; 2° ex omnibus fructibus et quibuscumque redditibus bonorum immobilium possessorum a sponsis ante matrimonium, vel ipsis, durante matrimonio, advenientium; 3° ex omnibus bonis immobilibus quæ ex bonis communibus tempore matrimonii acquisita fuerint (*art. 1401, 1402*).

Communitas *conventionalis* consistit in aliis pactis sponsorum, quibus statuta legalia restringi vel relaxari possunt. His deficientibus, sola legis dispositione communitas regitur.

Sive autem communitas sit legalis sive *conventionalis*, bona communia sunt dotalia, nisi conjuges ineundo matrimonium aliter statuerint.

552. — Sub regimine *communitatis* solus maritus administrationem et usumfructum habet bonorum communium. Imo potest ea vendere, commutare, in hypothecam tradere, etiam sine uxoris consensu. Non tamen potest donare titulo gratuito immobilia, neque mobilia titulo universali, seu quoad eorum universitatem, vel quotitatem seu dimidiam, tertiam vel quartam partem. Dissoluta autem communitate, bona et onera in duas partes dividuntur, nisi uxor aut illius hæredes bonis renuntiare, et ita ab oneribus se eximere maluerint. Debita ab utroque conjuge, vel ab eorum hæredibus solvenda sunt (*art. 1482*).

553. — III. *Regimen excludens communitatem*. Duplici modo sponsi illud constituunt, scilicet: 1° declarando se inire matrimonium *sine communitate*; 2° statuendo se quoad bona quemque sua fore omnino separatos. *In priori casu* vir percipit omnes redditus bonorum uxoris, quæ proinde omnia sunt dotalia, et solus omnia administrat. Sed si usu consumantur, illorum valorem reddere tenetur. *In casu vero posteriori* mulier habet omnium suorum bonorum administrationem et usumfructum. Uterque autem sponsus ad onera matrimonii speciali pacto concurrit; si vero nulla conventio existat, uxor usque ad tertiam partem reddituum suorum concurrere debet. Quocirca in tertio hoc regimine, quemadmodum et in secundo, *dos quædam* ab uxore tribuenda est, qua oneribus matrimonii ex parte subveniat; verum dos ejusmodi a viro alienari potest.

Resolves.

554. — 1° Uxor habet jus strictum ad sustentationem ex bonis communibus; illam ergo sibi comparare potest, si maritus renuat, vel ægre admodum consentiat.

2° Non peccat uxor subducendo aliqua pro victu, vestibus, cæterisque familiæ necessariis, quæ mariti sæpe non curant, et frustra ab illis peterentur. — *S. Lig. n. 541.*

3° Si maritus in detrimentum familiæ bona dilapidet vel prodigat, potest uxor ea abscondere, et in bonum familiæ reservare.

4° Non injuste agit uxor, si inscio marito nonnulla sibi sumat, quæ facile ac certo maritus concederet, si rogaretur; adest enim licentia præsumpta et aliquando justa causa non petendi, ne cogatur sese ostendere ut ancillam.

— *Reuter, n. 47.*

5° Uxor potest, in defectu mariti, ex bonis communibus expendere quæ

necessaria sint ad impediendum grave damnum familiæ impendens. — *Lugo, disp. XVI, n. 67.*

In his tamen similibus caute agendum est, ne uxoribus laxentur habenæ, cum propensæ sint ad jura sua plus æquo extendenda.

Quæsitæ.

555. — QUÆR. 1^o *An uxor ex bonis communibus vel ex fructibus suæ dotis eleemosynas facere possit?*

Resp. Affirm., etiamsi alioquin habeat bona propria, modo id fiat juxta consuetudinem aliarum mulierum ejusdem conditionis. Ratio est, quia uxor non est serva, sed socia; quamdam ergo administrationem in domo mariti habere debet. Deinde maritus merito præsumitur consentire in ea quæ fiunt ab uxore juxta honestum regionis atque conditionis morem; et si invitum sese exhibeat, talis dissensus censetur irrationabilis, quia maritus uxorem privare nequit jure ei legitima consuetudine concessio. *Ita communiter, cum Lugo, S. Lig., n. 540.*

556. — QUÆR. 2^o *An teneatur ad restitutionem maritus qui notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendit?*

Resp.: Disputatur. I^a *Sententia probabilis* affirmat. Ratio est, quia, licet maritus habeat administrationem bonorum, uxor tamen habet dominium dimidiæ partis illorum, et proinde jus illud violatur, si, ipsa rationabiliter invita, pars illa a marito dissipetur. — *Ita Antoine, p. III, c. v. — Collet, de Just., p. III, c. iv. — Pontas, vid. Communauté. — Conf. d'Angers, de Matr. ut contr. civili, q. 2. — Gousset.*

II^a *Sententia etiam probabilis* negat *generatim*, id est, nisi maritus excedat limites juris sibi a lege concessi. Ratio est, quia intra ejusmodi limites, maritus constituitur a lege quasi dominus bonorum communium, siquidem ea potest alienare ac vendere sine consensu uxoris, quin teneatur reddere rationem suæ administrationis. Unde, quamvis peccet graviter contra Caritatem, non tamen peccat contra justitiam proprie dictam, quæ restitutionis obligationem inducit. Sed uxor præcavere potest bonorum dissipationem per facultatem, quæ ipsi conceditur a lege, separationem bonorum juridice postulandi. — *Ita Carrière, n. 276.*

Excederet autem limites juris sui maritus, *ex Jure Gallico*, et ad restitutionem certo teneretur, si daret titulo gratuito aliqua immobilia, vel *totalitatem* aut *quotitatem* mobilium, aut si bona communitalis pro se surriperet (*art. 1422 et 1437*).

557. — QUÆR. 3^o *An peccet uxor accipiendo aliquid de bonis communibus aut de fructibus dotis ad sublevandam necessitatem parentum, vel filiorum qui ex primo matrimonio suscepti fuerint?*

Resp. Neg., si *paraphernalia* non habeat, nec vir necessaria dare velit, quia jure naturæ tenetur uxor prædictos consanguineos alere, et maritus in id consentire debet. — *Ita S. Lig. n. 542, cum aliis.*

QUÆR. 4^o *An uxor bona hoc modo accepta restituere teneatur, cum venerit in mariti hæreditatem, vel cum dotem suam recuperaverit?*

Resp. 1^o Neg., si bona hæc sint parvi momenti, quia tunc habentur ut eleemosynæ communes, quæ, si fiant moderate, restitutionis onus secum non ferunt. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Negant itidem plures, etiamsi bona subtracta sint majoris momenti, quia onera omnia, quæ stante matrimonio uni conjugum obveniunt, alteri communia censentur. Sed sententia affirmativa videtur tenenda cum *S. Lig. n. 542; Hom. apost., n. 33. — V. Casus, n. 505.*

PUNCTUM III

De dominio Clericorum.

558. — Bona Clericorum quadruplicis generis distinguuntur, scilicet : 1° *Patrimonialia*, quæ proveniunt ex paterna hæreditate, aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione, etc. — 2° *Quasi patrimonialia*, quæ acquiruntur occasione et intuitu functionum, v. gr. Missam celebrando, concionando, etc. Vocantur etiam *quasi ecclesiastica*, vel *casualia*. — 3° *Ecclesiastica*, quæ ex beneficiis Ecclesiæ, v. gr., ex redditibus beneficiorum, etc., percipiuntur. — 4° *Parcimonialia*, quæ Clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quæ honeste vivendo consumere posset.

Principia.

559. — I. Clericus dominium perfectum habet bonorum patrimonialium. Ratio, quia Clericus est per se dominii vere capax, nec ulla lege prohibetur, quominus de prædictis bonis libere disponat. Imo jus illud sexcentis locis Juris canonici et civilis supponitur.

II. Clericus perfectum habet dominium bonorum *quasi patrimonialium* seu *quasi ecclesiasticorum*, vel *casualium*. Ratio est, quia bona hæc non sunt fructus beneficii, neque pretium muneris sacri, sed quoddam veluti stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur Clericus, aut etiam quædam largitio a fidelibus ad Clerici sustentationem erogata. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 491. — Lugo, d. iv, n. 23, etc. — Constat etiam ex responsione S. Pœnitentiariæ data die 9 Aug. 1824, qua declaravit oblationes fidelium non esse bona ecclesiastica, ut infra referetur num. 563.*

III. Clericus fructibus beneficii uti potest ad honestam sustentationem; sed omne superfluum in pauperes, vel in alia pia opera erogare tenetur. Ratio 1^a est, quia Ecclesiæ ministrans de Ecclesiæ bonis honeste vivere potest; siquidem ad hunc præsertim finem beneficia instituta sunt. Ratio 2^a eruitur ex Ecclesiæ præcepto, quod ex innumeris Conciliorum et SS. Canonum decretis perspicuum est. *Hanc enim obligationem Ecclesiæ Canones Clericis imponunt aut impositam supponunt, ait Bened. XIV, de Syn. l. VII, c. II, n. 4.*

IV. Clericus perfecto gaudet dominio bonorum *parcimonialium*, adeoque de iis ut verus dominus disponere potest. Ratio est, quia Clericus jus strictum habet ad honestam sustentationem; ergo quidquid ex ea tollit parcius vivendo, ad ipsum pertinet, et in libera ejusdem potestate manet; quippe jus illud omnino absolutum est. *S. Lig. n. 491. — Lessius, c. IV, et alii communiter.*

Quæsitæ.

560. — QUÆR. 1° *An teneantur ad restitutionem Clerici male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum?*

Resp. Neg. probabiliter, quia, quamvis constet de præcepto Ecclesiæ, non tamen constat de obligatione ex justitia. Imo ex *Conc. Trid.* colligi videtur, eos *facere fructus suos*, licet cum obligatione in elemosynas aut alia pia opera superfluum erogandi. Dicit enim *Concil.* de Clericis non residentibus: *Non faciant fructus suos.* — *Lugo.* — *Billuart.* — *Lessius.* — *S. Thomas*, etc.

Affirmant tamen probabiliter alii, quia Clerici sunt tantum administratores et æconomi honorum ecclesiasticorum. — *Collet.* — *Laymann.* — *Antoine.* — Prima sententia, id est negativa, ait *S. Lig.*, in *Retract.* q. 10, non minus probabilis videtur in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem *D. Thomæ*, 2. 2., q. 185, art. 7. Quod vero attinet ad culpam violati Ecclesiæ præcepti, ad materiam gravem requiritur quantitas multo major quam in furto, scilicet, juxta veriore sententiam, pars vigesima circiter superfluum. — *S. Lig. n. 491.*, IV.

561. — QUÆR. 2° *Quid intelligatur per superfluum?*

Resp.: Superfluum censetur, quod honestæ sustentationi superest. Porro honesta Clerici sustentatio ea est, quæ Clerico convenit ratione sui status, dignitatis, etc. Quocirca non excludit honestas recreationes, moderatas donationes et alias ejusmodi expensas; sed hæc prudenti timorata conscientiæ judicio, potius quam generali regula, determinari possunt. — *Billuart*, art. 5.

QUÆR. 3° *An Clerici possint servare superfluum in futurum?*

Resp. Affirm., quia *per se* nulla est obligatio subito erogandi superflua; imo laudabiliter servari possunt ad foundationem piam, modo bona fide procedatur, et absit periculum ne postea ad usus profanos convertantur. — *S. Thom.* 2. 2., q. 185, art. 7. — *S. Lig. n. 491.*

562. — QUÆR. 4° *An Clericus habens ex patrimonio unde vivat, ex fructibus beneficii se sustentare possit?*

Resp. Affirm. cum *S. Lig.*, n. 491; — *S. Thom.* 2. 2., q. 185, art. 7; *Billuart*, diss. III, art. 5, et aliis communiter contra paucos. Ratio est, quia justum est, ut ille qui laborat in Ecclesia, ab eadem sustentetur, et per accidens omnino est quod dives sit aut pauper. Non igitur ratione paupertatis, sed laboris, Clericus ad sustentationem jus habet. Unde Clericus potest patrimonio parcere, dum fructibus beneficii utitur ad sustentationem suæ dignitati convenientem. Constat etiam ex verbis Apostoli, I Cor. IX: *Quis militat suis stipendiis unquam?... Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt; et qui Altari deserviunt, cum Altari participant?*

QUÆR. 5° *An etiam pensionarii superfluum in pauperes erogare debeant?*

Resp. Neg., quia *S. Pontifex*, justa de causa pensiones de fructibus beneficii extrahendo, jam eosdem fructus ad usus pios applicat; unde fructus isti obligationem alterius applicationis secum non ferunt. — *Lugo*, d. IV, n. 32. *S. Lig. n. 491.*

563. — QUÆR. 6° *An pensio, quæ in Gallia Sacerdotibus a Gubernio solvitur, boni ecclesiastici rationem habeat?*

Resp. Affirm., quia ex Concordato an. 1801 pensio prædicta videtur statuta in compensationem honorum ecclesiasticorum, quæ tempore perturbationis Gallicæ subrepta sunt. Ergo eandem habet naturam ac bona quibus substituitur. Constat etiam ex hisce *S. Pœnitentiariæ* responsis:

« 1° An salaria, quæ in Belgio solvuntur a Gubernio Pastoribus et Canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentia sub pœna non *faciendi fructus suos*?

« Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, respondit: *Jam alias a Sancta Sede, de consilio secretæ Congregationis, responsum fuisse affirmative.*

« *Datum Romæ, die 19 Januarii 1819.*

« 2° Sacra Pœnitentiaria consultata, an illa responsio applicari debeat salariis quæ Pastoribus et Canonicis regni Galliarum a Gubernio solvuntur, respondendum censuit: *Affirmative.*

« *Datum Romæ, in Sacra Pœnitentiaria 19 Augusti 1821.*

« 3° An responsio pro Belgio diei 19 Januarii applicari debeat solis salariis fixis 1,000 libr. pro Parochis et 750 libr. pro Deservientibus, vel extendi debeat ab oblationes fidelium?

« Sacra Pœnitentiaria super noviter expositis respondendum censuit: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

« *Datum Romæ, die 9 Aug. 1824.* »

564. — QUÆR. 7° *An sint reputanda bona ecclesiastica etiam supplementa quæ in Gallia Sacerdotibus a parochiis seu municipiis erogantur?*

Resp. : Videtur affirmandum cum *Carrière, n. 493, et aliis communius.* Ratio est, quia et ista censi debent ceu provenientia ex administratione generali Gubernii, et proinde ex vi Concordati inter Papam et Gubernium. Etenim non tribuuntur nisi ex decreto generali Gubernii (*art. org. 67*), et ex ipsius consensu; proinde ab ipso Gubernio constituta censentur, et sunt veluti pars dotationis quam promisit. — Idem *a fortiori* dicendum de pensionibus quæ Canonicis a Gubernio tribuuntur.

Secus tamen omnino dicendum est de supplementis, seu de pensione quæ tribuitur alicui Clerico ex oblationibus liberis et privatis fidelium. Tunc enim ab auctoritate publica non proveniunt, nec proinde in locum bonorum ecclesiasticorum constituuntur. — Nec computandæ sunt inter bona ecclesiastica pensiones quæ tribuuntur a Gubernio caducis Presbyteris, aut Religiosis e monasterio olim ejectis; sunt enim auxilia vel compensatio quædam, bonis patrimonialibus omnino æquiparanda.

Resolves.

565. — 1° Distributiones, quæ fieri solent pro assistentia in choro, annuerandæ sunt inter bona *quasi patrimonialia*; quia, licet distributiones illæ dentur beneficii occasione, attamen non dantur immediate pro titulo, sed pro servitio personali, et tanquam stipendium personæ. — *Ita probabilis.* — *Lugo, d. IV, n. 25.* — *S. Lig., n. 491.* — *Salmant., etc.*

2° Idem dicendum est de juribus curialibus, seu de redditibus stolæ, ut aiunt, id est quæ debentur Parocho ut Parocho, v. gr., quæ afferuntur cum pane benedicto, vel quæ ipsi tribuuntur pro funeralibus, licet iis nullatenus astiterit, etc. Ratio est, quia dantur Parocho ut quoddam stipendium sui laboris et suæ sollicitudinis, nec videntur fideles hæc conferre Ecclesiæ, sed Parocho, ut sua sint sine ullo onere. — *S. Lig. n. 490 et 491.*

3^o Oblationes, quæ fiunt in capsulis ad certum usum expositis, sunt certo ad usum illum adhibendæ, nec proinde potest Parochus eas sibi vindicare, quia satis constat de voluntate offerentium. Idem etiam dicendum est de collectis quæ sive intra sive extra Ecclesiam ad certum finem fiunt.

Ex praxi satis communi saltem hodierna, solæ fere oblationes, quæ in Missa ad altare fiunt, et quæ occasione administrationis Sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, pro exsequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialiter afferuntur, ad Parochum spectant. Cæteræ autem oblationes ipsis ecclesiis, altaribus, aut aliis certis finibus, ex consuetudine aut fidelium intentione applicari debent. — *V. Casus, n. 507.*

PUNCTUM IV

De dominio auctorum.

566. — Certum est hominem quemlibet ex jure naturali jus habere in fructum suæ industriæ et sui ingenii. Si enim res fructificat domino, *a fortiori* hoc verum esse debet de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit. Quilibet igitur in suum commodum uti potest iis, quæ suo ingenio in scientiis excogitavit. Inventor igitur artis alicujus strictum jus habet, ne secretum suum surripiatur, et se invito in publicum divulgetur; quod si fiat, damnificator pro ratione injuriæ illatæ ad restitutionem omnino tenetur. Difficultas autem est, utrum auctor, operibus semel in lucem emissis, ea sibi propria servare, et alios ab eorum usu libero excludere queat. Hinc

Quæsitæ.

567. — QUÆR. 1^o *An violet jus alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edat?*

Resp. Affirm. Hoc enim juri naturali aperte repugnat; et apud omnes constat, opus, quamdiu in lucem emissum non fuit, sub dominio prorsus auctoris remanere. Nullum igitur dubium est, quin talis usurpator ad restitutionem et ad damnorum compensationem teneatur. — *Carrière, n. 61.*

QUÆR. 2^o *Quid dicendum de eo qui typis ederet lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris?*

Resp. Respondendum est ut in quæstione præcedenti. Etenim publice docere aut concionari non est tradere opus suum alteri ad edendum et vendendum. Sic judicavit Tribunal *appellationis* Parisiensis 28 Februar. 1801. — *Vid. Carrière, n. 61.*

568. — QUÆR. 3^o *An ille qui librum typis edidit, jus habeat impediendi ne quisquam illum prælo committat et vendat cum damno auctoris, aut bibliopolæ cui auctor jus suum transmisit?*

Resp. 1^o *Affirm.*, de jure positivo vigente in Gallia et in plerisque aliis locis¹.

¹ In Gallia, ex lege 14 julii 1866. hæredibus vel donatariis auctoris jus conceditur, ut, per quinquaginta annos ab ejus obitus die, impediant, ne quisquam ipsius librum typis edat.

Resp. 2° Si agatur de jure naturali, *controvertitur*. *Probabile* videtur, auctorem non habere jus perpetuum in opus suum, quia res, in communitatem semel tradita, fit eo ipso de jure communi. At *probabiliter* sentiunt etiam non pauci, rem in communitatem tradi tantum quoad aliquem ipsius usum, librum, v. gr., ut legatur, non autem quoad proprietatem et plenam facultatem de ea disponendi. Quidquid sit, consentaneum certe æquitati est, ut jure positivo aliquod privilegium auctori ad certum tempus, vel ad ipsius vitam concedatur.

QUÆR. 4° *An typis mandari possit in regno vicino liber recenter vulgatus, sine licentia auctoris?*

Resp. : Affirmant qui tenent priorem sententiam in præc. quæs. expositam; quia auctor, inquit, de jure naturali nullum jus certum repetere potest, et proinde de violato *stricto dominio* conqueri nequit. Idem dicunt de inventoribus variarum artium. — *Ita Carrière, ibid.*, etc. Alii vero negant propter rationem oppositam. Cæterum multis in locis optime provisum est per tractatus inter varias ditiones admissos, quorum vi auctor eodem jure alibi ac in propria patria gaudere potest.

§ III. De acquisitione dominii.

Dominium præcipue acquiri potest : 1° occupatione; 2° inventione; 3° præscriptione; 4° accessione; 5° contractibus, de quibus in Tractatu particulari dicitur.

PUNCTUM I

De occupatione.

569. — Occupatio est realis apprehensio rei, quæ nullius sit, cum animo eam sibi acquirendi. Est legitimus modus dominium acquirendi, modo adsint conditiones requisitæ, scilicet : 1° ut res sit dominii privati capax, nec ullius sit; — 2° ut occupans velit rem suam facere, cum eam de facto apprehendit; — 3° ut nulla lege, quæ eam certo domino reservaverit, v. gr., Reipublicæ, res veluti ante occupata fuerit.

Casus frequentiores in praxi occupationem animalium respiciunt; de ea igitur sola sermo erit.

Triplicis autem generis animalia distinguuntur, scilicet silvestria, mansueta, et mansuefacta. 1° Silvestria seu fera ea sunt, quæ natura libere vivunt extra hominis consortium, uti lepores, cervi, pisces, aves, etc. 2° Mansueta seu domestica sunt, quæ naturalem habent cum homine consuetudinem, atque ad ipsum sponte sua redeunt, uti oves, equi, gallinæ, etc. 3° Mansuefacta sunt, quæ ad naturalem quidem libertatem nascuntur, hominis tamen industria hac privantur, ejusque consortio assuescunt, uti aves, quæ arte et industria mansuefiunt, columbæ, apes, etc.

Principia.

570. — I. Animalia *silvestria* seu *fera* fiunt *primi occupantis*. Res enim, quæ nullius sunt, jure naturali licite occupantur, et proinde fiunt primi

occupantis. In dominium autem alicujus redacta, tamdiu sub dominio manent, quamdiu custodia retineantur, nec naturalem libertatem recuperaverint. Recuperasse autem libertatem censentur, cum ita custodiam effugerunt, ut earum consecutio difficilis sit: et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint, veluti numquam dominum habuissent.

II. Animalia ex natura sua *silvestria*, sed *mansuefacta*, prioris domini remanent, quamdiu custodiam ipsius non evaserint, aut consuetudinem revertendi non amiserint; ejusmodi enim animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. Sic insuper omnia jura statuunt. — At vero si custodiam domini evaserint, aut revertendi consuetudinem amiserint, alterius primi occupantis fiunt, quia suam primam naturam recuperarunt. Sic Jus *Romanum* et *Gallicum*.

III. Animalia *mansueta* seu *domestica* remanent prioris domini, quantumvis aberrent; unde non possunt ab alio occupari. Ratio est, quia animalia domestica nunquam possunt dici recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habere existimentur. Quoad illa igitur occupationi locus numquam dari potest.

Quæsitæ.

571. — QUÆR. 1^o *An et quomodo peccet qui venatur aut piscatur contra legis prohibitionem?*

Agitur tantum de iis qui, loco vel tempore a lege prohibito, aut sine debita permissione, venationi vel piscationi dant operam.

Resp. : 1^a *Sententia probabilis negat eum peccare contra justitiam vel etiam contra obedientiam; quia ex consuetudine et communi hominum æstimatione lex illa omnino pœnalis videtur. — Sic Roncaglia, tract. XIII, c. v. — S. Lig., de Leg., n. 145, etc.*

2^a *Sententia item probabilis tenet illum peccare tantum venialiter contra obedientiam, minime autem contra justitiam. Etenim: 1^o peccat contra obedientiam, quia semper obtemperandum est Principi justa de causa præcipienti. 2^o Non peccat contra justitiam, quia leges, licet venationem prohibeant, non tamen irritam declarant prædæ acquisitionem. 3^o Peccat venialiter tantum per se, quia generatim talis violatio legis non videtur graviter noxia Reipublicæ, quæ magnum detrimentum inde non patitur. — Bouvier, de Just., c. II. — Carrière, n. 301. — Lyonnet, etc.*

Datur etiam tertia sententia paucorum, qui dicunt venantem prohibente lege peccare graviter tum contra obedientiam, tum contra justitiam; sed ut minus probabilis communiter habetur.

572. — QUÆR. 2^o *An peccet contra justitiam commutativam, qui venatur aut piscatur in fundo alterius, absque ejus licentia?*

Resp. 1^o *Neg.*, si fundus ille sit pervius; nullum enim peccatum committitur, nisi ex hoc aliud damnum proveniat; ratio, quia feræ minime habendæ sunt ut fructus fundi.

Resp. 2^o *Neg.*, iterum, si fundus, etiam clausus, v. gr., silva circumdata septo aut stagnum vallo, sit valde magnus, ita ut singula animalia facile venatorem aut piscatorem fugere possint; tunc enim nondum sunt

apprehensa et occupata a domino fundi, nec proinde sub ejus sunt dominio.

— *Lugo, disp. VI, n. 72.*

Resp. 3° Affirm., si fundus omnino clausus talis sit, ut feræ non possint inde exire, et *facile capi ibi queant*; quia hæ tunc censentur amisisse libertatem suam et ad fundi dominum pertinere. — *Lugo, ibid.*

QUÆR. 3° *An dominus fundi accipere possit prædam ab alio occisam, vel impedire ne ab illo capiatur?*

Resp. 1°: Neg. ad utrumque in duobus prioribus casibus Quæsiti præc.; quia, quamvis dominus habeat jus impediendi ne alter venetur in suo fundo, fera tamen ipsius non est, ac proinde occisa ad occisorem pertinet. Dominus tamen habet jus ad compensationem pro damno quod venator forte intulerit. — *Lugo, n. 70.*

Resp. 2° Affirm. e contra *ad utrumque* in tertio casu, ut patet. — *Lugo, n. 71.*

573. — QUÆR. 4° *Cujus sit fera læsa, vel laqueo capta?*

Resp. ad 1^{um}. Est vulnerantis, si læserit illam quantum satis est ad ipsam capiendam, et sit moraliter certus eandem se facile apprehensurum; sic enim eam moraliter jam apprehendit. — *S. Lig., Hom. apost., n. 71. — Lugo.*

Resp. ad 2^{um}. Est ejus qui laqueum posuit, si ita laqueo capta sit, ut non sit evasura; ratio, quia per ipsum instrumentum satis occupatur. — *S. Lig. n. 604.*

QUÆR. 5° *An quis occidere possit columbas alienas agro suo nocentes?*

Resp. 1° Neg. si non inferant damnum grave, vel si facile abigi possint. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Affirm. juxta communem sententiam, si *graviter* noceant, quia fas est unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde alteri sequatur *indirecte* damnum æquale illi quod vult *directe* a seipso avertere. Columbæ autem non præsumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum. — *Lugo. — Billuart. — Elbel.*

QUÆR. 6° *Si quis extrahat alterius ovem ex ore lupi, potestne eam sibi propriam facere?*

Resp. Neg., quia ovis etiam in ore lupi *clamat ad dominum*, pergît scilicet esse in ejusdem dominio, etsi certo amittenda, nisi ab alio salvetur. Idem dicendum est de eo qui rem quamlibet extrahat ex incensa domo, etiamsi ibi certo esset peritura. Attamen si damnum aliquod passus fuisset, hujus compensationem exigere posset, nisi damnum valorem rei superet.

Resolves.

574. — 1° Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque tuum est, quamdiu in conspectu tuo remanet, nec difficilis tibi evasit ipsius prosecutio. Aliter fit primi occupantis. Ex Jure Gallico pertinet ad dominum fundi in quo constitit.

2° Columbæ fugientes proprio motu, quin fraude attractæ sint, fiunt ejus, in cujus columbario sedem figunt. Secus si fraude, v. gr., cibo omnino extraordinario, seu valde exquisito attractæ fuerint. — *Lugo, d. VI, n. 42, etc.*

3^o Venator egrediens terminos suos, et vicina aliorum loca adiens, ordinarie non peccat; quia vicini proprietarii hoc sciunt, ipsique vicissim idem faciunt, contenti mulcta, si deprehendant. — *Reuter.*

4^o Qui a Gubernio emit jus in flumine quopiam piscandi, non potest jure isto privari sine injustitia; unde teneretur ad damnum illatum compensandum, qui tantam piscium multitudinem caperet vel destrueret, ut emptoris jus notabiliter læderet; secus autem, si non tam multos pisces caperet; quia jus locatarii non inde vilius redditur, neque singulos pisces rigorose attingit, cum hi e loco exire valeant, vel ibi non sint certo capiendi. — *V. Casus, n. 540 et seq.*

Gubernium in Gallia locat jus piscandi in fluminibus navigabilibus. In cæteris hoc jus pertinet ad proprietarios adjacentes. Ubique tamen linea projectili piscari licet.

PUNCTUM II

De inventione.

575. — Quadruplicis generis distinguuntur bona quæ inveniri possunt, scilicet *thesauri, res nuper amissæ, bona derelicta, et bona vacantia.*

Thesaurus, ex Jure Rom., est summa pecuniæ abscondita, cujus memoria non exstat. — Attamen, ex communi interpretatione, nomine thesauri veniunt etiam aliæ res pretio æstimabiles, quæ infossæ reperiuntur. — Ex Jure autem Gallico thesaurus est res quæcumque abscondita, vel infossa, quam nemo probare potest esse suam, et quæ casu invenitur. — Verum fortuita inventio requiritur tantum quando res in fundo alieno reperitur, ideoque a pluribus jurisperitis omittitur in definitione quam tradunt *thesauri*, secundum Jus Gallicum.

Res amissæ eæ dicuntur, quæ a domino involuntarie relinquuntur. A thesauro differunt, quia non sunt absconditæ neque infossæ, sed ordinarie sunt recenter perditæ.

Bona derelicta ea sunt, quæ dominus abjecit cum animo non amplius ea possidendi. Bona autem vacantia dicuntur ea, quæ a moriente absque testamento et hæredibus relinquuntur.

Principia.

576. — I. Thesaurus ab ipso fundi domino repertus, totus cedit inventori. Thesaurus vero in alterius fundo inventus, ex jure positivo (quidquid sit de jure naturali), inter proprietarium fundi et inventorem æque dividi debet, si fortuito repertus sit; si autem ex industria, et in scio fundi domino, atque adeo sine hujus consensu, huic totus cedit, post sententiam tamen judicis. — *Ita jus Rom. et Gall.* — Thesaurus autem in loco publico inventus dividi debet inter inventorem et fiscum, si locus sit *profanus*; et inter inventorem et fabricam aut Prelatum, si locus habeatur ut *sacer*. Sic *de Jur. Rom.* Sic etiam supponere videtur Jus Gallicum, quia locus publicus revera ad aliquem dominum pertinet, nempe ad Rempubicam, vel ad municipium, aut Ecclesiam. — *Gousset, Code commenté, art. 716.*

II. Res nuper amissæ domino, si inveniatur, reddi debent, quia amissionis factum non est titulus ad dominum re sua spoliandum. Insuper

juxta axioma ab omnibus receptum, *ad retinendum sufficit sola intentio, ad occupandum autem requiritur realis apprehensio, cum legitima habendi intentione*; atqui nemo habere potest *intentionem legitimam* accipiendi vel retinendi sibi rem, quam scit ad alium dominum cognitum pertinere; igitur ipsi restituere illam debet. Hinc effatum: *Res clamat ad dominum*. — Inventor, saltem si res secus esset peritura, tenetur, sed *ex Caritate* tantum, ad ejus curam suscipiendam; quod si faciat, jam vere init cum domino illum quasi contractum, quem *negotiorum gestionem* vocant, de quo infra n. 848. Sicut igitur jus habet, ut, comparente domino, expensæ ac damna sibi resarciantur, imo probabiliter et congrua merces retribuatur, ita *ex justitia* tenetur, antequam compareat, tum ad rem ipsi, quantum commode potest, conservandam, tum ad providendum opportunis mediis, ut rescire possit rem apud se detineri.

III. Bona derelicta et vacantia, de jure naturali, *primi occupantis* fiunt. Ratio, quia nullum amplius dominum habent; cedunt ergo primo occupanti, haud secus ac illa quæ nunquam dominum habuerunt. — *Ita communissime theologi*. — De jure autem positivo communiter Reipublicæ tribuuntur (*C. C.*, 539). Hoc tamen, ex consuetudine, ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante judicis sententiam. — *Carrière*, n. 285 et 343, *post plures jurisperitos*.

Quæsitæ.

577. — QUÆR. 1^o *An qui suspicatur in agro esse thesaurum, et illum emit communi pretio, thesaurum ibi inventum totum sibi retinere possit?*

Resp. Affirm., quia thesaurus ille, cum non sit pars fundi, et lateat, non auget illius valorem. — *S. Thom.* 2. 2., q. 66, art. 5. — *Lugo*, d. XVI, n. 126. — *Billuart*, etc. contra alios.

QUÆR. 2^o *An opifex qui in domo aliqua laborando invenit in quodam angulo parietis, vel in arca veteri, summam pecuniæ, illius partem retinere sibi possit?*

Resp. Disting. Si adsint vestigia ex quibus judicetur, pecuniam hanc esse cujuscumque personæ vel familiæ, tota huic reddi debet; quia pecunia hæc reputanda est ut bonum nuper amissum; secus dimidiam partem sibi retinere potest, quia tunc rationem thesauri habere videtur.

578. — QUÆR. 3^o *An inventor rei amissæ eam sibi retinere possit, si, diligentia sufficienti adhibita, dominus non compareat, nec sit spes ulla ipsum inveniendi?*

Resp. : 1^a Sententia negat, et censet rem inventam tunc esse pauperibus, vel aliis usibus piis impendendam. Ratio est, quia dominus, solo amissionis facto, jus in rem suam non amisit; si autem remanet dominus, res illa impendi debet eo modo quo velle præsumitur: porro hæc ejus voluntas præsumenda est, ut res in ejusdem utilitatem meliori modo impendatur, et consequenter in pia opera erogetur. — *Billuart*, *diss.* IV, art. 2, § 6. — *Collet*. — *Habert*, etc.

II^a Sententia probabilior affirm. Ratio est, quia res illa tunc pro derelicta habenda est. Quippe in hypothesi, licet dominus non dimittat seu abdicet dominium proprie dictum in rem suam, penitus tamen amisit facultatem re sua utendi, et de ea disponendi, atque adeo res desinit esse in ejusdem

dominio. Non est igitur quærenda voluntas prioris domini, utpote qui, amisso moraliter dominio, nihil de ea disponere potest. Ergo res illa moraliter ut derelicta habenda est; ergo *primi occupantis* fieri potest. — *Ita S. Lig., n. 603, ubi dicit hanc esse sententiam veriozem.* — *Lugo, disp. vi, n. 140.* — *Lacroix, n. 80.* — *Elbel, 171, etc.*

579. — QUÆR. 4^o *Quid agendum, si tandem dominus compareat, quando res fuit in pios usus impensa vel consumpta?*

Resp. 1^o: Si in pios usus impensa vel consumpta fuit quando dominus censebatur jam non amplius inveniri posse, nulla facienda est restitutio, quia res pro derelicta haberi jure poterat, et proinde a primo occupante fuit legitime acquisita.

Resp. 2^o: Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, cum adhuc spes affulgebat inveniendi dominum, tunc damnum est reparandum. Ratio est, quia in casu vel res conservanda erat, vel saltem ejus pretium, cum adhuc dominium maneret penes dominum. — *S. Lig., n. 590, 603; Hom. apost., n. 69.* — *V. Casus, n. 516 et seq.*

PUNCTUM III

De præscriptione.

580. — Præscriptio est ratio seu jus aliquod positivum acquirendi dominium, aut se liberandi ab aliqua obligatione per certum temporis lapsum, positis conditionibus a lege præfixis (*C. C., 2219*).

Hinc duplex distinguenda est præscriptio: altera *acquisitiva*, per quam res aliqua aut jus aliquod acquiritur; altera *liberativa*, quæ ab aliqua servitute vel aliquo onere liberat.

Principia.

581. — I. Lex humana potest vi præscriptionis dominium rerum ab uno in alium transferre, etiam sine domini consensu. Ratio est, quia id non modo utile est, sed plane necessarium ad bonum commune societatis, ad præcavendas nimirum vel dirimendas lites, quæ alioquin sæpius orirentur ex incerto possessionis jure. Aliunde æquitati naturali non repugnat, cum ante omnem eventum lex constituta sit, et hoc ipso omnibus et singulis parem lucri damnive sortem exhibeat. — *Ita generatim canonistæ et theologî.* — *Gousset.* — *Bouvier.*

II. Præscriptio debitis vestita conditionibus transfert dominium in conscientia. Constat ex sensu genuino verborum quibus lex fertur. Dicitur enim *dominium transferri, acquiri, etc.* Aliunde auctoritas humana finem intentum, nempe publicam securitatem et conscientiarum pacem nullatenus obtineret. Constat insuper ex Jure canonico, quod vim præscriptionis etiam in conscientia foro recognoscit.

III. Quinque hæc ad legitime præscribendum requiruntur, scilicet: res præscriptibilis, possessio, tempus requisitum, titulus, bona fides. Hinc vulgares versiculi:

Non usu capies, ni sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Possideas juste completo tempore legis.

Pauca de singulis dicemus.

I. — RES PRÆSCRIPTIBILIS

582. — Ea omnia et sola generatim præscribuntur, quæ sub dominium et commercium privatum veniunt, et ad quorum acquisitionem dari potest titulus legitimus (*C. C.*, 2226). — Etenim, cum finis præscriptionis sit dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio fieri nequit de re quæ ex natura sua, vel ex legum dispositione in dominium privatorum venire non possit. — Hinc res sacræ, ut ecclesiæ, cœmeteria, jura ecclesiastica, necnon ea quæ sunt domini publici stricte sumpti, ut plateæ, viæ, etc., præscribi nequeunt.

II. — POSSESSIO

Possessio *facti*, de qua solum hic agitur, est detentio rei, vel fruitio juris, quam possessor per se vel per alium, nomine tamen proprio, exercet. Hæc possessio requiritur ad præscribendum. Constat ex Jure civili, tum Romano, tum Gallico. Accedit probatio etiam ex Jure Can. deprompta. Sic enim jacet regula 3^a in 6^o: *Sine possessione præscriptio non procedit.*

Variis autem conditionibus gaudere debet possessio. Debet enim esse: 1^o *dominativa*, seu res debet haberi animo proprietarii, non vero depositarii, etc.; — 2^o *publica*, ita ut *per se* saltem potuerit a vero domino cognosci, quamvis ipse forte *per accidens* eam ignoraverit; — 3^o *tranquilla*, ita ut nulla litis contestatio de re intercesserit; — 4^o *certa*, hoc est non *æquivoca*; — 5^o *continuata*, seu non *interrupta*, donec tempus requisitum compleatur.

III. — TITULUS

583. — Titulus dicitur causa *per se* ad dominium transferendum sufficiens, v. gr., emptio, donatio, etc. Ex Jure Romano quadruplex titulus distingui solet, nempe verus, coloratus, putatus seu existimatus, et præsumptus.

Non requiritur quidem *titulus verus*, ut patet; secus enim possessor præscriptione non indigeret ad rem acquirendam; sufficit itaque *coloratus*, id est qui præ se speciem veri tituli ferat, licet in se ob occultum vitium verus non sit; sufficit etiam ex Jure Romano, non autem ex Gallico, *titulus existimatus*, seu qui prudenter putatur adfuisse, licet revera non adfuerit. — Pro præscriptione triginta annorum nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit etiam in conscientia, modo adsit bona fides: seu potius tunc habetur titulus præsumptus in ipso facto possessionis *tranquillæ* per tantum temporis intervallum.

Ex Jure autem Gallico nullus requiritur titulus pro rebus mobilibus præscribendis. Hinc effatum: *Pro mobilibus possessio titulo æquivalet* (*C. C.*, 2279). Unde qui rem detinet, ejus dominus censetur, nisi contrarium probetur.

IV. — TEMPUS REQUISITUM

584. — I. Quoad præscriptionem *acquisitivam*:

1^o Pro rebus *immobilibus* sine speciali titulo possessis, requiruntur triginta anni ad præscribendum. — Cum titulo autem speciali, decem anni

requiruntur et sufficiunt, si verus dominus sit præsens, id est, si habitet in eadem provincia, in qua situs est fundus præscriptioni obnoxius; si autem verus dominus sit absens, anni absentiae duplicantur. Hæc autem provincia legibus particularibus determinatur.

In Gallia præsens dicitur verus dominus, si domicilium habeat in loco subjecto eidem Curiae superiori (*Cour d'appel*), in cujus territorio fundus jacet.

2° Omnes actiones tam reales quam personales per 30 annos absque titulo præscribuntur.

3° Servitutes *activæ*, si sint continuæ et apparentes, præscribuntur cum titulo sicut immobilia, atque adeo triginta annis, si specialis titulus desit. Servitutes autem *activæ non apparentes* præscriptioni non sunt obnoxiae absque titulo. Dicuntur autem *non apparentes*, quæ *per se* non patent, ut, v. gr., est prohibitio ædificandi in tali fundo, vel ædificium ultra talem altitudinem extollendi. — An vero cum titulo præscribi possint decennio ut immobilia, *controvertitur*.

4° Pro rebus *mobilibus*, Jure Romano requiruntur tres anni cum titulo, triginta vero sine titulo. — Ex Jure autem *Gallico*, tres anni sine titulo pro rebus furtivis et inventis; quoad cæteras vero, sola possessio sufficit (*art. 2279*).

5° Si res aliena possessa fuerit a pluribus successive, ultimus possessor ad præscribendum computare potest omne tempus quo ab aliis bona fide detenta fuerit, etiamsi eam a paucis diebus habeat, quando præscriptionis tempus completur.

6° In Jure Rom. et Can. requiruntur 40 anni ad præscribenda bona ecclesiastica; et 100 pro bonis Ecclesiae Romanæ, vel S. Joannis Lateranensis, Jus autem Gallicum bona ecclesiastica ab aliis non distinguit.

7° Res tandem furtivæ aut vi possessæ, ex Jure Rom. et Can., non præscribuntur a possessore bonæ fidei, etiam cum titulo, v. gr., emptionis, nisi per 30 annos.

II. Quoad præscriptionem *liberativam*:

1° Servitutes *passivæ*, census, et omnia debita, supposita bona fide, extinguuntur post triginta annos. — *S. Lig. n. 513*. — *Lugo*, etc. — (*C. C.*, 2262).

2° Ex Jure Gallico quinque anni sufficiunt ad præscribendum pensiones ex censibus debitas, pensiones alimentarias, pretium locationis domorum, prædiorum, et quidquid quotannis, vel post tempus brevius solvendum est (*art. 2277*). — Sunt etiam aliæ præscriptiones breviores: sic, v. gr., sex menses tantum requiruntur pro stipendiis operariorum, hospitem, etc.; — unus annus pro stipendiis medicorum, famulorum, etc.; — duo anni pro stipendiis procuratorum, causa finita. — (*Art. 2271 et seq.*)

Quæsitæ.

585. — QUÆR. 1° *Quandonam præscriptio dicatur interrupta?*

Resp.: Quando ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut iterum inchoari debeat. Hoc autem duplici modo fieri potest: 1° *naturaliter*, si præscribens amittat possessionem per tempus anno integro majus, aut si mala fides superveniat; 2° *civiliter*, si lis noveatur *juridice* circa

possessionem, nec interpellatio a iudice rejecta fuerit.— *Sic Jus Rom. et Gall.*

QUÆR. 2º *Quandonam dicitur præscriptio suspensa?*

Resp.: Quando impedimentum ei objicitur, ne procedat ulterius; scilicet: 1º dum judicia exerceri nequeunt, v. gr., tempore pestis, belli; — 2º contra Ecclesiam, dum caret rectore seu Superiore; — 3º contra pupillos, toto tempore quo pupilli remanent; — 4º contra quemlibet, qui jus suum prosequi nequit. — *Sic varia Jura.*

586. — QUÆR. 3º *An valeant in conscientia præscriptiones trium annorum pro rebus mobilibus furtivis et inventis, ut fert Jus Gallicum?*

Resp. 1º *quoad res furtivas*: 1º Fur seu possessor malæ fidei nunquam præscribere potest, etiamsi lapsu temporis oblitus fuerit se rem injuste accepisse, cum possessionem mala fide inceperit. 2º Emptor autem aut donatarius, qui rem bona fide a fure accepit, præscribere potest, si adsint cæteræ conditiones ad præscriptionem requisitæ.

Resp. 2º *quoad res inventas*: Secundus possessor, seu successor inventoris titulo emptionis, donationis, etc., præscribere potest, ut de successore furis dictum est. — An vero primus possessor rei inventæ dici possit bonæ fidei, præmissa debita diligentia ad dominum inveniendum, et ita præscribere, *controvertitur*. Affirmandum autem videtur; quia, si spectatis circumstantiis, adhibitæque debita diligentia, dominus inveniri nequeat, nec affulgeat spes ulla cum inveniendi, hic rei dominio ita excidit, ut res nullius esse censeatur, atque adeo primi occupantis fiat. Inventor igitur in eo casu incipere potest rei possessionem cum animo eam retinendi ut propriam.

— *Elbel, n. 172.* — *Sporer, de inventione, n. 187.*

587. — QUÆR. 4º *An cætera mobilia præscribi possint in conscientia solo titulo possessionis juxta Jus Gallicum?*

Resp.: *Controvertitur*. Alii requirunt triginta annos, quia nullum tempus statuitur a Jure, nec videtur sufficiens solus titulus possessionis. Id verum esse potest, quatenus per 30 annos extinguuntur omnes actiones, etiam titulo speciali deficiente. Alii requirunt tres annos tantum. Sed quo Jure? Nam silet Jus Gallicum novum; vetus autem fuit abrogatum. Hoc tamen, ut videtur, admitti potest. Etenim si Jus admittit præscriptionem triennem pro rebus furtivis et inventis, etiam pro aliis illam admittere debet. — Alii *probabilius* admittunt, *per se* sufficere titulum possessionis. Nec videntur adesse tanta incommoda in hac sententia; quia præter res furtivas et res inventas, quæ triennio præscribuntur, casus possessionis rei alienæ valde rari sunt; et cum possessio pollere debeat variis conditionibus quæ unico instanti impleri non possunt, sæpius recidet hæc præscriptio in præscriptionem triennem, quæ in conscientia admitti potest.

588. — QUÆR. 5º *An valeant in conscientia præscriptiones liberativæ quinque annorum ex Jure Gallico?*

Resp. 1º *Neg.*, si de primo debitore agatur, quia in eo supponi nequit bona fides, quæ ignorantiam debiti omnino requirit.

Resp. 2º *Affirm.*, quoad primi debitoris successores saltem titulo particulari, juxta dicenda infra n. 590, si debitum auctoris ignoraverint. — *Gousset, n. 719.*

QUÆR. 6º *An præscriptiones liberativæ triennio minores Juris Gallici valeant in conscientia?*

Resp. Neg., quia in talibus præscriptionibus legislator intentionem non habet dominium transferendi. Sic clare supponit art. 2275 Codicis civilis, juxta quem ii, qui præscriptionem opponunt, tenentur jurare se debitum revera solvisse.

V. — BONA FIDES

589. — Bona fides in hac materia est firma persuasio, qua quis prudenter judicat rem a se possessam esse suam.

I. Hæc bona fides omnino necessaria est ad acquirendum dominium ex præscriptione: ratio est, quia quisquis advertit se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit, cum res aliena tum jure naturali, tum etiam positivo, sive divino sive humano, scienter neque subripi, neque retineri possit. Constat etiam ex *Conc. Lateran. IV*, necnon ex secunda regula Juris in 6^o quæ sic se habet *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Unde dispositiones Juris civilis, in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, pro foro interno non valent, et velut mera recursus id est *actionis* contra alium denegatio sunt habendæ.

II. Requiritur autem bona fides non solum ad præscriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*, quia pro utraque eadem rationes et auctoritates æque urgent.

Verumtamen, juxta multos theologos et juristas, bona fides non requiritur ad se liberandum ab aliqua *servitute passiva*, seu potius dicendum, bonam fidem in hoc consistere, ut nullum ponatur obstaculum quo alter ab usu juris sui impediatur. Ratio est, quia præscribens nullo ligatur debito erga eum contra quem præscribit; nec tenetur, decurrente præscriptionis tempore, monere alium, ut contra ipsum servitulis jure utatur. Hoc tamen alii negant. — *Vide Bouvier, etc.*

Quæsitæ.

590. — QUÆR. 1^o *An præscribat hæres qui dubitat de bona fide antecessorum?*

Resp. Affirm., quia mala fides *per se et ordinariè* præsumi non debet, cum nemo malus præsumatur, nisi probetur. — *Ita communiter.*

QUÆR. 2^o *An mala fides antecessoris semper impediatur successorem a præscriptione?*

Resp. 1^o Affirm., si hæres succedat ex titulo universali, saltem pro præscriptionibus ordinariis, seu 10 vel 20 annorum; quia fictione Juris hæres censetur esse unica persona moralis cum auctore.

Resp. 2^o Neg., si succedat titulo particulari, quia tunc non censetur unam personam constituere cum antecessore. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu. — *S. Lig. n. 516.*

QUÆR. 3^o *An mala fides antecessoris noceat successori universali, etiam quoad præscriptionem 30 annorum, id est, si hæres bona fide hæreditatem adiit, et dein per 30 annos possidet?*

Resp. Neg. probabilius, quia jus civile dicit omnes obligationes tam reales quam personales posse præscribi per 30 annos. *Ita Gousset, n. 720, et expl.*

Cod. civ. art. 2236, contra alios qui dicunt, talem hæredem non posse præscriptionem prosequi. — *Billuart.* — *Lugo*, etc.

QUÆR. 4^o *An mala fides antecessoris noceat hæredi mediato?*

Resp. Neg. probabilius, quia hic non censetur facere unicam personam cum antecessore. — *Ita plures contra plures.* — *S. Lig. n. 512*, cum *Lugo*, *Lacroix*, *Laymann*, etc., sententiam affirmantem habet tanquam probabiliorum. — *V. Casus, 434 et seq.*

PUNCTUM IV

De accessione.

591. — Accessio est modus acquirendi dominium in rem aliquam, propterea quod res illa rei nostræ adjiciatur. Accessio autem fieri solet variis modis, scilicet :

1^o *Nalivitate*, seu quando ex animali nostro aliud nascitur, etsi conceptum de masculo ad alium pertinente. Qui enim habet matrem, jus habet ad omnes ejus partus. Hinc axioma : *Partus sequitur ventrem.* — Eadem de causa nostri sunt omnes fructus naturales, civiles aut industriales, qui e rebus nostris veluti nascuntur, v. gr., arbores ex agro, pensio ex domus locatione, etc.

2^o *Alluvione*, seu quando vi aut etiam recessu aquarum incrementum alicui prædio paulatim accedit. Non autem alluvione repentina dominium acquiri potest. *Sic omnia Jura statuunt.*

3^o *Adjunctione*, seu quando res duæ ad diversos dominos pertinentes ita in unum quid coalescunt, ut separari sine detrimento non possint : tunc totum compositum est illius, cujus materia est in re composita præstantior sive magnitudine, sive pretio, adeoque tanquam pars principalis habenda est ; sed hic alterum indemnem facere debet. — *Sic Jus Romanum et Gallicum.*

4^o *Specificatione*, seu quando ex aliena materia nova corporis species per artem conficitur. Tunc *ex Jure Rom.*, si species ad priorem materiam redire non possit, res pertinet ad artificem, qui tenetur pretium materiæ solvere, et damna, si quæ sint, compensare. — *Ex Jure autem Gall.* dominus materiæ novam speciem repetere potest, laboris pretium solvendo. Si tamen pretium industriæ longe superet pretium materiæ, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiæ pretio. Si artifex mala fide egerit, damna domino rei illata reparare tenetur.

5^o *Commixtione*, seu *confusione* duarum rerum æque principalium ad diversos pertinentium dominos. Tunc, si res mixtæ possint dignosci et separari, separentur ; si vero non possint dignosci, res communis erit, et dividenda pro rata quantitatis propriæ singulorum. Attamen dominus materiæ præstantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione ; si autem res mixtæ sint circiter æquales, compositum pertinet ad utrumque dominum in communi, et vel cumulus vendi, ut pretium dividatur, vel dividi pro rata potest.

592. — 6^o *Ædificatione*, seu quando construitur ædificium ex aliena materia in proprio fundo, vel ex propria materia in fundo alieno, vel ex

aliena materia in fundo alieno. Generatim dominium fundi secum trahit quidquid est supra vel infra positum. Ædificium igitur est illius, cujus est solum, præstita debita compensatione. Idem fere dicendum de plantatione et satione. Hinc vulgares versus :

Quidquid plantatur, seritur, vel inædificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Quoad indemnitatem vero hæc statuuntur : 1° Qui in suo fundo ædificavit, plantavit, vel alia opera fecit ex materia aliena, debet, *ex Jure Rom.*, solvere duplum pretii materiæ; *ex Jure vero Gallico*, pretium materiæ tantum solvere, et damna, si quæ sint, reparare debet. — 2° Qui ex sua materia in fundo alieno ædificavit, plantavit, etc., *ex Jur. Rom.*, pretium materiæ repetere potest, si ex bona fide egerit, secus si ex fide mala; *ex Jur. vero Gall.*, pretium materiæ pariter repetere potest, si dominus fundi servare velit; secus vero hic cogere potest alterum ad opera propriis expensis tollenda, nisi de ejus bona fide juridice constet. — *V. Casus, n. 547 et seq.*

ARTICULUS II

DE USU ET USUFRUCTU

Usus est jus utendi re aliena, salva ejus substantia. Ususfructus est jus utendi simul et percipiendi fructum e rebus alienis, salva pariter earum substantia.

Principia.

593. — I. *Usufructuarius* plenum usum ac fructum rei alienæ habet, ita ut omnes fructus rei suos faciat, et de ipsis pro nutu suo disponere possit, sive per se, sive per alium. Ratio est, quia usufructuarius personam proprietarii quoad dominium utile agere censetur. — Sic *Jure Romano* et *Jure Gallico*.

II. *Usufructuario* incumbit onus tum custodiam præstandi, tum expensas, si modicæ sint, subeundi, ut res in integro suo statu conservetur, tum etiam faciendi sumptus ut naturales fructus ex ea percipiat. Tenetur etiam ad solvenda onera ordinaria, quibus gravatur res usufructuaria, qualia sunt salaria, tributa annua et similia.

III. *Usufructuarius* uti debet re aliena tanquam bonus paterfamilias, eamque talem reddere, qualis reperiri debet post bonam administrationem. Proprietarius autem nihil facere potest, quo deterior fiat conditio usufructuarii, quia *patitur frui*. — *Ita varia Jura*.

Quæsitæ.

594. — QUÆR. 1° *Quomodo acquiratur ususfructus?*

Resp. : Acquiritur : 1° ex lege, et tunc dicitur *legalis* : talis est ususfructus parentum ex bonis filiorum, vel mariti ex bonis uxoris; 2° ex conventionem vel contractu, et ideo *conventionalis* nuncupatur.

QUÆR. 2° *Quomodo cesset ususfructus?*

Resp. : Cessat : 1° morte naturali aut civili usufructuarii; 2° tempore statuto; 3° interitu totius rei; 4° consolidatione, v. gr., si usufructuarius fiat dominus rei; 5° omni moda mutatione, v. gr., si pratum fiat stagnum; 6° abusu, quo per usufructuarii culpam res deterior fiat; 7° renuntiatione usufructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum.

Resolves.

595. — 1° Sub usum et usumfructum non veniunt res unico actu consumptibiles, ut vinum, oleum, panis, etc., quia per talem usum non manet salva rei substantia.

2° Usufructuarius facultatem habet percipiendi quidquid in fundo nascitur, segetes scilicet, fœnum, fructus arborum, etc.; ad ipsum quoque pertinet proventus piscationis, fœtus animalium, eorum lana, lac, etc. Item potest in silvis certam lignorum portionem cœdere, quam nempe paterfamilias cœdere solet.

3° Potest usufructuarius jus suum titulo venditionis, locationis vel dominationis alteri cedere. Idipsum autem dici nequit de usuario; qui tamen, si jus habeat domo aliqua utendi, in illa cum familia sua habitare poterit, etiamsi tempore, quo usum acquisivit, conjugatus non fuerit.

4° Fructus naturales et industriales initio pendentes percipit usufructuarius sine onere solvendi pro cultura, vel semine, etc. Et reciproce, si discedat ante maturitatem fructuum, nihil reclamare potest. Fructus vero civiles de die in diem requiruntur, ac proinde dividi debent pro rata temporis quo ususfructus duravit.

ARTICULUS III

DE SERVITUTE

596. — DEFINITIO. Servitus, *passive* sumpta, est onus rei impositum in utilitatem alterius. — *Active* autem sumpta, est jus quod quis habet in re alterius, ut sibi vel rei suæ serviat.

DIVISIO. 1° Servitus *ratione originis* est vel *naturalis*, vel *legalis*, vel *conventionalis*, prout vel ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex mera conventionione oritur.

2° *Ratione objecti*, est *urbana*, vel *rustica*, prout instituitur in utilitatem prædii urbani vel rustici.

3° *Ratione modi*, est *continua*, vel *non continua*, prout durare potest absque hominis facto, ut est servitus aquæductus, aut sine eo exerceri nequit, v. gr., servitus itineris. Iterum est *apparens*, vel *non apparens*, prout exteriori signo aperte declaratur, v. gr., janua, fenestra, etc., aut tali signo caret, ut est, v. gr., prohibitio ædificandi in quopiam loco, etc.

Quæsitæ.

597. — QUÆR. 1° *Quænam sint jura et obligationes servitutum?*

Resp. : Generalim loquendo ea pendent a natura rei, seu a lege, vel a conventionione; hæc autem præcipue statuuntur : 1° Is, qui *active* jus habet ad servitutem, omnia opera perficere potest quæ necessaria sunt ad ea utendum,

atque ad illam conservandam. 2° Si dividatur fundus ad cujus utilitatem constituta est servitus, hæc cuique parti istius fundi debetur. 3° Dominus prædii servientis nihil agere potest ex quo servitutis usus minui possit, et vicissim is, cui debetur servitus, nihil facere potest unde conditio prædii servientis gravior fiat. Ita fert naturalis æquitas, cui etiam Jura consonant.

QUÆR. 2° *Quomodo extinguantur servitutes?*

Resp. 1°: Elapso statuto tempore, vel impleta conditione; 2° renuntiatione expressa vel tacita; 3° consolidatione, qua dominus prædii dominantis fit simul dominus servientis, aut vice versa; 4° præscriptione, seu non usu juris servitutis saltem per 30 annos. Imo cum servitutes habeant rationem immobilium, præscribi possunt per spatium temporis quod in his præscribendis servatur.

Resolves.

598. — 1° Si agatur de servitutibus naturalibus, seu de servitutibus quæ ex naturali locorum dispositione sequuntur, non potest dominus prædii inferioris aggerem struere, ut aquæ prædii superioris non amplius per fundum suum defluant; sicut nec dominus prædii superioris quidquam facere valet, ut aquarum fluxus insolite augeatur.

2° Ad acquirendum præscriptione jus servitutis, v. gr., jus viæ, aquæductus, etc., per alienum fundum, debet præscribens exercere actus positivos quibus tale jus acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat jus illud ad se pertinere. Nec sufficit scientia et tolerantia illius contra quem præscribitur, si titulum non habeat. Si vero titulum habeat, hujusmodi scientia ac tolerantia non requiritur.

3° Qui agros possident ad ripas fluminum navigabilium, obstare non possunt quominus aperiatur via necessaria ad navigiorum cursum. Idem dicendum de iis quorum prædia viis aut aliis publicis operibus adjacent: ii enim tenentur ad servitutum patiendam, quamdiu necessaria est ad prædictorum operum confectionem vel reparationem. At, in utroque casu, proprietarii læsi jus habent ad indemnitatem quamdam, si fieri possit.

4° Dominus prædii servientis non potest mutare positionem, v. gr., viæ, aquarum, rivuli, nisi servitus gravior evaserit, aut impediatur quominus reparationes prædio utiles fiant.

PARS SECUNDA

DE VIOLATIONE JURIS SEU DE INJURIA

CAPUT I

DE INJURIA IN GENERE

599. — DEFINITIO. Injuria est juris alieni violatio.

DIVISIO. Est: 1° *formalis*, vel *materialis*, prout fit scienter et voluntarie, aut absque cognitione et consensu.

2° *Gravis*, vel *levis*, prout ex ea proximus damnum grave vel leve tantum patitur.

3° *Directa*, vel *indirecta*, prout intenditur in se, aut in causa tantum prævidetur et permittitur.

Principia.

600. — I. Datur præceptum naturale a Deo promulgatum atque sancitum; velans ne lædatur jus strictum alterius : unde omnis injuria juri naturali adversatur. Ratio patet ex dictis supra n. 523 et seq. Quandoquidem enim quispiam factus sit legitimus quorundam bonorum dominus, necessario jus inviolabile in ea habere debet : secus jus ipsius esset illusorium, seu non esset jus ; quod contradictionem involvit.

II. Injuria seu læsio juris alieni est peccatum grave *ex genere suo*. Ratio est, quia rectæ rationi, bono ordini, et legi divinæ graviter adversatur.

III. *Scienti et volenti non fit injuria*; quia volens cedit e jure suo, et proinde jus servare non vult. Hinc de essentia injuriæ est, ut erga nolentem seu in invitum exerceatur.

Excipe casus nonnullos in quibus homo jus suum cedere nequit, quantumvis volens : sic conjugatus nequit consensu suo impedire quin violatio uxoris suæ sit adulterium, quia natura postulat ut jus conjugale sit prorsus inalienabile. Adde pro christianis jus Sacramenti, quod violari nequit. Hinc damnata est sequens propositio ab Innoc. XI sub n. 50 : *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

Resolves.

601. — 1° Consentienti ex dolo vel metu injuste incusso fit injuria, quia consensum aut nullum reipsa præstat, aut non præstat libere, sed tantum ad se redimendum ab injusta vexatione.

2° Peccat itidem contra justitiam, qui alium occidit volentem occidi ; ratio, quia vitæ humanæ dominium sibi reservavit Deus ; homo vero est mere usufructuarius, qui idcirco jus in vitam abdicare a se nequit.

3° Usurarius injuriam facit mutuatario solventi usuras, sicut venditor emptori pretium ultra summum pro merce concedenti.

4° Tortores martyribus injuriam fecerunt, etsi martyres mortem desideraverint et libenter pertulerint.

Quæsitæ.

602. — QUÆR. 1° *Quænam materia censeatur gravis vel levis in injuria?*

Resp. : Gravis censeatur ea materia, quæ ex natura sua, vel ex hominum æstimatione, apta est ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam, seu ad caritatem mutuam dissolvendam. — *Ita Lacroix, de Restit., n. 2. — Reuter, n. 294, et alii.* Ratio est, quia, cum finis justitiæ sit pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuumque amorem per conservationem jurium promovere, gravis merito censeatur illa materia, quæ ex natura sua, vel hominum æstimatione, mutuum amorem dissolvere cum pacis communis jactura, seu tristitiam difficile sedandam causare potest.

Dixi *ex natura sua*, etc.; quia in regula generali statuenda attendi illud debet, quod communiter in hominibus temperato iudicio atque affectu utentibus usuvenit, non vero quod affectuum tumultus et intemperantia in iis adjunctis suggerit; justitia enim rationis ductum et prudentiæ dictamen sequitur.

QUÆR. 2^o *An injuria alteri inferri effective possit per actum mere internum?*

Resp. Affirm., quia aliquando solo actu interno jus strictum alterius lædi potest. — Patet exemplo iudicii temerarii, quo juxta communem sententiam justitia erga proximum violatur, quandoquidem quisque jus strictum ad bonam sui existimationem apud singulos habet. — *Recole dicta de octavo Decal. præc., n. 463.* — Cæterum in hoc casu nulla est *specialis* difficultas; siquidem cum injuria mere interna nullum damnum externum læso inferat, nulla exterior reparatio facienda est, sed imprudens dumtaxat mentis iudicium est abjiciendum.

603. — QUÆR. 3^o *An actus internus efficere per se possit ut actus externus evadat injustus?*

Resp. 1^o Neg., si actus externus *per se* materialiter jus alterius non lædat, non obstante prava nocendi intentione in agente. Ratio est, quia, ubi nullum jus læditur, nulla potest esse injuria. Hinc non peccat contra justitiam recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio teneatur. — *Ita communissime.* — *Lugo, d. XIX, n. 180.* — *Vogler, n. 400, contra paucos.*

Resp. 2^o Neg. pariter, quando agens jus habet directe ponendi actum externum qui est alteri nocivus, etiamsi ex intentione nocendi agat. Ratio est, quia intentio prava facere nequit injustum quod *de se* justum est, siquidem naturam actus externi mutare non potest. Hinc non peccat *actu externo* contra justitiam iudex homicidam ex odio ad mortem promeritam damnando; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet. — *Ita communissime juxta Vogler, n. 402, cum Lugo, d. VIII, n. 79, et d. XVIII, n. 98.*

Resp. 3^o Affirm., autem, si opus externum sit indifferens ad nocendum vel non nocendum, secluso jure directo agentis: tunc enim sæpe prava intentio determinat opus externum, ut damnosum evadat. Itaque non peccas quidem contra justitiam accipiens rem e manibus furis, ut eam domino restituas; secus vero, si accipias, ut retineas. Nec injuriam facis amico, ejus librum tollendo ut illum obiter percurras; secus vero, si ut subripias.

604. — QUÆR. 4^o *Quid si opus externum ex mala quidem intentione ponatur, non sit tamen vere probabile quod secuturum damnum sit?*

Resp. : Controvertitur inter gravissimos theologos. Clarius autem patebit status quæstionis ex sequentibus exemplis: 1^o Aliquis ponit venenum aut laqueum in loco in quo rarissime transit inimicus, sed ea intentione ut occidatur, si forte transeat. 2^o Medicus adhibet omnem diligentiam ad quam tenetur, sed non vult majorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Quæritur an illi causa sint injustæ mortis, si de facto sequatur. Duplex est sententia. — *I^a Sententia*, quæ communior videtur, *negat*. Ratio est, quia ex una parte actus externus non est injustus, cum mera

damni alieni possibilitas in rebus humanis attendi non debeat; ex altera parte actus internus non efficitur injurius ratione intentionis, cum intentio non influat in efficaciam causæ, seu in periculum damni. Quocirca dicenda est causa mere *per accidens*, nec prava intentio ejus naturam mutat. — *Ita Lessius, lib. II, c. IX, n. 113.* — *Vogler, n. 104, et alii non pauci.* — *II^a vero Sententia affirmat*, non infirmo fundamento innixa. Ratio est, quia in præfatis casibus homicidium est sane contra justitiam, et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Ideo enim seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa; sed intentio illam connexionem supplet, et facit ut operans vera illius causa sit, quippe ad rationem causæ multum conducit intentio operantis. Ergo... — *Ita Lugo, d. VIII, n. 75.* — *Salmant.* — Advertit porro Lugo, in præfatis casibus ad rationem injuriæ non sufficere prævisionem possibilitatis damni, sed requiri etiam intentionem illud procurandi.

CAPUT II

DE INJURIA IN SPECIE SEU DE PECCATIS CONTRA JUSTITIAM

Hic tantum de injuriis in bonis fortunæ agendum est, scilicet de furto et ejus speciebus. — De aliis enim injuriis, in bonis scilicet corporis, honoris et famæ, sat dictum est in *Tractatu de quinto et octavo Decalogi præcepto*.

Agendum 1^o de natura et gravitate furti; — 2^o de causis a furto excusantibus.

ARTICULUS I

DE NATURA FURTI

605. — DEFINITIO. Furtum in genere est injusta ablatio rei alienæ, domino rationabiliter invito.

DIVISIO. Furtum sic distinguitur:

1^o Furtum *simpliciter*, si fiat *occulte*. — 2^o Rapina, si fiat aperte cum vi domino illata. — 3^o Sacrilegium, si fiat circa rem sacram.

Principia.

I. Furtum, quocumque nomine appelletur, peccatum grave est *ex genere suo*, quia graviter *per se* legi naturali adversatur, ut patet tum ex ratione, tum ex Scriptura sacra, in qua adnumeratur peccatis quæ a regno cælorum excludunt. Sic enim Apost., I Cor. VI, 10: *Neque fures..., neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

II. Furtum sacrilegum et rapina speciem malitiæ diversam constituunt: illud, quia præter justitiam violat religionem; ista, quia injustæ ablationi rei alienæ addit injuriam personæ illatam. Cæteri autem modi, vel alia objecta furti, speciem non mutant, quia per ista damnificationis natura non mutatur.

Quæsitæ.

606. — QUÆR. 1° Quænam materia censeatur gravis in furto?

Resp. 1°: Non potest rigorose determinari. Juxta sententiam communem, quæ omnino tenenda videtur, materia hæc spectanda non est *absolute in se*, sed *relative* ad varias hominum conditiones et necessitates, ita ut gravior materia requirenda sit ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem. Ratio est, quia gravitas furti, sicut gravitas cujuslibet injuriæ, pendet præsertim a majori vel minori privatione, dolore et reluctantia voluntatis, quam patitur ille cui surripitur: jam vero nemo non videt eandem materiam nunc levem nunc gravem causare contristationem, prout dominus, a quo aufertur, dives est vel pauper. Attendendum tamen est ad reluctantiam voluntatis, ut inter homines *communiter et rationabiliter* habetur, non vero respectu ad homines majori vel minori amore pecuniæ allectos. — *Ita communiter cum S. Lig., n. 526, contra Billuart et alios nonnullos*, qui contendunt materiam, sive gravem sive levem, absolute in se spectandam esse, eamque consistere in eo quod ad quotidianam sustentationem viri honesti seu mediocriter divitis requiritur.

Aliqua tamen determinanda est absoluta materia, quam nunquam sine culpa gravi prætergredi liceat; secus enim si proportio omnimoda servanda foret inter omnes conditiones, profecto maxima quantitas pro materia gravi, ubi quis surripit ditissimo principi, requireretur: hoc autem in societatis damnum sane cederet.

607. — *Resp.* 2°: Ad gravem vero materiam relative spectatam (attentis præcipuis Europæ locis, et temporum nostrorum adjunctis) requiri videntur: 1° Circiter valor unius franci seu 20 asses relative ad pauperes, et aliquando minus pro majori gradu necessitatis; 2° circiter duo vel tres franci, seu 40, vel 60 asses relative ad operarios, qui labore diurno victum sibi comparant; 3° circiter quatuor vel quinque franci relative ad homines mediocriter divites; 4° circiter sex vel septem franci relative ad divites ordinarios.

Quod spectat vero ad materiam absolute gravem, est communior sententia apud *S. Alphonsum*, duos aut tres aureos materiam gravem existimari. Aureus autem quinque circiter francis æquivalet. In mentem tamen revocare velis, pecuniam tunc temporis utpote rariorem, fuisse etiam pretiosior.

608. — QUÆR. 2° Quænam materia requiratur, ut furta uxorum, filiorum et famulorum gravia evadant?

Resp. 1°: Certum est apud omnes, in furtis uxoris et filiorum plus requiri ad gravem materiam constituendam, quam in furtis extraneorum; quia paterfamilias est minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus in priori casu, quam in posteriori, et sæpe invitus est magis quoad modum (quod clam accipiat), quam quoad substantiam. — *S. Lig., Hom. apost., n. 32.* Addunt autem, *probabilius* requiri pro iis summam duplo majorem, quam pro extraneis; sed nulla regula generalis assignari potest; res enim a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque definienda erit.

Resp. 2^o : Pro famulis pendet etiam a majori liberalitate vel tenacitate dominorum, ex qualitate vel situ rei subreptæ, v. gr., si sit comestibilis vel non, custodita vel aperta, etc. Juxta multos per furta minuta facta a famulis in cibis et esculentis, quæ non solent caute servari, generalim non devenitur ad mortale, modo hæc non vendantur aut e domo educantur, aut sint pretii extraordinarii. Si autem famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas major ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios. Imo hujusmodi furta severius lege civili puniuntur, ob fidelitatis defectum, qui in illis intervenit. — *S. Lig., Hom. apost., n. 34.*

609. — QUÆR. 3^o *An furta minuta coalescere possint ad gravem materiam constituendam?*

Resp. 1^o *Affirm.* prorsus, si agatur de furtis adversus eandem personam commissis, quia unita facile damnum grave domino inferre possunt. Constat etiam ex hac propositione 38^a ab Innoc. XI damnata: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* — Ergo obligatio gravis datur summam gravem per minuta furta allatam restituendi, et proinde furta minuta coalescunt.

Resp. 2^o *Affirm.* cum sententia communi, etiamsi agatur de furtis minutis in damnum diversorum commissis. Ratio est, quia præceptum non furandi obligat non solum ne damnum grave proximo inferatur, sed etiam ne quis injuste re aliena ditescat. Quippe talis fur, si non individuè singillatim sumptis, certe communitati grave damnum infert. Et sane, nisi hujusmodi furta prohiberentur sub gravi, homines non pauci facile ex furtis ditescere vellent, cum id absque salutis æternæ dispendio facere possent; proinde magna deordinatio in societate subsequeretur. Ergo hæc furta *sub gravi* jure naturali prohiberi debuerunt. — *S. Lig. n. 534. — Lugo, disp. XVI, n. 37.* — Cuinam autem sub gravi tunc restituendum sit, dicitur infra n. 630.

610. — QUÆR. 4^o *An minuta furta adhuc coalescant, si inter ipsa magnum ponatur intervallum?*

Resp. *Neg.* juxta sententiam communiorem. Ratio est, quia, posito magno intervallo, furtula ex communi hominum æstimatione moraliter uniri non censentur, nec proinde unum objectum in genere moris constituunt. Insuper tunc non apparet grave damnum domino illatum, cum vix illud sentire possit; adeoque graviter invitus non censetur. — *S. Lig. n. 530. — Vogler, n. 133.*

QUÆR. 5^o *Quandonam intervallum censeatur magnum?*

Resp. : *Probabilius* tenendum est furta non amplius coalescere ultra spatium duorum mensium, etiamsi ad materiam quasi gravem accederent. — *S. Lig., ibid.*

Aliqui tamen intervallum anni unius requirunt, ut furtula coalescere desinant; alii vero contendunt sufficere, si mensis unus intercedat, aut etiam tempus brevius, si agatur de furtulis valde minutis. Sed priores in rigorem, et posteriores forte in laxitatem aliquam declinare videntur.

Cæterum furta minuta, etiam posito quocumque intervallo, ex omnium sententia coalescunt, quoties patrata sunt cum intentione ad summam no-

tabilem perveniendi; quia per hanc intentionem vere inter se uniuntur. — *S. Lig. n. 530. — Billuart, etc.*

611. — QUÆR. 6^o *Quandonam evadat materia gravis in furtis minutis?*

Resp. 1^o : Si furta minuta eidem fiant diversis vicibus, materia erit gravis, quando hæc ex dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam. — *S. Lig. n. 530.*

Resp. 2^o : Si furta minuta fiant diversis personis, materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo major, quam summa ad furtum grave communiter requisita. — *S. Lig., ibid.*

QUÆR. 7^o *An retractatio voluntatis impediatur quominus furtula sequentia cum præcedentibus uniantur?*

Resp. 1^o Affirm., si retractatio fuerit efficax, id est, si de facto prius ablata fuerint restituta, quia furtula semel reparata jam hic et nunc amplius non existunt. — *Ita communiter.*

Resp. 2^o : rursus *affirmative*, etiam retractatione nondum ad effectum perducta, si furtum subsequens ex aliquo particulari motivo fiat; tunc enim non videtur efficaciter destruere præcedentem restituendi voluntatem; vel etiam si fur expresse et serio iterum simul proponat prius surrepta restituere; quod tamen vix in praxi admitti potest; quandoquidem qui serio proponit restitutionem, hic et nunc furta non iterat. — *Negatur* tamen, ubi hæc voluntas quodammodo revocari videatur per novum furtum; etenim in hoc casu nihil obstat quominus retineatur summa notabilis, et furta in unum coalescant.

612. — QUÆR. 8^o *An graviter peccet qui post completam materiam gravem leve quid adhuc furatur?*

Resp. : Disputatur. I^a Sententia, quæ videtur probabilior, *negat*, seclusa intentione ad novam summam gravem perveniendi. Ratio est, quia furtulum illud non videtur referendum ad summam gravem jam completam, sed potius ad novam, quam tunc fur inchoat et prosequitur. — *Ita S. Lig., n. 538. — Lessius, c. XII, n. 44. — Salmant., de Restitutione.*

II^a Sententia affirmat, quia in hoc novo furtulo fur renovat intentionem retinendi gravem summam jam subreptam. — *Ita Lacroix, n. 1007, et Lugo, d. XVI, n. 43*, qui tamen *negat* peccatum multiplicari, sed dicit idem peccatum terminari etiam ad furtum posterius simul cum summa antecedente, etc. Juxta *alios* sic distinguendum est: peccat graviter ille, si non habeat verum propositum restituendi summam gravem jam possessam; secus vero, si tale propositum habeat. — *Ita Billuart, diss. XI, art. 4.*

613. — QUÆR. 9^o *An graviter peccet qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eundem inchoatam?*

Resp. 1^o Neg., si nescivit furtula ab aliis fuisse commissa, quia non est conscius damni gravis domino illati. — *Ita omnes.*

Resp. 2^o Neg., saltem *probabilius*, etiamsi damnum fere grave ab aliis patratum noverit, secluso tamen casu conspiracy. Ratio est, quia iste parum quid tollens neque est per se causa gravis nocumenti, neque in causa est, quod alii alia acceperint; ergo nullo modo illi imputari debet grave damnum quod dominus patitur. — *Nec dicas*, quod talis fur tam graviter peccet, quam homicida mortem inferens ictu levi homini ab aliis jam in-

numeris levibus vulneribus percusso; nam postremo huic vulnere mors debetur, quæ alias secuta non fuisset. Aliter autem se res habet in casu furti; neque enim ob ultimum furtulum notabilis aliqua calamitas seu damnificatio accedit. — *Lugo, d. XVI, n. 53 et seq.* — *Lessius, lib. II, cap. n. 52, et alii communiter, contra Bonacina, et alios.*

614. — *Quær. 10º An, si plures sine communi consilio, sed exemplo, levia furta committant, ita ut damnum totale sit grave, singuli peccent graviter?*

Resp. Neg. probabilius ratione damni illati, etsi peccare possint graviter contra Caritatem, ratione scandali quod suo exemplo præbent. Ratio est, quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum. — *Ita S. Lig., n. 537, et alii communius contra plures.*

QUÆR. 11º Quandonam ex parte furis ablatio rei levis fiat peccatum grave?

Resp. : Fit triplici modo, scilicet : 1º per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem; — 2º per *multiplicationem*, si furta minuta ad summam gravem perveniant; — 3º per *conspirationem*, ubi plures conspirant inter se, et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt.

Resolves.

615. — 1º Si fur, intendens pervenire per furtula ad summam gravem, renovet intentionem hanc quoties furatur, toties graviter peccat. Si tamen ab initio intendat surripere aliquam summam determinatam per minuta furta, v. gr., ne detegatur, *probabilius* unicum admittit peccatum, quia unicus est actus moralis : omnes siquidem actus particulares ad quid unum efficiendum determinate tendunt. — *Recole dicta in tract. de Pecc., n. 163.*

2º Qui a domino aufert exiguam rem ipsi valde caram, v. gr., florem rarum ac singularem, primos fructus ex arbore ad aliquem præcipuum virum honorandum destinatos, prævidetque simul, dominum graviter ex tali amissione affligendum; graviter peccat contra Caritatem; contra justitiam vero leviter, nisi forte grave damnum inde secuturum videatur.

3º Graviter peccant mercatores falsis ponderibus utentes, quamvis singulis vicibus in parva materia defraudent; quia ad materiam gravem intendunt pervenire, aut certe norunt se ad eam perventuros esse.

4º Sartores et ipsorum famuli lethaliter peccant contra justitiam, ubi, retinendo sibi aut vendendo panni fragmenta alioqui dominis adhuc utilia, quæ supersunt, ad materiam gravem pervenerint. Excipe, nisi alicubi vigeat consuetudo ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant: aut nisi constet dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui, vel de illis parum curare. — *S. Ligor., passim.* — *Vide Casus, n. 553 et seq.*

ARTICULUS II

DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS

Causa duplex assignatur : 1º necessitas; 2º occulta compensatio.

§ I. De necessitate a furto excusante.

Necessitas alia est extrema, alia gravis, et alia communis. *Extrema* dicitur, in qua vita ipsa periclitatur, aut gravissimum malum imminet; *gravis* vero, in qua vita valde molesta ducitur; *communis* autem in qua pauperes mendicantes communiter versantur.

Principia.

616. — I. Homo potest in extrema necessitate uti bonis alienis, quantum satis est ad se a tali necessitate eximendum. Ratio est, quia divisio bonorum, quomocumque evenit, non potest derogare juri naturali, quod cuique competit, ut sibi provideat, dum extrema necessitate laborat. In tali itaque casu omnia fiunt communia; adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum, accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contingebat. Ergo furtum non committit. — *S. Thomas, 2. 2., q. 66, art. 7. — S. Lig. n. 520.*

II. Ut quis aliena surripere possit, non sufficit gravis, nec *a fortiori* communis necessitas; in his enim adjunctis domini sunt rationabiliter in-viti, et secus facilis direptionibus aditus pateret.

Resolves.

617. — 1° Pauperi in extrema necessitate posito plus auferre non licet, quam sibi est necessarium. Unde si sufficiat solus usus rei, v. gr., equi, cessante necessitate, obligatio restituendi manet. — *S. Lig., Hom. apost., n. 15.*

2° Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili, undeolvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restitutionis; quia necessitas non exigit ut accedat rei proprietas, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest. — *Hom. apost., n. 19.*

3° Qui vero in extrema egestate rem alienam consumpsit, ad nihil post usum rei tenetur, si nullam probabilem spem habuit fore ut aliquando restituere posset, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem. — *Hom. apost., ibid.*

4° Quæ de extrema necessitate dicuntur, possunt etiam dici de necessitate quasi extrema seu gravissima. Talis autem necessitas tunc adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam aut subeundi pœnam triremium vel gravissimum aut perpetuum morbum. In his quippe casibus necessitas extrema jam est moraliter præsens. — *Hom. apost., n. 15.*

5° Dives res suas occultans, vel alia utens industria, ne pauperi succurrat, cessante pauperis necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia peccavit tantum contra Caritatem, et, quamvis contra justitiam peccaret, ut sentiunt quidam cum *Laymann*, necessitas etiam extrema tandiu solum confert pauperi jus ad usum rei alienæ, quamdiu ipsa necessitas urget. — *Hom. apost., n. 20.*

Quæsitæ.

618. — QUÆR. 1^o *An possit quis rem alterius surripere non tantum ad subveniendum necessitati propriæ, sed etiam aliënæ?*

Resp. Affirm., cum S. Thom., 2. 2., q. 66, art. 7, et aliis communiter. Ratio est, quia tunc gerit quodammodo vices indigentis, et ostendit se diligere proximum sicut seipsum.

619. — QUÆR. 2^o *An ille qui est occidendus a latronibus, vel cui imminet perpetua aut gravissima captivitas, aut aliud simile infortunium, nisi magnam tradat pecuniæ summam, possit eam surripere, si nequeat secus se a tanta necessitate liberare?*

*Resp. 1^o : P. Concina negat id licere, et rationem affert, quia privilegium istud aliena surripiendi in extrema aut quasi extrema necessitate, extendendum minime videtur ad casus extraordinarios et ex mera hominum malitia proficiscentes, quibus reparandis maxima pecuniæ quantitate opus est... Omnia in extrema necessitate, inquit, esse communia planum est; sed de necessitate, quæ ex naturalibus causis consurgit, intelligendum existimarem; secus de extrema necessitate quam hominum pravitas inducit, et quæ insolita et extraordinaria remedia deposcit. Jam vero doctrina hæc, quatenus distinguit inter causas extremæ necessitatis naturales et humanas, asseritque priores, non autem alias, sufficere ut surripiens excusetur a furto, nullo solido nititur fundamento neque rationis, neque auctoritatis, et communi cæterorum theologorum sensui repugnat. Idecirco recte addidit P. Concina: *Hæc nemine præeunte dixi: libenter meliora audirem.* Neque timendum est, ne, ea rejecta, omnia, ut ipse ait, *sus deque pervertantur*: nam ejusmodi necessitates non sunt adeo frequentes ut facilis sit in iis abusus, qualis in cæteris casibus communiter evenire potest.*

Resp. 2^o : His igitur omissis, restat solvenda generalis quæstio: utrum in extrema aut quasi extrema necessitate, quacumque ex causa oriatur, surripi possit res magni valoris, vel magna pecuniæ summa ab illo qui ea indiget?

Duæ sunt DD. sententiæ.

I^a Sententia negat. Ratio est, quia dives in hoc casu non tenetur ad dandum cum tanto sui dispendio, ut diximus supra, n. 228; ergo indigens jus non habet ad surripiendum. — *Lacroix, n. 953.*

II^a Sententia communior et probabilior affirmat, dummodo dives per talem ablationem non constituatur in æquali necessitate, et pauper id tantum accipiat, quo absolute indiget. Ratio est, quia, fatentibus omnibus, extrema necessitas causa est, cur in hoc casu bona fiant indigenti cum divite communia, ergo tam late patet bonorum communio ac ipsa necessitas, potestque indigens tantum sibi assumere, quantum ad hanc sublevandam necessarium est. Neque dicatur, non posse pauperem sibi providere per medium insolitum et extraordinarium; medium enim hujusmodi insolitum est forte et extraordinarium relative ad communem, non autem ad præsentem necessitatem, ut supponimus. Ad argumentum vero sententiæ adversæ respondetur, divitem quidem non teneri ad dandum, quia ex sola Caritate obligatur, quæ non urget cum tanto incommodo, sed teneri ex justitia ad non impediendum pauperem quominus jure proprio occupet bona sibi in tantis angustiis necessaria. — *S. Lig., n. 520. — Lugo, et alii.*

§ II. *De occulta compensatione.*

620. — Duplex distinguitur compensatio, *legalis*, et *extra-legalis*. Prior locum habet, quando duo sibi invicem debitores, singuli in solutum assumunt rem alteri debitam : sic, v. gr., si tibi debeam 100 fr. pro panno, et tu 100 pro vino mihi debeas, utrumque debitum compensatione extinguitur. Hæc compensatio manifeste licita est, et ipsa lege confirmatur (*C. C.*, 1289 *et seq.*). Posterior, quæ *compensatio occulta* dicitur, est rei propriæ recuperatio per alienæ occupationem. De hac sola nobis est agendum.

Principia.

621. — I. Occulta compensatio aliquando justa et licita esse potest, si requisitis conditionibus non careat.

Probatur, quia, his positis, nulla fit injuria debitori, neque ulla sequitur perturbatio ordinis juris, neque Reipublicæ. Ac 1^o nulla injuria fit debitori; nam ex hypothesis in tali compensatione accipis tantum id, quod certum est, seu quod ex stricta justitia tibi debetur. — 2^o Nulla est ordinis juris perturbatio, siquidem supponitur, vel judicem adiri non posse saltem sine notabili incommodo, vel eum jus suum parti læsæ restituere non valere. Non enim prætermitti id dicitur, quod incassum quæreretur. — 3^o Nulla est perturbatio seu damnum Reipublicæ; satis enim ei consulitur per cautiones in conditionibus apponendis. — *Ita S. Lig.*, n. 521; — *Lacroix*, n. 959; — et etiam *Antoine*, c. v, q. 9, ubi dicit : *Est communis sententia*, — et *Collet*, de *Justitia*, p. III, c. IV, ubi dicit : *Ita pene omnes theologi*.

622. — II. Conditiones autem requisitæ sunt sequentes : 1^o *Ut debitum sit certum*, saltem moraliter. In dubio enim valet principium : *Melior est conditio possidentis*. Ergo in dubio compensatio illicita et injusta est. Si tamen dubium non versetur circa ipsius debiti existentiam, sed potius circa modum quo liceat creditori se compensare, v. gr., utrum possit compensare famam, alioqui certo læsam, cum pecunia, aut infamiam cum infamia data, etc.; neque injusta, neque illicita erit compensatio quæ fiet cum credito hac ratione tantum probabili.

2^o *Ut debitum non possit aliter recuperari*, saltem sine gravi incommodo. Nam si creditor possit per meram petitionem vel recursum ad judicem obtinere quod sibi debetur, jam se compensando injuriam publicæ potestati facit, adeoque contra juris ordinem delinquit.

3^o *Ut sumatur res in eadem specie*, si fieri possit. Secus enim res debitori sine ejus consensu, et proinde injuste, permutatur.

4^o *Ut damnum debitoris præcaveatur*, scilicet procurando ut debitor periculo bis solvendi non exponatur, si forte restitutus sit. Hinc si casus ille aliquatenus prævideatur, aliquo modo monendus est, v. gr., per fictam renuntiationem, seu condonationem, etc. Si autem, facta compensatione, restituat, ipsi iterum erit restituendum. Cæterum casus ille rarus erit; siquidem compensatio licita non est, nisi ubi nulla adest spes probabilis debiti recuperandi. — *S. Lig.* n. 521.

Quæsitæ.

623. — QUÆR. 1^o *An famuli judicantes salarium esse infra operam a se præstitam, uti possint occulta compensatione?*

Resp. Neg. Saltem generatim loquendo, cum sententia communi. Constat: 1^o ex proposit. 37^a ab Innocentio XI damnata: *Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiant.* 2^o *Ex ratione.* Nam agerent contra pactum, cum in pretium minus consenserint, et aliunde nihil ipsis debeatur, nisi pretium de quo conventum est. Præterea, si id liceret, via innumeris furtis panderetur: famuli enim sibi facile persuaderent stipendia esse justo minora; sic nulla securitas dominis superesset. — Idem etiam dicendum, ex paritate rationis, de omnibus operariis, artificibus et mercatoribus, qui ad compensationem recurrere vellent prætextu vilioris pretii quo operas suas locaverint, vel merces suas vendiderint.

Dixi *Saltem generatim loquendo*; quia excipiunt non pauci, 1^o Si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inæquale. — 2^o Si necessitate compulsus in illud consenserit, (modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio, jam juste, non invenisset, vel hunc rogantem ex miseriordia non exceperit. — 3^o Si invitus operibus indebitis gravetur. — *S. Lig. n. 522.*

QUÆR. 2^o *An saltem famulus, augens operas debitas, se compensare possit?*

Resp. 1^o Neg., si ita agat electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad sibi conciliandam domini gratiam.

Resp. 2^o Affirm., si operas augeat ex voluntate domini sive expressa, sive tacita, quia tunc operarius dignus mercede sua de jure censetur. —

S. Lig. n. 523. — Quænam autem compensatio justa sit, judicio etiam famuli relinqui quandoque potest, si timoratus sit, ac prudens, et proprii amoris periculum absit; quod tamen admodum raro eveniet. — *S. Lig. n. 524.*

624. — QUÆR. 3^o *An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a judice ad solvendum debitum quod certo non contraxit, vel cui certo jam satisfecit?*

Resp. Affirm., quia sententia judicis est injusta, utpote innixa falsa præsumptione facti, ac proinde in conscientia obligare nequit. Licet enim standum semper sit sententiæ judicis in *materia juris*, nisi de lege seu sententia evidenter injusta agatur; secus tamen, secluso scandalo, si judex certo erret circa factum, quod ex errore verum putat; aliunde vero judex non habet facultatem dominium transferendi; neque qui sententiam favorem obtinuit, etiam detecto errore, rem sibi adjudicatam servare potest. — *Ita communiter. — Moullet, t. I, p. 491.*

625. — QUÆR. 4^o *An graviter, et contra justitiam peccet qui se compensat, quin prius ad judicem recurrerit?*

Resp. 1^o: Non peccat *per se contra justitiam*, modo tantum accipiat, quantum sibi debetur; nec proinde ad restitutionem tenetur. Ratio patet, quia facta hac compensatione, restituitur æqualitas inter ipsum et debitorem. Dixi, *per se*; quia quandoque sequi posset detrimentum pro debitore ex privatione cujuspiam rei determinatæ, v. gr., equi, rei pretiosæ, etc. — *Lugo, d. XVI, n. 91 et alii.*

Resp. 2° Nec peccat *graviter*, generatim loquendo; quia ordinarie non sequitur ex hac ordinis inversione grave scandalum, nec gravis Reipublicæ perturbatio. — *Lugo, ibid.*

Resp. 3°: Nullo modo peccat, si difficilis sit recursus ad judicem, si scandali sit periculum, aut sumptus extraordinarii, etc., quia tunc recursus est moraliter impossibilis. — *V. Casus, n. 573 et seq.*

PARS TERTIA

DE RESTITUTIONE

SECTIO I

DE RESTITUTIONE IN GENERE

Agendum 1° de obligatione restitutionis; — 2° de radicibus restitutionis; — 3° de circumstantiis restitutionis; — 4° de causis a restitutione excusantibus.

CAPUT I

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS

Restitutio, quoad nomen, idem sonat ac positio rei in pristinum statum. Quoad rem, est juris alieni læsi reparatio.

Principia.

626. — I. Restitutio *in re*, vel saltem *in voto*, absolute ad salutem *per se* necessaria est, si de materia gravi agatur.

1° Constat ex principiis supra statutis, *n. 532*. Nam justitia commutativa necessario exigit ut violatio juris alieni cesset; atqui cessare nequit nisi per restitutionem. Ergo...

2° Constat etiam ex Scriptura sacra. Sic Ezech. xxxiii, 14: *Si autem dixeris impio: Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam et PIGNUS RESTITUERIT ille impius, RAPINAMQUE REDDIDERIT... , vita vivet et non morietur.* — Et Epist. S. Jac., v, 4: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, que fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabuoth introivit.*

3° Constat ex unanimi consensu SS. Patrum. Sic S. Aug., Ep. clm, ad Macedonium: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.* — Hæc verba S. Doctoris inserta sunt Juri Canonico (*Decret. Gratiani, cap. Si res aliena 1, causa 14, q. 6*) et exinde regula 4^a Juris in 6°: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Dixi in re vel in voto: restitutio enim non est necessaria necessitate mediæ ad salutem *in re*; quare, si impossibilis est *in re*, saluti non obstat; sed nemo a restitutione *in voto* excusari potest; et quisquis jus alienum læsit, semper firmum habere debet propositum restituendi, quando poterit; secus enim affectum ad rem malam retineret; sicque in peccato habi-

tuali versaretur. — *Ita omnes.* — Hinc *S. August.* in textu modo citato dicit: *cum restitui potest.*

627. — II. Præceptum restitutionis est primario *negativum*, secundario autem *affirmativum*. Ratio 1^{mi} est, quia restitutionis præceptum per se et immediate obligat ad non retinendam rem alienam. Hæc autem obligatio est *negativa*, ut patet, ac proinde urget *semper* et *pro semper*, id est, urget quolibet momento, usquedum restitutio facta fuerit, etiamsi causæ aliquæ nonnunquam excusent ab ea adimplenda. — Ratio 2^{di} est, quia obligatio rem alienam non retinendi non potest impleri, quin inde fiat actio positiva, qua domino id reddatur quod suum est. Hæc igitur actio, tanquam medium duntaxat ad finem principalem obtinendum, adeoque secundario ac veluti per accidens, præcipitur. — *Lugo, d. 8, n. 18.*

III. Non datur obligatio restitutionis, nisi ob violationem juris *stricti*, seu justitiæ *commutativæ*; secus vero ob violationem juris honestatis simpliciter. Ratio est, quia restitutio efficit ut res proximo debita exæquet jus illius injuste violatum. Jam vero hoc fieri nequit, cum de violatione juris honestatis sermo est. Si quis enim jus lædat Superioris sui vel proximi, illi denegando obedientiam, huic Caritatis officia, violatio illa stricte reparari nequit, quia novus actus obedientiæ vel Caritatis non repararet jus violatum, sed satisfaceret tantum præcepto, quod semper urget, obediendi scilicet Superiori, et proximum in angustiis sublevandi.

Quæsitæ.

628. — QUÆR. 1^o *An impotens restituere ex bonis ejusdem ordinis teneatur restituere ex bonis ordinis diversi?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis; ergo nec dari potest compensatio. Et sane decerni nunquam posset, quantum *arithmetice* restitui deberet, siquidem inter bona diversi ordinis non datur mensura communis. — *S. Lig. n. 627.* — *Lacroix, etc. et alii communius.*

Affirmant tamen quidam alii, quia (inquiunt) qui non potest totum damnum resarcire, tenetur saltem compensare partem quam potest. — *S. Thom. 2. 2., q. 62, art. 2, ad 1 et ad 2.* — Hanc sententiam dicit probabilem *S. Lig.*, sed primam ut probabiliozem habet.

Attamen per justitiam vindicativam potest a iudice vel a Superiore imponi, ut quis, pro injuria circa unum bonorum genus, aliquid præstet in bonis alterius ordinis; *probabilius* tamen ratione pœnæ tantum, non vero ratione justitiæ. Læsus insuper jus habet apud iudicem denuntiandi illum a quo injuriam accepit, adeoque ab isto pecuniam accipiendi, ut denuntiationem omittat; sic, v. gr., mulier ab aliquo violenter oppressa, violatorem ad iudicem compellere potest, vel pecuniam a nebulone exigere, ut juri suo renuntiet.

629. — QUÆR. 2^o *An inducatur obligatio restitutionis ex actione affective tantum, non vero effective juris alieni læsiva?*

Resp. Neg. prorsus, quia nulla injuria realis proximo infertur, quamvis agens graviter peccet actu interno contra justitiam. Hinc ab onere restitutionis eximendus est iudex malevolus proferens sententiam quam putat in-

justam, si reipsa justa est; vel ille qui rapit rem quam existimat alienam, dum sua est. — *S. Lig. n. 556.* — *Recole dicta supra n. 602, 603.*

QUÆR. 3^o *An multiplicentur peccata dilatione restitutionis?*

Resp. Neg. probabilius, si habitualiter perseveret mala voluntas non restituendi. — *S. Lig. l. V. n. 40.* — *Recole dicta in tract. de Peccatis, n. 166.*

630. — QUÆR. 4^o *An furtula diversis personis facta ad restitutionem SUB GRAVI obligent, si ad gravem materiam pervenerint, et utrum DOMINIS IPSIS etiam SUB GRAVI restituendum sit?*

Resp. ad 1^{um} Affirm., quia præceptum non furandi non solum prohibet ne damnum alteri inferatur, sed etiam ne quis injuste ditescat re aliena. — *Ita communiter.* — *Recole dicta supra n. 609.*

Resp. ad 2^{um} Neg. probabilius. Ratio est, quia ex hypothesi nullus dominus gravem injuriam passus est. — Potest ergo, etiamsi domini sint noti, sine gravi cujusvis læsione restitutio fieri pauperibus, vel locis piis; imo si causa rationabilis accedat, v. gr., necessitas urgens pauperum, etc., veniale quoque aberit. — *S. Ligor. n. 534, 595.* — Si vero domini sint ignoti, sub gravi pauperibus seu locis piis restituendum est. — *S. Lig. ibid.*

QUÆR. 5^o *An SUB GRAVI restituere teneatur, qui in furtis minutis non graviter peccavit, sed ex inadvertentia ad materiam gravem pervenit?*

Resp. Affirm., quia, quamvis graviter non peccaverit furando, est tamen injustus possessor materiæ gravis, et proinde graviter peccabit rem surreptam retinendo. Hoc valet, etiamsi furta diversis personis facta fuerint, secus enim ille injuste re aliena absque gravi peccato ditescere posset, quod ex dictis non licet.

631. — QUÆR. 6^o *An fur, qui gravem pecuniæ summam surripuit, teneatur eam integram sub gravi restituere?*

Resp. Neg. Tenetur enim sub gravi tantum id restituere, quod materiam gravem complet, quia, hoc restituto, materia retenta jam gravis non est. Hinc potest quis obligari sub gravi ad materiam levem restituendam; sed tunc obligatio non ex re levi, sed ex quantitate gravi oritur. — *S. Lig., n. 553.*

QUÆR. 7^o *Utrum anima defuncti, ut aiunt, detineatur in purgatorio, donec ab illius hæredibus facta fuerit restitutio?*

Resp. Neg. Hic error vulgi exortus est ex quibusdam fictis aut male intellectis revelationibus, quibus perhibentur animæ in purgatorio degentes apparuisse et pro restitutione exorasse, ut a flammis liberarentur. Ratio patet. Nemo enim in altera vita punitur, nisi pro culpa quam personaliter commisit in vita præsentis; nemo vero plectitur ob culpam hæredum. Attamen si hæredes solliciti fuerint restitutionem peragere, ut satisfactionem aliquam pro anima debitoris exhibeant, pie confidendum est, Deum hanc pro ipsa, ex parte saltem, benigne accepturum esse.

Resolves.

632. — 1^o Qui versatur in impotentia rem alienam aut ejus valorem restituendi, debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit, et interim comparare, si quid possit, ut obligationi suæ quamprimum satisfaciatur.

2° Si quis totum nequeat restituere, et de re divisibili agatur, ad partem, quam possit, tenetur. Persona enim læsa jus habet ad singulas partes, sicuti ad totum.

3° Qui leve damnum proximo intulit, tenetur ad restitutionem erga dominum læsum *sub levi*, et cum incommodo rei proportionato; debet enim reparari injustitia levis sub levi, sicut gravis sub gravi. Facilius tamen adesse tunc potest ratio excusans a restitutione, præsertim ipsi domino facienda. Si autem de re levissima agatur, difficultas quæcumque sufficiet, ut pauperibus restitutio fieri possit. — *S. Lig. n. 534.*

4° Absolutione indignus merito habetur, qui recusat restitutionem promittere; qui hæredibus suis curam restituendi relinquit dum per seipsum id facere potest; qui ære alieno gravatus, in victu, vestitu, famulatu..., ejusmodi expensas subit, ob quas prævidet, se postea debitorum suorum solutioni imparem fore. Idem dicendum de illo qui, bona gaudens fortuna, non vult statum suum paulatim minuere, ut creditoribus satisfaciat. Cum eo autem, qui, bis vel ter se restitutum pollicitus, promissis minime stetit, prudentis Confessarii erit judicare an restitutio ante absolutionem exigenda sit, necne.

5° Nec absolvendi sunt qui futes prætextus afferunt ad restitutionem differendam, v. gr., qui dicitare solent: *Non auferam bona mea in tumultum...*; *restituent hæredes...*, *statuam in testamento faciendam esse restitutionem...*; vel: *Jam præcepi filiis meis ut quamprimum ipsi restituant...* Male enim dispositi reputandi sunt, qui facere nolunt hic et nunc, quidquid moraliter possunt ad proximo satisfaciendum: 1° quia indesinenter urget restitutionis præceptum, et creditor injuriam et sæpe etiam damnum ex dilatione patitur; 2° quia male providetur restitutioni faciendæ, hanc committendo hæredibus, et isti enim similiter ad vitæ suæ finem protrahere eandem possunt; 3° quia forte deerit tempus testamentum condendi, vel, si condatur, forte etiam variis de causis aut prætextibus executioni illud non mandari continget.

6° Caute agere debet Confessarius cum moribundis restitutioni obnoxiiis. Sic autem procedere poterit: 1° Si pœnitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut prævideatur non profuturam esse monitionem, hac ommissa, erit absolvendus. 2° Si vero fructus monitionis speretur, aut si pœnitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. 3° Si obligatio occulta sit, nec statim fieri queat, erit inducendus æger ad summam pecuniæ sibi Confessario, seu potius, si fieri possit, viro fideli committendam, ut postea creditori secreta committatur, vel ad eam summam in testamento ipsi relinquendam, ommissa restitutionis mentione. 4° Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, Confessarius efficiat ut per hæredes certo facienda curetur, sive per schedulam creditori tradendam, etc. — *V. Casus, n. 580 et seq.*

CAPUT II

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS

633. — Radices restitutionis dicuntur causæ ex quibus oritur obligatio restituendi. Ex triplici autem capite desumuntur, scilicet : 1° ex acceptione rei alienæ; — 2° ex injusta damnificatione; — 3° ex injusta cooperatione : quæ, quoad rem quidem, ad alterutrum e præcedentibus facile revocari posset, verum ad majorem dicendorum distinctionem seorsum opportunius tractabitur.

ARTICULUS I

DE ACCEPTIONE REI ALIENÆ

Principium generale.

634. — Solus rei dominus *per se* habet jus eam possidendi, nec rei dominium amittit, ad cujuscumque manus illa demum deveniat. — Dicitur, *per se*; quia alius possessor quilibet, etiam bonæ fidei non nisi *per accidens* et ex errore invincibili jus habet rem possidendi. — *Ita omnia Jurâ statuunt.* — Ex hoc autem generali principio sponte sua fluunt quatuor hæc notissima axiomata, quæ sæpe sæpius in decursu hujus tractationis recurrent, scilicet :

1° *Res clamat domino*, id est domino competit jus strictum rem suam recuperandi, ubicumque eam inveniat.

2° *Res fructificat domino*; quia usus et fruitio necessario in idea domini perfecti includitur.

3° *Res naturaliter perit domino*; quia deficiente domini objecto, evanescit et ipsum dominium. Si tamen existat adhuc *in æquivalenti*, istud *æquivalens* domino competit.

4° *Nemo ex re alterius locupletari injuste debet* : Vel aliis verbis : *Mensura restitutionis est quantitas rei alienæ sine causa detentæ*. Ratio patet; soli enim domino rei competit utilitatem ex eadem percipere.

Verum hæc principia, præterquam quod aliquando juxta diversas locorum leges diversam sortiuntur applicationem, insuper modificantur pro diversa possessoris conditione. Quippe potest quis rem alienam possidere vel cum bona, vel cum mala, vel cum dubia fide. Dicendum itaque : 1° de possessore bonæ fidei; 2° de possessore malæ fidei; 3° de possessore dubiæ fidei.

§ I. *De possessore bonæ fidei.*

Possessor *bonæ fidei* ille est, qui *invincibiliter* ignorat rem a se possessam esse alienam, ac prudenter judicat esse suam, v. gr., quia illam acquisivit titulo domini *de se translato*, puta, hæreditatis, legati, donationis aut emptionis. Supponitur autem illum rem possessam nondum præscripsisse; secus enim jam non esset detentor *rei alienæ*, sed suæ.

Principia.

635. — I. Possessor bonæ fidei, statim ac novit rem a se possessam esse alienam, tenetur eam adhuc exstantem in toto vel in parte, vel in emolumento, domino restituere; secus enim *bonum alienum*, invito rationabiliter domino, retinet; et proinde illius jus strictum violat. — *Ita omnes.*

II. Possessor bonæ fidei ad nihil prorsus tenetur, si durante bona fide rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit, modo ditior inde non evaserit. Etenim non tenetur ratione rei acceptæ, quæ amplius non exstat; neque ratione injustæ acceptionis, aut consumptionis, aut destructionis, quia rem bona fide possidebat. Hoc etiam valet, si de industria rem destruxerit, aut ex ejus negligentia illa perierit. Ratio est, quia nulli injuriam inferebat, rem, quam credebat suam, destruendo, aut negligendo, Jure etiam positivo confirmatur. Sic enim, l. 31, § 3, ff. de hæred. petit. : *Quia quasi rem suam neglexit, nulli querelæ subjectus est.*

Dixi, modo ditior inde non evaserit; quia id, in quo ditior factus esset, loco rei succederet: est autem contra jus naturale, ut quis cum alterius injuria ditiescat, juxta regulam 48 Juris in 6°: *Locupletari non potest aliquis cum alterius injuria seu jactura.*

Quæsitæ.

636. — QUÆR. 1° *An possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus quos durante bona fide percepit?*

Resp. : Distinguendi sunt fructus. Nam : 1° Alii sunt *naturales*, qui ex ipsa rei substantia, sine ulla aut modica hominis opera proveniunt, ut sunt gramina, etc. — 2° Alii sunt *industriales*, qui potissimum industriæ possessoris tribuuntur. — 3° Alii *mixti*, qui sunt partim naturales et partim industriales, ut segetes, etc. — 4° Alii demum *civiles*, qui non sunt fructus proprie dicti, sed ut tales a Jure habentur, ut sunt redditus annui, pretium locationis domus, etc.

Dico 1°: Possessor bonæ fidei *nulla* ratione tenetur restituere fructus mere *industriales*, aut *mixtos*, qua ex parte industriales sunt; quia isti non sunt proprie fructus rei, sed operis, adeoque ad operantem seu ad possessorem omnino pertinent. — *Ita omnes.*

Dico 2°: *Ex jure naturali* possessor bonæ fidei restituere debet omnes alios fructus, sive *naturales*, sive *civiles*, expensis tamen et laboribus deductis. Ratio est, quia ex jure naturali fructus ad eum pertinent ad quem causa ipsa *fructifera* pertinet, cum ex re ipsa proveniant, juxta axioma : *Res fructificat domino.* — *S. Lig. n. 610.*

Dico 3°: *Ex Jure Romano*, juxta communem interpretationem, restituendi sunt fructus *naturales percepti* et adhuc existentes, licet jus non semper adeo clarum sit. *Controvertitur* autem quoad fructus non amplius exstantes seu consumptos. Quidam censent nihil esse restituendum, licet possessor ex iis ditior evaserit; quia restitutionis obligatio probari non potest, neque ex *Jure* quod silet, vel non sat clarum est, neque ex praxi tribunalium, quæ possessori favet. — Excipiunt tamen, si quis possederit alienam hæreditatem, quæ fuerit evicta; tunc enim ex jure evidenter tene-

tur reddere id omne ex quo ditior factus est. — *Vide Carrière, n. 1052.* — *Communiter* vero theologi, saltem ex jure naturali, obligant ad restituendum id omne ex quo possessor ditior factus est. — *Ita S. Lig. n. 610.*

Dico 4^o : Ex Jure Gallico omnes fructus, quicumque sint, assignantur possessori bonæ fidei, modo rem ipsam possideat ut proprietarius, et ex titulo qui ex natura sua dominium transferre valeat. — *Cod. civ., 549, 550.* — An vero hæc Juris Gallici dispositio etiam in foro conscientiæ valere possit? *Probabilius* affirmandum est, quia rationabiliter præsumi potest talem esse vim legis, cum sic intellecta multo magis bonum publicum promoveat, et de medio tollat inextricabiles querelas, et difficultates quæ jugiter moverentur circa quantitatem fructuum restituendorum, etc. — *Ita Carrière, 1054.* — *Vernier, n. 564.* — *Gousset, n. 931, etc., contra nonnullos.*

637. — QUÆR. 2^o *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei, si rem alienam alteri donaverit ?*

Resp. : Ad nihil tenetur, si ditior minime factus sit, ut sequitur ex dictis supra in principio II. Secus restituere debet id in quo ditior evasit, ut ex principio I constat.

QUÆR. 3^o *An facta donatione, et errore detecto, teneatur monere donatarium, ut rem domino reddat, vel ipsum dominum, ut rem suam recuperare valeat ?*

Resp. : Tenetur certo ex generali Caritatis principio, si facile id præstare possit. Sed videtur etiam teneri ratione justitiæ, ex generali obligatione quam incurrit injustitiæ etiam mere materialis auctor.

638. — QUÆR. 4^o *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei, si rem a fure emptam alteri vendiderit.*

Resp. 1^o : *In casu evictionis,* id est si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium reddere tenetur. Ratio est, quia venditio rei alienæ, vel est omnino irrita, ut quidam sentiunt, et tunc pretium non est venditoris sed emptoris, vel, prout docent communiter, et Jure Romano statuitur, firmitate saltem caret, et est rescissioni obnoxia; interveniente ergo evictione, contractus resolvendus est, et emptor recursus ipso facto in venditorem acquirit: quippe qui pretium ab emptore accipiendo se implicite obligavit ad damnum reparandum, si forte futura esset evictio. Idem ob eandem rationem dicito in casu spontaneæ restitutionis ab emptore factæ. — *S. Lig. n. 601.* — *Salm. n. 89, etc.* Hoc tamen ultimum negat *Lugo, d. xvii, n. 109,* cum *Lessio, lib. II, cap. xiv, n. 28,* quando spontanea restitutio, venditore non admonito, facta, damnum injustum huic infert, impediendo ne pretium suum recuperare possit. — Idem dicendum est, si res aliena in manus variorum possessorum titulo oneroso transiverit. Si enim ultimus possessor rem domino reddere cogatur, ipse et singuli emptores jus habent venditorem suum persequendi, ut pretium solutum recuperent.

Resp. 2^o Extra casum evictionis, vel spontaneæ restitutionis ex parte emptoris, res difficultate non caret, et acriter *controvertitur.* Sic nobis resolvendum esse videtur:

1^o *Ex Jure Romano* venditor ad nihil tenetur saltem *probabilius,* nisi ex venditione ditior factus fuerit. Ratio est, quia venditio rei alienæ bona fide

facta ex Jure Romano valida est; et quamvis non transferat dominium rei in emptorem, transfert tamen dominium pretii in venditorem. Hic igitur pretium ejusmodi tanquam suum retinere potest; neque quidquam, ratione injuriæ illatæ, debet, sive domino, cujus rem non habet, et ex cujus re non est factus ditior, sive emptori, qui nullum damnum ex tali emptione passus est. Ex quo ulterius fit, ut, etiamsi deinde detegat rem venditam alienam esse, non tamen teneatur aut monere dominum, ut rem suam recuperare possit, aut indicare emptori rem esse alienam. — *Ita communius.* — *Lugo, diss. xvii, n. 108 et 110.* — *Salm., c. I, n. 88.* — *Vogler, etc., contra Billuart, a. 10, et alios qui venditorem obligant ad pretium domino reddendum; quia (aiunt) venditio rei alienæ est prorsus invalida, ideoque venditor pretium, quod suum non est, quodque repræsentat rem non exstantem, vel quæ recuperari nequit, domino restituere debet.*

2° *Ex Jure Gallico* crescit difficultas, quia ex *art. 1599 C. C.* irrita declaratur venditio rei alienæ. Si igitur (aiunt) contractus plane irritus fuerit, emptor pretii dominium in venditorem non transtulit, nec proinde venditor jus ullum habet ad pretium illud servandum. Ergo pretium videtur refundendum in dominum, si ille rem suam ab emptore repetere nequeat. — *Ita Carrière, n. 1047, cum aliis.*

Attamen merito contradicunt alii, quorum sententia *sat probabilis* videri debet. Neque enim plane constat, etiam ex Jure Gallico, venditionem rei alienæ nullos omnino effectus habere. Ex citato namque articulo hæc mere deduci possunt: 1° dominum rei jus suum in eam servare; 2° emptorem subjici evictioni; 3° venditorem in casu evictionis aut restitutionis ex parte emptoris obligari ad pretium emptori restituendum. Nihil præter hæc aliud ex praxi tribunalium deduci potest. Cæterum quid causæ habetur inter venditorem et dominum rei? Qualem recursum hic in illum sibi tribuere potest? Insuper durissimum foret, eum, qui nec rem alienam amplius habet, nec ex ea ditior factus est, ad tantum incommodum sponte subeundum obligari. Domino itaque ad jus suum aut violati juris reparationem consequendum in actualem quidem rei possessorem, aut in furem recursus superest, in alios autem nullo modo. — *Ita Gousset, in art. 1599, et alii.*

639. — QUÆR. 5° *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei, si rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit?*

Resp. 1° In casu evictionis, tenetur emptori damnum rependere, ut in casu præcedenti.

*Resp. 2° Extra casum evictionis, quando scilicet res a domino recuperari nequit, sive quia ultimus possessor eam consumpsit, sive quia iste amplius non comparet, venditor juxta communem sententiam totum pretium ab emptore receptum in dominum refundere debet. Ratio est, quia ex toto illo pretio vere ditior factus est, dum e contrario dominus re sua injuste spoliatus totum rei damnum subire cogitur. Jam vero minime æquum est, ut unus cum alterius jactura ex rebus ejus locupletetur. Unde hic indemnis servandus est ex lucro quod venditor percepit. — *Vogler, n. 58 et alii innumeri.**

Quidam tamen venditorem ab omni obligatione liberant, quia in eum nullum recursum habere potest dominus, haud secus ac in casu præcedenti. — *Ita Gousset, n. 930.* — Attamen a communi sententia non est recedendum.

640. — QUÆR. 6^o *Si quis bona fide rem alienam mediocri pretio emerit et majori eam vendiderit, an lucrum perceptum domino reddere teneatur?*

Resp. 1^o *Neg.*, si lucrum istud industriæ extraordinariæ tribuendam sit, v. gr., si alium locum notabili labore adierit, ut opportunam occasionem rem carius vendendi inveniret, etc. Idem dicendum, si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentoris.

Affirm., e contrario, si res ex natura sua, aut ex communi hominum æstimatione, non vero ex detentoris industria creverit, quia in eo casu domino crescit.

Resp. 2^o: In aliis vero casibus, quando scilicet, re manente eadem quoad valorem, eam tamen absque peculiari diligentia pluris vendidisti, quam emisti, *controvertitur*. Alii affirmant, quia ex eo lucro possessor ditior factus est. — *Billuart*, etc.

Negant vero alii *communius* et *probabilius*; quia totum illud lucrum fructus industriæ possessoris esse videtur. — *Ita Lugo*, *diss.* XVII, n. 20, et alii *sat communiter*, ut fatetur *Billuart*.

641. — QUÆR. 7^o *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem alienam vendiderit, et illa in manibus emptoris perierit?*

Resp. 1^o: Si rem habuit *ex titulo oneroso*, *probabilius* ad nihil tenetur, ut sequitur ex dictis in Quæsito quarto. Enim: 1^o non tenetur *ratione rei*, cum illam jam non habeat; 2^o neque *ratione damni*, cum non sit causa ejus interitus, nec aliunde ullo modo formaliter cooperatus ablationi rei fuerit.

Resp. 2^o: Si rem habuit *ex titulo gratuito*, haud ita facilis evadit solutio, quia ditior evasit. In varias sententias quoad istam quæstionem abeunt theologi, et tibi undique adstant ambages. Triplex sententia præcipue distinguitur.

I^a Sententia, quæ probabilior videtur, docet pretium emptori restituendum esse. Etenim illud servare nequit venditor, cum ex illo ditior evaserit. Aliunde istud domino reddere non tenetur, quia res domino periit. Insuper si primus possessor malæ fuerit fidei, ut sæpius accidit, ille de rei valore erga dominum tenetur. Aliunde vero cum venditio invalida fuerit, emptor jus habet ad suam pecuniam recuperandam. — *Bouvier*. — *Carrière*, etc.

II^a Sententia sat probabilis tenet pretium domino esse restituendum. Ratio est, quia, cum injuste re sua spoliatus sit, indemnitas fieri debet. Re autem jam non existente, æquum est ut accipiat id quo res repræsentatur. Atqui repræsentatur pretio quod habet venditor. Ergo... Aliunde nullitas venditionis emptori minime nocet; quia ei non magis nocet, quam si contractus validus foret; porro si validus esset, nihil posset repetere. Ergo... Excipiunt plures recte, si res æque periisset apud dominum, v. gr., ex vitio intrinseco, aut ex vetustate; tunc enim revera ipsi periisset.

III^a Sententia dicit venditorem posse pretium sibi retinere, quia nec domino, nec emptori illud restituere debet. Ac: 1^o non *domino*, quia res ipsi periit in omni casu; 2^o non *emptori*, quia pecunia, quam venditor accepit, non præcise rem repræsentat, sed potius obligationem, quam in se suscepit servandi indemnem emptorem in casu evictionis. Sed emptor non fuit evictus; ergo venditor pretium retinere potest ratione rei derelictæ. Hæc sententia paucos adnumerat patronos, nec sat probabilis videtur.

642. — QUÆR. 8^o *Quid agendum, si inter varios possessores bonæ fidei unus malæ fidei adfuerit?*

Resp. : Illa circumstantia nihil prorsus conditionem aliorum possessorum immutat, quemcumque tandem locum in serie possessorum ille occupaverit. Singulis enim incumbit eadem obligatio erga dominum, ac si possessor ille bonæ fidei fuerit, siquidem mala ejus fides in alios nullatenus redundat. Iste autem tractandus erit, prouti mox de possessoribus malæ fidei dicitur.

QUÆR. 9^o *Quid agendum, si possessor bonæ fidei detegat quidem rem a se possessam esse alienam, sed dominus non compareat?*

Resp. : De hoc statuendum est sicut de re inventa. Probabilius igitur possessor rem illam servare sibi potest. — *Recole dicta n. 578.*

643. — QUÆR. 10^o *An possessor bonæ fidei subducere possit expensas necessarias, quas in re conservanda vel augenda subiit?*

Resp. : Deducere potest omnes expensas necessarias, imo et utiles, quæ nempe rem conservant et meliorem efficiunt; secus enim dominus plus, quam suum est, reciperet. Nihil autem repetere potest pro expensis mere voluptuariis; quia æquum non est, ut dominus solvat expensas quæ nullam sibi utilitatem afferunt.

Inter expensas autem non sunt computandi casus fortuiti, nec damna *per accidens* causata. Sic, v. gr., si in colendo agro alieno perierint equi tui, valor equorum deduci nequit, sed tantum æstimatio laboris facti ab equis pro agri cultura.

644. — QUÆR. 11^o *An qui rem furtivam bona fide emit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum?*

Resp. 1^o *Neg.*, si compareat dominus rem suam ab illo repetens; tunc enim debet eam ipsi reddere, etiam cum pretii sui jactura; quia de jure naturali dominus rem suam occupare potest ubicumque eam reperiat. Actio tamen emptori datur in furem.

Excipe *ex Jure Gallico*, si res empta fuerit in foro publico, vel ab eo qui res hujusmodi vendere solet; tunc enim emptor domino rem non tenetur reddere, nisi pretio soluto. Hæc autem juris dispositio, juxta quosdam, valet etiam in foro conscientiæ; quia est utilissima bono publico, tranquillitati possessionum, et valde commercio favet. — *Ita Bouvier, de possessore bonæ fidei. — Carrière, n. 1041. — Gousset, n. 1027.*

Resp. 2^o : Si dominus sit quidem cognitus, sed rei inscius, *probabilius* potest emptor rem furi remittere, ut pecuniam recuperet, quia emptor non tenetur rem domino servare cum proprio damno, imo potest damnum domini permittere, ut proprium caveat. — *Ita S. Lig., n. 369. — Lugo. — Lessius, etc. — Negant tamen alii probabiliter*, quia res clamat domino; ac præterea, tenetur emptor ad damnum non inferendum domino: infert autem rem ejus furi reddendo, siquidem eam ponit in statu deteriori. — *Sic Lacroix. — Laymann. — Carrière, n. 1042, etc.*

Resp. 3^o : Si fur aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura. Recursum autem in venditorem servat. Quod si eum invenire nequeat, damnum ipsi est subeundum. — *V. Casus, n. 599 et seq.*

§ II. De possessore malæ fidei.

Possessor malæ fidei ille est, qui cognoscit rem, quam accipit aut possidet; non esse suam.

Principia.

645. — I. Possessor malæ fidei restituere debet rem ipsam in *individuo*, si existat, vel in *æquivalenti*, si non existat, et insuper id omne in quo factus est ditior, ut de possessore bonæ fidei dictum est.

II. Tenetur præterea ad compensandum omne damnum ex acceptione injusta proximo illatum, etiamsi ditior non fuerit factus. Ratio est, quia per acceptionem *formaliter* injustam ac per se damni efficacem, violavit jus proximi. Requirit autem justitia commutativa ut jus violatum integre reparetur. Ergo...

III. Potest tamen retinere fructus omnes industriales et deducere expensas tum necessarias, tum utiles; imo et mere voluptuarias, ubi intacta rei substantia separari possunt, nisi in penam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuerit. — *S. Lig., Hom. Apost., n. 74, 77.*

Quæsitæ.

646. — QUÆR. 1^o *An teneatur ad restitutionem fur qui surripuit rem secus certo perituram?*

Resp. Affirm., deductis tamen expensis factis cum pretio operæ adhibitæ ad rem a periculo liberandam. Ratio est, quia res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit.

Excipiunt plures *probabiliter*, si fur consumat rem in certo periculo remanentem, v. gr., esculenta vel poculenta incendio jam peritura: quia res non liberata a periculo nullius est valoris pro domino. — *Lugo, d. XVIII, n. 77, 144 et seq. — S. Lig. n. 620. — Elbel, n. 80.*

Plures hoc extendunt ad casum in quo res aliena proximo periculo subducitur et statim consumitur: v. gr., si sumas vinum alienum jamjam incursu hostili certo invadendum, illudque cum familia aut amicis bibas. — *Lugo, Elbel, ibid.*

647. — QUÆR. 2^o *An fur teneatur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit?*

Resp. 1^o Affirm. absolute, si perierit culpa furis vel alterius cujuslibet, quia fur fuit causa damni efficax, sive ipse, sive alius rem ex negligentia culpabili perdidit aut consumperit, donaverit, destruxerit. — *Ita omnes.*

Resp. 2^o Affirm. generatim, si pariter res periit apud furem, etiam absque ulla ejus culpa. Ratio est, quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit. — *S. Lig. n. 620.*

Resp. 3^o Neg., tamen, si res fuisset peritura apud dominum eodem tempore et casu seu ex vitio ejus intrinseco, quia tunc nullum prorsus damnum domino infertur. *Probabilius* hoc valet, etiam si res certo peritura fuisset eodem tempore et in eodem periculo communi, quo apud furem periit, v. gr., in eodem incendio, vel in eadem publica calamitate. Ratio

est, quia tunc furtum non fuit causa damni, sed res æque et eodem modo et tempore periisset. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 620; Hom. Apost., de 7^o præcepto, n. 79.* — *Lugo, disp. XVIII, n. 141.* — *Vogler, n. 501.* contra *Concina, etc.*

Dixi 1^o si res peritura fuisset eodem tempore apud dominum; quia si peritura fuisset antea, et furto adscribendum est, quod non perierit, jam ad dominum, dum penes furem manebat, semper clamabat, nec periisset, si jam fuisset restituta; ergo fur ad restitutionem tenetur: si vero postea peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis pro fure, qui eo instanti, quo res penes se periit, obligationem restituendi contraxit.

Dixi 2^o eodem periculo; quia ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari furi quod pereat, quia sine ejus furto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen subiisset. — *S. Lig. n. 620.* — Aliqui tamen contradicunt, quia (aiunt) perinde est, sive res in isto, sive in alio periculo intereat, quando utrumque discrimen simul coexistat.

Ex Jure civili Rom. et Gall., quocumque modo res perierit in manibus possessoris malæ fidei, ad restitutionem hic tenetur. Attamen non videtur ad restitutionem obligandus ante judicis sententiam, nisi illum jure naturali obligari constet. — *Carrière, n. 1072.* — *Gousset, n. 933.*

648. — QUÆR. 3^o *Ad quid teneatur possessor malæ fidei, quando res varium habuit valorem tempore detentionis?*

Resp. 1^o Tanquam certa habenda sunt quæ sequuntur:

1^o Si res apud furem deterior facta fuerit, restituenda est secundum valorem quem habebat quo tempore sublata est. Secus enim dominus non reciperet id omne quod suum erat.

2^o Si res apud furem crevit, restitui debet cum omnibus incrementis hic et nunc existentibus; quia res semper ad dominum pertinet, et pro ipso crescit.

3^o Si dominus rem suam fuisset venditurus eo tempore quo fuit sibi ablata, et fur eodem tempore eam vendiderit aut consumpserit, tenetur tantum restituere valorem quem habebat quando illam surripuit.

4^o Si res apud furem creverit et postea decreverit, et constet dominum, eo tempore, quo majoris erat pretii, venditurum illam fuisse aut consumpturum, fur ad totum majus pretium reddendum tenetur.

5^o Si fur rem a domino non servandam consumpserit tempore minoris pretii, non tenetur ad restitutionem incrementi, saltem *probabilius*; quia non ditescit ex re aliena, nec injuriam infert domino. — *Ita communius,* contra aliquos. — Excipe, si dominus emere non potuisset eodem pretio rem consumptæ similem. — *S. Lig. n. 621.*

6^o Si fur rem a domino non servandam vendidit vel consumpsit tempore majoris pretii, tenetur illud pretium domino reddere, licet aliud dominus de re facturum fuisset; quia res domino suo *fructificat.* — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 621.*

Resp. 2^o: Controvertitur vero utrum fur restituere teneatur rem furtivam juxta majorem, quem aliquando habuit, valorem, si dominus eandem rem usque ad tempus minoris pretii servaturus fuisset, vel si eam, antequam pretium ejusdem crevisset, fuisset consumpturus.

Videtur negandum *probabilius*, quia fur ad majorem valorem restituendum neque ratione rei acceptæ tenetur, ut patet ex dictis, neque ratione damni illati, quia dominum reponit in eodem statu, in quo versatus fuisset, si injuria non fuisset commissa. — *Lugo, d. XVIII, n. 132.* — *Lacroix, n. 233.* — *Carrière, etc.*

Affirmant tamen alii non pauci, quia res pertinebat ad dominum cum suo incremento tempore majoris *pretii*, et proinde tunc eam reddere tenebatur. — Ergo... — *S. Lig., 621.* — *Billuart.* — *Antoine.*

In praxi cum fere non innotescant omnes præfatæ circumstantiæ, plerumque sola urgenda est compensatio valoris quem tempore furti res habebat.

649. — QUÆR. 4^o *An fur præter pecuniam furtivam etiam restituere debeat INTERESSE (les intérêts)?*

Resp. Affirm., si constet vel præsumatur, quod dominus illud lucrum fuerat percepturus, quia hic respectu possessoris malæ fidei omnino indemnus fieri debet; secus vero *probabiliter* in alia hypothesi, quia non constat dominum ad illud auctarium jus habere.

QUÆR. 5^o *An teneantur restituere, qui, ut eleemosynas accipiant, fingunt se pauperes, vel veri pauperes qui dicunt se probos, cum non sint?*

Resp. ad 1^{am} Affirm. Ratio est, quia isti nullum jus habent ad eleemosynas; qui enim erogant eas, *veris* tantum pauperibus opitulari intendunt. Igitur restituendum est vel danti, vel saltem *vere* pauperibus. *Probabilius* sufficit si pauperibus restitatur. Non videtur tamen urgenda restitutio, si de eleemosynis valde modicis, quales ostiatim dantur, agatur; quia erogantes quoad eas sunt minus invitati. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 622.*

Resp. ad 2^{am} Neg. generaliter, quia sola indigentia, non vero probitas, est conditio ad quam donator attendit aut attendere præsumitur. — *Ita communiter.*

650. — QUÆR. 6^o *Quid, si res aliena per manus plurium malæ fidei possessorum transierit ex donatione aut venditione?*

Resp. 1^o: Quoad rem, hæc restituenda est ab eo qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor. Quod si neuter debito suo satisfecerit, cæteri per æquas portiones rei pretium solvere debent. Tandem, in cæterorum defectu, quisque ad totum tenetur.

Resp. 2^o: Quoad rei fructus et damna, singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo unusquisque rem detinuit; si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensent, totius damni reparatio singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die quo successive facti sunt rei alienæ injusti possessores. — *Ita communiter.*

QUÆR. 7^o *An ille, qui scienter rem alienam emit a fure, possit ipsam huic reddere ad pretium recuperandum?*

Resp. : *Controvertitur* fere ut in casu simili possessoris bonæ fidei, de quo supra n. 644. *Communius* negatur, quia, emendo mala fide, *in se* periculum rei suscepit: aliunde nemini fraus sua debet patrocinari. — Verum *affirmant* alii ut *probabile*, cum *S. Lig., n. 570;* quia licet iste peccaverit rem mala fide emendo, post emptionem tamen jus habet, haud secus ac

possessor bonæ fidei, ad contractum rescindendum; nec rem furi reddens, hanc in pejori, ac ipse illam invenerit, ponit conditione, e qua insuper nec tenebatur sane ex justitia ipsam liberare.

Resolves.

651. — 1° Possessor malæ fidei non tantum tenetur ad compensandum damnum domino emergens ex carentia rei suæ, et in confuso saltem prævisum, sed et omne lucrum cessans; scilicet non illud tantum quod dominus ob rei suæ carentiam reipsa amisit, sed illud etiam quod modo licito fuisset percepturus.

2° Qui frumentum alienum surreptum transvexit in alium locum ubi vendidit majori pretio quam dominus erat venditurus, non tenetur augmentum pretii domino tribuere. — *S. Lig. n. 618.* — Quod si idem frumentum fur in agro suo seminaverit, tenetur solum ad simile frumentum reddendum, ita ut dominus indemnis servetur. Item si quis aliena ova supponat gallinæ suæ incubanda, ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur.

3° Si quis furatus sit triticum, quod dominus tempore majoris pretii vendendum servabat, illudque minoris pretii tempore consumpserit, ad illud pretium restituendum tenetur, quod dominus expectabat, nisi forte tam mature fiat restitutio, ut dominus minori pretio simile triticum emere et sine incommodo in tempus pretii majoris reservare possit.

4° Si quis raptum agnum occiderit, aut aliam rem hujusmodi furto ablatam consumpserit, id tantum pecuniæ (*saltem probabilius*) solvere tenetur, quod valori harum rerum tempore occisionis aut consumptionis respondebat; nisi forte dominus eadem pecunia rem ejusdem valoris jam non potuerit emere, simulque voluerit rem illam servare, ut majorem pecuniæ summam ex ejus venditione obtineret. — *S. Lig. n. 621.*

5° Si fur subripuit et consumpsit triticum, quod dominus usque ad ultimum venditionis tempus servaturus erat; post furtum vero modii valor primo quidem crevit, sed deinde, cum fur vult restituere, decrevit iterum ad eum valorem quem furti tempore habebat, satis est (*probabilius saltem*) pretium huic valori respondens solvere. — *Reuter, n. 330.* — *Vide dicta n. 648, Quær. 3°, Resp. 2°.* — *V. Casus, n. 610 et seq.*

§ III. De possessore dubiæ fidei.

Principia.

652. — I. Possessor dubiæ fidei, sive a principio, sive in decursu tantum possessionis dubitaverit, serio inquirere tenetur, ut dubium deponat. Ratio patet; secus enim se exponit periculo rem alienam ex culpabili negligentia sua retinendi.

II. Si diligenti inquisitione facta dubium perseveret, *probabilius* rem totam retinere potest, si ante obortum dubium bona fide possidebat. Ratio est, quia in *pari casu, vel dubio, melior est conditio possidentis*; et possessio cum bona fide incepta creat de se maximam præsumptionem de justitia possessionis, et possessori jus certum attribuit, quod, nisi aliis

rationibus vel præsumptionibus fortioribus vincatur, in foro tum interno tum externo prævalere debet. — *S. Lig.*, l. I, de *Consc.*, n. 34. — *Lugo*, d. xvii, n. 86. — *Lacroix*, n. 563. — *Carrière*, n. 1094, et alii communiter, contra aliquos, qui dicunt rem pro rata dubii esse dividendam.

III. Si dubium præcesserit possessionem, distinguendum est. Nam qui in dubio incepit possidere spoliando alium possessione sua, tenetur rem totam restituere priori possessori, quando non constat hunc mala fide incepisse rem possidere; quia in pari causa melior est ejus conditio, utpote possidentis. — *Lugo*, d. xvii; n. 80. — *Carrière*, n. 1100.

Qui vero rem accepit alio titulo, v. gr., emptionis, et post examen diligens adhuc dubium perseverat, an ille, a quo accepit, ejus sit dominus, restituere debet, pro rata dubii, probabili domino, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur teneri ad totum restituendum, cum dubitet utrum res sit aliena, et non sua. — *S. Lig.* n. 625. — *Lugo*, *ibid.*

Quæsitæ.

653. — QUÆR. 1^o *Ad quid teneatur qui accepit rem aliquam mala fide, ratus eam esse alienam, et postea dubitat an res sua sit necne?*

Resp.: Æquiparandus est ei qui possessionem cum dubia fide incepit; prior enim æstimatio falsa reperitur, nec proinde in solutione casus attendenda est. Perpende igitur utrum sua possessione alterum spoliaverit, necne, et resolve juxta dicta in principio III.

QUÆR. 2^o *Quid, si talis possessor inquirere neglexerit ab initio, et postea non possit amplius rei dominus inveniri?*

Resp.: Videtur aliquid restituendum esse pauperibus pro rata spei quam habere potuisset dominus rem suam recuperandi. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris. — *S. Lig.*, de *Consc.*, n. 37. — *Lugo*. — *Lacroix*, n. 564, etc.

654. — QUÆR. 3^o *Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei, si inquirere neglexerit, et dominus compareat?*

Resp.: Generatim post dubii initium tractandus est ut possessor malæ fidei; obligandus est igitur non solum ad rem domino reddendam, sed etiam ad damna omnia ei resarcienda. — *Lessius*, c. xiv, n. 23. — *Carrière*, n. 1088, et alii communiter.

Excipiendus videtur is qui incepit possessionem bona fide, et deinde oborto dubio inquirere neglexit, putans dominum difficiliter inveniri posse; hic enim possessori bonæ fidei æquiparandus foret.

655. — QUÆR. 4^o *An possessor dubiæ fidei præscribere possit, si, facta inquisitione debita, dubium perseveret?*

Resp. 1^o *Affirm. probabilius*, si bona fide incepit possidere; quia dubium illud perseverans, non obstante diligentia adhibita, invincibile est, et proinde etiam illo manente conscientia efformari potest ex illo præsertim principio: *Melior est conditio possidentis.*

Resp. 2^o *Neg.* autem, si dubia fide incepit possidere, quia bona fide ad præscribendum requisita destituitur. — *S. Lig.* n. 504. — *Vid. supra*, n. 589.

QUÆR. 5^o *An possessor dubiæ fidei, qui bona fide incepit possidere, ad*

restitutionem teneatur, si, facta inquisitione, inveniat rem probabilius alienam esse?

Resp. Neg. probabilius, quia ex possessione certa jus moraliter certum oritur. Insuper donec alter jus suum certum probaverit, valet axioma: Melior est conditio possidentis. — S. Lig., l. I, n. 35, et alii communissime juxta S. Lig., contra aliquos, qui docent tunc esse pro rata restituendum.

QUÆR. 6° An debitor, in dubio de peracta debiti solutione, integre vel ex parte solvere teneatur?

Resp. : Generatim attendendum est ad varias rerum circumstantias, ut dignoscatur cuinam faveat præsumptio. — Vide dicenda de causis a restitutione excusantibus, n. 721.

Resolves.

656. — 1° Si bona fide possederis rem alienam, et superveniente dubio, eoque post inquisitionem remanente, innixus principio possessionis illam consumpseris, deinde vero dominus ex improvise compareat, id solum teneberis restituere, in quo ditior factus es. Sequitur ex dictis. — *S. Lig. n. 607, 608.*

2° Quando nemo eorum, de quibus dubitatur utrum rei sint domini, rem ipsam de facto possidet, si dubium æquale sit, res æqualiter inter illos est dividenda; si vero dubium sit inæquale, dividenda videtur juxta dubii proportionem. Quod si res dividi nequeat, vendenda est, ut dividatur pretium; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligetur ad jus unicuique cæterorum reddendum; aut etiam in sortes conjicienda, ut ei tribuatur, cui sors favebit. — *Lacroix, n. 566. — Sanchez, Decal., l. II, c. XXIII, n. 173. — Carrière, n. 1101, et alii.*

3° Si dubites an antecessor tuus bona legitimo titulo possederit, potes, re perpensa, et perseverante dubio, hæreditatem nihilominus accipere et retinere, dummodo constet eum bona fide possedis. Etenim si axioma, *In dubio melior est conditio possidentis*, favet antecessori tuo, etiam tibi successori favet: nam in hoc casu applicandum est principium possessoris dubiæ fidei qui possessionem bona fide incepit, quandoquidem antecessor et successor unicam personam moralem ex jure efficiunt.

4° In dubio an aliquis possessionem bona vel mala fide inceperit, præsumendum est in favorem possessoris; quia delicta non præsumuntur, sed probari debent. Attamen si quis reperitur actu in mala fide, et dubitetur an inceperit cum hac mala fide possidere, præsumi debet eum malæ fidei ab initio fuisse; quia *semel malus semper præsumitur esse malus*, juxta Reg. Juris 8 in 6°. — *Ita Lacroix, n. 567. — Lugo, d. XVIII, n. 16. — V. Casus, n. 622.*

ARTICULUS II

DE INJUSTA DAMNIFICATIONE

657. — *Damnificator injustus dicitur, qui jus alienum lædit, et proximo in bonis suis nocet, nec tamen inde ditior evadit.*

Duplex distinguitur culpa qua damnum inferri potest, nempe culpa *theologica*, et culpa *juridica*. — *Culpa theologica est, quæ includit offen-*

sam Dei, id est peccatum formale, sive mortale sive veniale. — Culpa vero *juridica* est omissio diligentiae, unde alteri damnum provenit, sive ea sit formale peccatum, sive non. — *S. Lig. n. 549.*

Culpa autem *juridica*, ex communi interpretatione Juris Romani, est vel *lata*, vel *levis*, vel *levissima*. Culpa *lata* est omissio diligentiae quam communiter adhibere solent homines in similibus negotiis. *Levis* est omissio diligentiae quam adhibere solent homines prudentiores et diligentiores. *Levissima* est omissio diligentiae quae adhiberi solet solum a prudentissimis et diligentissimis. Sed hæc culparum distinctio in Jure Gallico non expresse commemoratur: utrum autem supponatur, disputant Jurisperiti. — *Cf. Carrière, Compend., de Contract., n. 169.*

Principia.

658. — I. Injustus damnificator restituere tenetur: 1° totum æquivalens rei damnificatæ; ita, v. gr., si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum ejus pretium domino rependere debet; 2° totum æquivalens damnis prævisis præter rei damnificationem, si quæ ex ea provenerint. Hinc, v. gr., si opifex solitam operam aliquo tempore omittere cogatur, propterea quod instrumentum ei necessarium destruxeris, illum non modo de valore instrumenti, sed etiam de lucro cessante teneris compensare.

Hujusce principii ratio patet ex dictis *n. 532 et 626*. Etenim dominus læsus *omnino indemnus* fieri debet. Ad hoc autem non satis est, si damnificator intrinsecum pro re pretium ei solvat, quando alia detrimenta ex privatione rei suæ passus alter fuerit; siquidem non recuperaret id omne quod ex injusta damnificatione amisit. Neque obstat, quod nullum damnificatori commodum ex damno obvenerit; nam tota restitutionis ratio non ex percepta utilitate de aliena re, sed ex damno illato petenda est.

659. — II. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, jure naturæ requiritur triplex conditio, nempe ut sit injusta, causa damni efficax, et theologice culpabilis; scilicet, ut sit injusta, *vere, efficaciter et formaliter*.

1° *Injusta*. Obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum. Jus autem strictum violari nequit, nisi per actionem injustam seu justitiæ commutativæ oppositam, juxta dicta supra *n. 532, etc.*

2° *Causa damni efficax*, scilicet: 1° ut actio *per se* influat in damnum, ita ut hoc inde vere consequi censeatur; 2° ut tali agenti possit imputari. Ratio utriusque perspicua est. Actio enim imputari nemini potest, nisi sit ipsius propria; nec potest detrimentum actionis cuiquam adscribi, nisi ejus actio causa fuerit detrimenti vera et efficax *physice vel moraliter*.

Hoc autem fit quando ponitur actio quæ ex natura sua, vel ex circumstantiis, cum damno connexionem habet saltem probabilem. Hinc: 1° non sufficit ad restitutionem *causa occasionalis* tantum damni, quia non est causa efficax, sed tantum occasio causæ efficacis. Unde si occasione furti a te patrati alius accusatus fuerit et damnatus, nulla obligatione damni ejus reparandi teneris. — Nec 2° sufficit ad restitutionem *causa accidentalis*; nam hæc ea est, quæ in se spectata, attentisve circumstantiis, connexionem probabilem cum eventu non habet, adeoque causa efficax non

est dicenda. Unde, si tradas gladium Titio absque prævisione probabili ejus abusus, non es injustitiæ reus, si ille homicidium cum eo gladio patraverit.

3^o *Theologice culpabilis*. Etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientia, nisi in eodem foro injuria commissa fuerit, neque conscientia ligari potest obligatione reparandi injuriam quam ipsa non intulit; secus etiam dormientes et amentes, si damnum quodpiam intulerint, ad restituendum in conscientia tenerentur, quod absurdum est. Porro nulla est injuria in foro interno, ubi nulla est culpa theologica; ad injuriam enim requiritur voluntas nocendi saltem indirecta, seu prævisio aliqua saltem confusa damni injusti. Ergo... — *S. Lig., n. 550, et seq.; Hom. apost., n. 39 et 41.*

660. — III. Tamen etiam ex culpa mere juridica adesse potest restituendi obligatio in conscientia post sententiam judicis. Obediendum enim est justæ judicis sententiæ; secus leges securitati publicæ non providerent, et inanes forent. Porro sententia, de qua agitur, est justa. Ista enim lex fertur pro bono communi et tendit ad homines cautiores reddendos, ne aliis damnum inferant. Insuper ante omnem eventum omnibus civibus æque favet. Nemo igitur de ea conqueri potest. Ergo... — *Ita communiter. — Billuart, diss. VIII, art. 4. — S. Lig. n. 554.*

Quæsitæ.

661. — QUÆR. 1^o *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienæ, quæ detinebatur ex CONTRACTU aliquo, v. gr., locationis, depositi vel commodati, etc.*

Resp. : Duplex est sententia probabilis.

I^a Sententia, quæ probabilior apparet, affirmat absolute requiri culpam theologiam. Ratio est, quia non sufficit culpa mere juridica ad obligationem in conscientia inducendam, ut constat ex supra dictis in principio II, nisi speciale pactum intercesserit. Porro de hujusmodi pacto nullatenus constat; imo non præsumitur contrahentem voluisse in conscientia sub gravi tantum suscipere obligationem cum sola culpa juridica. — *Ita Lugo, n. VIII, n. 406. — Lacroix, n. 177. — Roncaglia; et hanc sententiam vocat valde probabilem S. Lig., n. 554.*

II^a Sententia negat opus esse theologica culpa, ut quis oneri subsit restitutionis; additque requiri culpam *latam*, si contractus cedat in commodum solius dantis; sufficere *levissimam*, si cedat in commodum solius recipientis; requiri et sufficere *levem*, si cedat in commodum utriusque. — Ratio 1^a est, quia, cum res aliena alicui committitur, æquitas postulat ut eam diligenter custodiat. Unde videtur intercedere pactum implicitum, quo rei detentor se obligat ad eam speciali cura custodiendam, vel ad reparandum detrimentum quod ex hujus curæ omissione res subire possit. — Ratio 2^a est, quia æquitas etiam postulat ut, ubi majus est commodum, major adhibeatur diligentia. — *Antoine, cap. III, quæst. 2 et 5. — Collet, c. II, art. 4, n. 119, etc.*

662. — QUÆR. 2^o *An requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo, seu in QUASI CONTRACTU servando? v. gr., si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum ægroto præbuerit?*

Resp. : *Affirm. probabilius*, ut in Quæsito præcedenti. Ratio est, 1° quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere juridicam in officio, seu in quasi contractu, sive ex jure naturali, sive ex lege positiva, sive ex partium conventionem; 2° quia talis obligatio esset nociva bono publico; inde enim fieret ut viri probi et timorati a suscipiendis aliorum negotiis, necnon ab officiis publicis arcerentur. — *S. Lig. n. 555.* — *Billuart, diss. VIII. art. 7.* — *Lacroix, n. 184*, et ipse quoque *Antoine, quæst. 4.*

QUÆR. 3° *An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire potuisset?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia quisque tenetur ex justitia impedire ne actio sua proximo noceat; ergo tenetur etiam impedire ne malum ex actione sua secutum perseveret. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 564.*

Hinc: 1° qui inculpabiliter subjecit ignem domui alienæ, quando advertit ad incendii periculum, ex justitia illud impedire tenetur, si possit; 2° pariter pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet; 3° item qui errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea, cognito errore, illum corrigere, et ni faciat, peccat graviter, et obligatur ad reparationem omnium damnorum quæ ex hoc proveniunt.

663. — QUÆR. 4° *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed jam retractata, quando damnum infertur?*

Resp. Affirm., saltem si damnum illud fuerit determinatum, et in specie præcognitum. Sic, v. gr., si quis voluntarie alteri venenum propinaverit, et postea ejus effectum impedire non possit, utut facti pœnitens maxime velit, damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ratio est, quia ille, qui posuit causam damni, semper pergit efficaciter in illud influere. — *Ita communiter.*

QUÆR. 5° *An reparari debeat damnum PER ACCIDENS quidem, sed vacando operi illicito, illatum?*

Resp. Neg., quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem prævisum fuerit. Nec refert quod actio fuerit illicita; hoc enim ad justitiæ rationem nihil pertinet. Sic Clericus, qui, venationi contra Ecclesiæ prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit, non magis injustitiæ reus est, quam laicus qui hoc fecisset. Imo damnum *per accidens* illatum ne reparari quidem debet, etiamsi occasione actionis *injustæ* evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat, nec præsentem sciebat, dum sclopetum in Caium dirigeret. — *Ita communissime.* — *Vogler, n. 170.* — *Lugo, d. VIII, n. 72 et 82.* — *S. Lig., Hom. apost., n. 39.*

664. — QUÆR. 6° *An tenearis reparare damnum quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. gr., si incendas domum Caii, quam putas esse domum Titii inimici tui?*

Resp. : *Affirmandum* videtur. In eo enim casu adsunt omnes conditiones requisitæ ad restitutionem urgentam, scilicet actio injusta, causa damni efficax, et culpa theologica. Nec dicas, actionem tuam non esse injustam relative ad Caium, cujus damnum noluisti; nam rem istam, omnino determinatam, destruere intendebas: porro eam destruendo suscepisti onus eandem reparandi. Nihil porro refert ejusnam sit; nam

quæstio non est de *nomine*, sed de *re*. Error igitur non afficit actus *substantiam*, sed quid mere *accidentale*. — *Ita communiter*, ut fatetur *S. Lig.*, etsi dissentiat. — *Vogler*, n. 202. — *Bonacina*. — *Sanchez*. — *Busemb.*, etc.

Nonnulli tamen *negant* cum *S. Alph.*, n. 629, nempe *Lugo*, d. xvii, n. 75. — *Lacroix*, n. 200 et seq. — Ratio eorum est, quia actio non fuit voluntaria erga damnificatum, cum processerit ex inculpabili ignorantia juris ejus. Hæc autem ratio ex dictis parum valere videtur.

665. — QUÆR. 7^o *Ad quid teneatur ille qui damnum grave quidem intulit, sed cum culpa levi, v. gr., defectu advertentiæ; etc.?*

Resp. : *Probabilius* ad nihil tenetur. Etenim obligari non potest neque sub gravi, neque sub levi : 1^o non *sub gravi*; gravis enim obligatio cum culpa levi proportionem non habet; 2^o neque *sub levi*; quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. — *Ita S. Lig.*, n. 552. — *Lugo*, d. viii, n. 56. — *Vogler*, n. 109. — *Lessius*. — *Roncaglia*, etc.

Alii tamen eum obligant ad totum damnum sub gravi reparandum. — Alii ad totum quidem, sed sub levi. — Alii tandem ad aliquam partem tantum, juxta culpæ proportionem. Sed maxima incommoda hæc sententiæ videntur inducere.

666. — QUÆR. 8^o *An qui gravè damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur sub gravi totum illud damnum reparare?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si damnum illatum est *eidem personæ*, licet damnificator graviter non peccaverit. Ratio est, quia hic tenetur reparare totum damnum voluntarie et libere commissum. Porro totum damnum libere illatum est, et insuper grave est in hypothesi : ergo illud totum sub gravi reparandum est. — *Vogler*, n. 124 et 126. — *Lugo*, d. viii, n. 69, etc.

Resp. 2^o *Neg.* autem *probabilius*, si damna minuta diversis personis illata fuerint. Ratio est, quia ex una parte nemo grave damnum patitur, et ex alia parte damnificator re aliena non ditescit. Hinc differt casus præsens a quæstione simili relata supra n. 630, quia fur ditescit ex furtis minutis, non vero damnificator.

QUÆR. 9^o *An existimans ex errore invincibili, damnum à se illatum multo minus esse ac revera sit, teneatur ad totum illud restituendum, si postea verum pretium agnoscat, v. gr., si quis projiciat in mare gemmam alterius valentem 100, dum credit eam 10 tantum valere?*

Resp. : *Probabiliter* tenetur ad restituendum solummodo pro rata damni cogniti; quia non censetur volitum damnum, quod invincibiliter est ignoratum. — *S. Lig.* n. 613. — *Elbel*, n. 90. — *Vogler*, n. 189. — *Carrière*, n. 1151, contra alios.

Dabitur tamen obligatio reparandi totum damnum, si quando, ob majoris pretii suspicionem saltem in confuso obortam, totum damnum evadat voluntarium.

667. — QUÆR. 10^o *An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum?*

Resp. *Affirm.*, si, ex culpa theologica, in animalia invigilare neglexerit. Quisque enim ex jure naturali tenetur animalia sua diligenter custodire, ne damnum aliis inferant, sicut præcavere debet ne ex actionibus suis proximo detrimentum eveniat.

Resp. 2°: Seclusa vero culpa theologica, non tenetur quidem ante iudicis sententiam, ut patet ex principio II, n. 650; bene vero prolata sententia, ut ex principio III constat.

QUÆR. 11° *An ille teneatur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si præviderit pravi exempli efficaciam?*

Resp. : I^a *Sententia probabilior negat*, quia qui dat pravum exemplum, non est causa damni, sed mera occasio. Neque enim actio mala *per se* ad id tendit, ut alios ad eam imitandam excitet. Ergo alii damnificatores ex se omnino determinantur ad damnum inferendum. — *S. Lig.*, n. 537, et l. II, n. 45. — *Salmant.* — *Laymann.* — *Sanchez.* — *Lugo*, etc.

II^a *Sententia affirmat*, quia præbens pravum exemplum cum prævisione contagionis haberi potest ut causa efficax damni; quippe aliquo modo influit in determinationem eorum qui damnum inferunt: et experientia docet homines magis moveri exemplis quam consiliis, juxta axioma: *Verba movent, exempla trahunt.* — *Antoine*, p. II, c. III, q. 13. — *Billuart*, diss. VIII. — *Cuniliati*, etc.

668. — QUÆR. 12° *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat an damni causa ipse fuerit?*

Resp. 1°: Si dubium versetur circa existentiam damni, probabilius ad nihil tenetur, modo post diligentem inquisitionem dubium perseveret. Ratio est, quia, cum factum damni non sit certum, non potest producere obligationem certam illud reparandi. Constat ex hoc principio: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Item ex hoc alio principio: *Factum non præsumitur, sed probari debet.* — *Ita S. Lig.*, n. 562. — *Lacroix*, n. 574. — *Vogler*, n. 73, et alii communius contra nonnullos.

Resp. 2°: Si dubium versetur circa influxum actionis in damnum quod certo evenit, controvertitur et duplex est sententia *probabilis.* — *Ita S. Lig.*, *ibid.*, etc.

Probabilius tamen urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno illato, et dubium est dumtaxat quisnam fuerit damnificator inter plures, qui eodem modo actionem damnificam posuerunt: repugnat enim innocentem debere certo pati, eo quod non constet cuinam damnum sit imputandum. Sic duo homines simul in tertium glandem explodentes videntur obligandi pro rata ad compensanda damna ex mutilatione vel occisione provenientia, quamvis compertum sit, hunc ab alterutro tantum læsum fuisse. Nonnulli tamen eos a restitutione omnino excusant, sed minus firmis argumentis id contendunt.

669. — QUÆR. 13° *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione injustæ actionis tuæ, v. gr., si furatus fueris, et furtum illi imputetur?*

Resp. 1° *Neg.* certo, si damnum illud non prævideris. Patet ex dictis supra in principio II, n. 659.

Resp. 2° *Neg.* etiam *probabilius*, licet damnum hoc prævideris. Ratio est, quia actio tua, posita cum sola damni prævisione, non illius causa *per se*, sed tantum *per accidens* habenda est. Constat etiam ex II° principio, *ibid.* Excipe, si quando tales fuerint circumstantiæ, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio. — *S. Lig.* n. 635. — *Lessius.* — *Lacroix*, n. 457, etc., contra alios.

Resp. 3° : Imo probabiliter etiam negandum est, licet de industria egeris, ut actio tua ipsi imputetur; quia semper hæc actio est tantum causa damni *per accidens*, et non *per se*; non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit. Prava enim intentio non efficit ut injustum sit illud opus, quod ex se respectu tertii injustum non est. Excipiendum tamen est, si quis iis uteretur mediis quæ gravissimam suspicionem alterius accusandi præbeant, v. gr., si vestibus ejus indueretur ad homicidium patrandum, has sanguine fœdatis projiceret, etc. — *S. Lig. n. 636.* — *Lessius.* — *Vogler*, contra alios. — *Recole dicta n. 604.*

670. — QUÆR. 14° *An teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum?*

Resp. 1° : Probabilius ad nihil tenetur erga dignum prætermisum, secluso casu concursus, quia nullius jus strictum violavit. — *S. Lig., l. IV, n. 106.* — *Vogler, n. 241, et alii communiter.*

Resp. 2° : Ratione electionis indigni tenetur certo erga societatem de omnibus damnis exinde provenientibus. Ratio est, quia censetur adesse pactum strictæ justitiæ inter societatem et electorem, quo iste adstringitur ad non eligendos ministros indignos. — *Ita communiter.* — *Vogler, ibid.* — *S. Lig., Hom. apost., tract. XIII, n. 39.*

Probabilius autem ad nihil tenetur ratione electionis minus digni, etsi graviter peccare possit. Ratio est, quia non censetur societas electores obligare titulo justitiæ commutativæ ad digniores eligendos. — *Vogler, n. 243.* — *Hom. apost., ibid.*

671. — QUÆR. 15° *An teneatur ad restitutionem, qui alium impedit a consecutione alicujus boni vel beneficii?*

Resp. 1° Affirm., si proximus habeat jus strictum ad rem obtinendam, v. gr., in casu concursus.

Resp. 2° : Si proximus non habeat jus strictum ad rem consequendam, distinguendum est : 1° affirmandum, si mediis injustis id impediatur, v. gr., vi, fraude, calumnia, metu, etc.; 2° negandum vero, si impediatur mediis in se justis, v. gr., suasionem, precibus, etc. Ratio est, quia nullum jus alterius tunc violatur, nec in se, nec in mediis. — *Ita communiter.* — *Hom. apost., n. 61.*

QUÆR. 16° *An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. gr., ex odio, seclusis tamen mediis de se injustis, avertas alium a consecutione boni ad quod jus strictum non habet?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia nulla injuria proximo infertur. Etenim ad injuriam non sufficit mala intentio, sed requiritur actio externa quæ vera et efficax causa damni injusti sit. — *S. Lig. n. 584.* — *Elbel, n. 108.* — *Antoine, q. 15, et alii communius contra alios.*

Casus.

672. — 1° *Didacus* vas crystallinum *Caii* valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed *Basilus* hac eadem nocte domum sine lumine ingrediens in vas offendit, illudque frangit. Quid juris? — *Resp.* : Nec *Didacus*, nec *Basilus* ad restitutionem tenetur, quia ex utrus-

que parte deest culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno vel ejus periculo. Imo nec teneretur alteruter, si aliquod valde remotum periculum prævidisset; quia in moralibus ad meram possibilitatem non attenditur. — *Vogler, n. 177, et alii communiter.*

2° *Quirinus*, pannum furari intendens, officinam nocte ingreditur, et lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum; sed inopinato casu, nimirum saltu felis, candela in paleas dejicitur, et brevi tota officina incenditur, vixque, arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de *Quirino*? — *Resp.*: Ad nihil tenetur, quia minime periculum prævidit. Imo nec tenetur de panno quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset, quia etiam illud damnum est involuntarium; nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelæ proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consummasset illum e potestate et custodia domini subducendo, quamvis casu, v. gr., candela accensa, pannus combureretur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quæ casu fortuito apud furem perit. — *Ita Lugo, d. XVIII, n. 88. — Vogler, n. 178. — Lacroix, n. 165 et seq. — Reuter, n. 320, etc.*

3° *Pomponius*, animo vindictæ impulsus, dum a nemine cerneretur, glandem explosit in capram *Mauri* in prædio domini placide pascentem; sed loco capræ illæsæ attigit et occidit vaccam *Marini* post sepem, ipso prorsus ignorante, jacentem. Ad quid obligandus sit *Pomponius*? — *Resp.*: Ad nihil. Etenim non tenetur ad quidpiam pro capra prædicta, cum illæsa maneat; nec pro vacca, cum illius damnum nullatenus præviderit. Quid autem si vacca ad eundem dominum pertineat? Crescit difficultas, siquidem damnificator tali personæ damnum inferre vere intendit; quamvis enim non destruat rem specialiter intentam, cum in genere inimico nocere velit, actio damnificativa, quam ponit, eidem domino formaliter injuriosa videtur. Attamen sistendo in rigore principiorum, adhuc probabilius excusari potest, si nullatenus, ne in confuso quidem, hoc aliud damnum præviderit. Dici enim potest mere per accidens illud evenisse; nec prava intentio eidem nocendi facit, ut rei prorsus ignoratæ damnum evadat voluntarium. Secus tamen, si volens generatim inimico nocere, quantum posset, varia objecta damnificanda aliquatenus in confuso cognovisset. — *Recole dicta n. 659 et 669.*

4° *Sidonius*, videns *Justinum* prætereuntem, putansque esse *Titium*, dicit sociis: En, iste non est scrupulosorum *primipilus*!... Sed est homo nihili, fur, fornicator et bibulus. *Quær.* quid *Sidonius*, detecto errore? — *Resp.* Dicta retractare debet coram iisdem sociis, quamvis involuntarie in *Justinum* hæc dixerit; et ni faciat, omnia damna, quæ ex diffamatione subsequuntur, reparare tenebitur. — *Reuter, n. 320, et alii communiter.*

5° *Babinus Rogerium* moribundum iterata prece et blanditiis, seclusa tamen omni fallacia, inducit ad lacerandum testamentum in favorem *Pauli* jam conditum, ut ipse, vel amicus, aut consanguineus hæres constituatur. Determinatur autem *Babinus* ad id agendum præter proprium, vel amici commodum, ex inveterato odio quod contra *Paulum* fovet. An injustitiæ reus sit *Babinus*? — Nequaquam. Etenim, licet propter odium graviter contra Caritatem peccaverit, non tamen justitiæ virtutem videtur læsisse,

quia nullum jus *Rogerii* strictum violavit. Idem dicendum foret, si quis ex odio avertisset testatorem a constituendo *Paulo* hærede, ut alius quilibet ejus loco constitueretur. — *Elbel*, n. 115. — *Antoine*, c. IV, q. 15. — *Recole dicta* n. 661. — *V. Casus*, n. 627 et seq.

ARTICULUS III

DE INJUSTA COOPERATIONE

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores negativi. Omnes sequentibus versibus continentur :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

§ I. De jubente.

673. — *Jubens* seu *mandans* dicitur, qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo nomine, id est sui loco, alteri inferat.

Jubens tenetur ad reparandum omne damnum imperatum et ex vi mandati illatum; secus autem, si damnum nomine suo factum solum approbet. Ratio est, quia in priori casu, non vero in posteriori, efficaciter in damnum influit. Ad hoc autem requiritur, ut vere causa fuerit, cur damni inferendi negotium susceperit mandatarius.

Quæsitæ.

674. — QUÆR. 1º *An teneatur ad restitutionem mandans, si mandatum revocaverit antequam damnum fuerit illatum?*

Resp. Neg., si revocatio innotescat mandatario ante executionem mandati; secus autem, si nullatenus aut tardius innotescat: quia in priori casu non influit in damnum, bene vero in posteriori. — *Ita Vogler cum pluribus aliis.*

QUÆR. 2º *An mandans teneatur de damnis quæ mandatario in mandati executione obveniunt?*

Resp.: Affirmat *Lacroix* cum aliis, quia mandans, damnum jubendo, censetur suscipere in se obligationem mandatarium indemnem servandi. At videtur id coarctandum ad casum in quo mandans per vim, aut metum, alium coegit. Secus enim mandatarius videtur sponte in se suscepisse totum onus et illius consecutaria; et nisi pactum de indemnitate præcesserit, mandans tantum ex quadam æquitate tenebitur.

QUÆR. 3º *An mandans teneatur reparare damnum quod executor ex errore invincibili alteri intulit?*

Resp. Neg., quia vera damni causa est error mandatarii. — *Ita Vogler*, n. 279, et alii communiter. — Excipe, nisi ex operis damnosi natura vel necessariis adjunctis provenerit, ut executor pertractus fuerit in errorem, quem vix ac ne vix quidem potuerit præcavere: tunc enim, qui opus fieri mandavit, causa fuit erroris et damni ex eo secuti.

QUÆR. 4^o *An superior, ratum habens damnum, mandanti comparandus sit?*

Resp. Neg., si rati habitio executionem damni subsequatur, quia tunc in damnum influere nequit. Secus vero, si damnum præcedat, seu propositum damni inferendi respiciat, et in illud vere influat. — *Vogler, etc.*

Resolves.

675. — 1^o Mandans ad nihil tenetur, si tempestive mandatum revocaverit, licet mandatarius, ad mercedem promissam accipiendam, finxerit se revocationem ante damnum illatum non accepisse.

2^o Si constet mandati revocationem non fuisse auditam vel intellectam a mandatario ob surditatem vel distractionem, mandans ad restitutionem tenetur; quia effectus sequitur vi prioris mandati. Eadem ratio valet, si mandans litteras revocantes mandatum mittat, et hæ casu aliquo intercipiantur. — *Lugo. — Vogler, n. 273, 277.*

3^o Qui alium inducit precibus tantum ad damnum suo nomine proximo inferendum, vere mandans est, et ut mandans habendus est, quia est principaliter agens in ordine morali. Exsecutor enim agere non censetur nisi loco ipsius, adeoque ad damnum inducens omne onus reparationis in se assumere censetur. — *Vide Casus, num. 657.*

§ II. De consulente.

Principia.

676. — I. Consulens peccat contra justitiam, quoties sciens et volens præbet iniquum consilium, quo alter efficaciter inducatur ad damnum injuste inferendum; quia damnum est et ipsi imputabile. Constat etiam ex propositione 39^a ab Innoc. XI damnata, quæ sic jacet: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

II. Consulens, qui bona fide dedit damnosum consilium, cognita veritate tenetur illud retractare, et quidem ex justitia. Sequitur ex supra dictis de illo qui inculpabiliter causam damni posuit, *n. 662. — Vogler, etc.*

III. Consulens vero non tenetur ad restitutionem, si exsecutor absque illo consilio æque bene et eodem modo damnum fuisset illaturus; quia tunc consilium non efficaciter in damnum influxit. — *S. Lig. n. 561.*

Quæsitæ.

677. — QUÆR. 1^o *An teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante executionem damni?*

Resp. 1^o Neg., si consilium fuerit *nudum*, id est simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii. — *Ita communiter.*

Resp. 2^o: Si consilium fuerit *vestitum*, seu motivis innixum, contravertitur. *Probabiliter etiam neg.*, modo adhibita fuerint in retractatione alia motiva saltem æque efficacia. — *Ita Azor, etc.*, contra *alios*, quorum sententiam probabiliorem dicit *S. Lig.* Excipe, si furi ad damnum inferendum determinato ostenderit modum ingrediendi domum, quem secus non

invenisset, aut quid simile; quia cooperatio tua tunc fuit vere efficax, præsertim si prævideris furem pravum suum propositum non esse mutaturum. Si autem nequeas exsecutorem avertere a damno inferendo, teneris ex justitia ad eum monendum, cui damnum imminet, ut censent Doctores apud *S. Alphonsum*, n. 559.

QUÆR. 2^o *An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad majus avertendum?*

Resp. Neg., si agatur de eadem persona, quia consilium ipsi favet, nedum noccat; secus autem, juxta multos, si agatur de alia, de qua damnificator non cogitabat, quia hæc rationabiliter invita merito censetur. — *S. Lig. n. 565*. Contrarium tamen tenent alii pauci.

678. — QUÆR. 3^o *An consulens malum alteri teneatur etiam de damnis quæ hic passus est exsequendo pravum consilium?*

Resp. Neg., per se. Ratio est, quia ipsi nullam intulit injuriam, cum nulla injuria scienti et volenti fiat; merum enim consilium non impedit per se, quominus actio consultoris sit plane voluntaria. — Secus tamen, si consulens adeo exsecutorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

QUÆR. 4^o *An consulens tantum modum injustæ actionis teneatur ad restitutionem?*

Resp. Neg., si modus sit mere accidentalis, ut sunt communiter circumstantiæ temporis, loci, medii. Secus autem, si modus aliquatenus redundet in substantiam, v. gr., si damnum augeat, etc. — *S. Lig. n. 563*.

QUÆR. 5^o *An teneatur ad restitutionem suadens ut damnum citius inferatur?*

Resp. Neg., si certus sit, alterum esse ad malum determinatum, nec pravum animum esse mutaturum; secus in alia hypothesi. — *S. Lig. n. 563*, etc.

679. — QUÆR. 6^o *An consulens primario vel secundario tantum ad restitutionem teneatur?*

Resp. : Per se secundario tantum tenetur, quia exsecutor est *principaliter agens*, utpote qui nomine proprio agit.

QUÆR. 7^o *An vel quomodo teneatur ad restitutionem dans consilium doctrinale nocivum ex ignorantia graviter culpabili?*

Resp. 1^o : Si dans consilium, id agat ex suo statu vel officio, v. gr., advocatus, medicus, Confessarius, etc., tenetur ad restitutionem de damno injusto quod ex suo consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum contra quem datur. Ratio est, quia societas jus habet, ut ille scientiam habeat muneri suo convenientem. — *Ita communiter*.

Resp. 2^o : Si consulens non sit talis persona, quæ ratione muneris vel status sui peritiam præ se ferat, 1^o non tenetur erga petentem consilium, nisi ex consilio doloso, seu nisi affectet magnam peritiam, qua caret; 2^o obligatur tamen erga tertiam personam, quæ inde damnum patitur, si ipse propriam imperitiam noverit, et damnum secuturum saltem in confuso præviderit. — *S. Lig. n. 564, et alii communiter*.

Resolves.

680. — 1^o *Mulieres, plebei et alii generatim, quorum nota est insufficientia, nec peritiam dolose affectant, nihil restituere tenentur iis qui con-*

silium ab ipsis petierint. Attamen tenentur erga alios, quibus ex ipsorum consilio damnum illatum est, si damnum istud sufficienter præviderint; rei enim sunt, dum, temeraria dantes consilia in iis quæ ignorant, se exponunt periculo innocentem invitum lædendi. — *S. Lig., ibid.*

2° Si suasionem vel hortatu causa fueris, ut majus damnum inferatur quam alioquin illatum esset, teneris tantum de damni excessu. Unde si furi *per se* parato ad surripiendum 100 aureos, persuasisti ut 200 surriperet, probabilius contrahis tantum obligationem 100 restituendi.

3° Si duo simul consulant furtum *Petro*, qui eorum consilio inductus furetur, uterque tenetur ad restitutionem; nam licet etiam altero tantum consulente *Petrus* furatus fuisset, de facto tamen uterque consilio suo influxit, et eo ipso uterque causa fuit furti. — *S. Lig. n. 564. — Lugo, d. XIX, n. 2.*

4° Si fur jubeat ostendi sibi thesaurum meum, et ego ostendam thesaurum alterius, teneor restituere, quia sum causa damni; fur enim non habet determinatam voluntatem ad thesaurum alterius surripiendum. — *S. Lig. n. 565.*

5° Consulens non eximitur ab obligatione reparandi damnum quod consuluit, si executor, quem monuit ad restituendum, non restituat; quia efficaciter in damnum cooperatus est; cooperatio autem efficax reparationem efficacem necessario exigit. Damnificatus enim omnino indemnis fieri debet. *V. Casus, n. 662 et 665.*

§ III. De consentiente.

Principia.

681. — I. Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter ac libere emittit suffragium vel sententiam ex quibus directe pendet violatio juris alterius, id est, quoties dat consensum efficacem in damnum seu injuriam proximi. Dixi *consensum efficacem*; quia si consensus efficaciter in injuriam non influeret, non teneretur ad restitutionem, cum affective quidem, sed non effective in nocuum consentiret: itemque si, seclusa fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum jus haberet, suffragio suo impediret.

II. Non tenetur de damno, qui sententiam aut suffragium prius datum authentice revocat, antequam consummetur nequitia; neque suffragans bona fide, quamvis, detecto errore, teneatur ex Caritate, imo ex justitia, volum suum revocare, si per tempus id ipsi liceat.

Quæsitæ.

682. — QUÆR. 1° *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat injustum suffragium, si non desint alia suffragia jam ad damnum sufficientia?*

Resp. 1°: Certum est consentientes omnes æque ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint, cum inita conspiratione omnium sit unica actio moralis.

Resp. 2°: Certum est etiam, omnes consentientes contrahere obligationem

restituendi, quando eodem tempore suffragium tulerunt; quia, cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur.

Resp. 3°: Certum quoque est non excusandos esse a restitutione eos, qui primi dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi prævideant non defuturos alios qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen partialiter de facto inferitur. — *Ita communiter.* — *Vogler, n. 302.* — *Lugo, d. XIX, n. 17.*

Resp. 4°: Utrum vero, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, possint excusari a restituendi obligatione ultimi suffragantes, quando jam votorum numerus ad negotii definitionem requisitus expletus est, *controvertitur*. Plures graves theologi affirmant, quia ejusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum jam illud sufficienter ab aliis præparatum ac determinatum fuerit. — *S. Lig. n. 566.* — *Lugo, ibid., etc.* — *Negant alii*, quia, cum nunquam perfecta censeatur sententia, nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam injustam influunt.

683. — *QUÆR. 2° An obligationem restituendi contrahat ille qui suffragium non fert, cum ferre possit?*

Resp. 1° Neg., si suffragium dandum sit ex mera benevolentia, non autem ex officio, et de re alteri indebita, v. gr., de favore aliquo ei conferendo; quia tunc nulla injuria ei inferitur.

Resp. 2° Affirm., si dandum foret ex officio, et ipsius omissio esset causa efficax damni gravis et injusti. — *Lugo et alii communiter.* — *V. Casus, n. 667, 670.*

§ IV. De palpone.

684. — *Palpo* dicitur qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnificandum. De palpone hæc tenenda:

1° Qui induxit alium ad damnum inferendum proponendo laudem aut secus ignominiam secuturam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, cum nempe agendi motiva de se communiter efficacia proponuntur. Quocirca palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est, ac consulens: de quibus vid. supr. n. 676 et seq.

2° Qui homini injuria affecto ita repræsentant hujus injuriæ magnitudinem, ut ille commotus vindictam sumat, ad restituendum tenentur, modo saltem probabiliter damnum secuturum esse adverterint.

3° Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus jam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur. — *S. Lig. n. 567.*

§ V. De recursu, seu de receptante, vel recursum præbente, hæc tenebis:

685. — 1° Receptans, nimirum qui scienter ac libere latroni præbet assecurationem, tenetur de damnis exinde provenientibus. Sic enim furis volun-

tatem in proposito vel furandi, vel non restituendi, vel iterum furandi, efficaciter ac injuste determinat, aut firmiorem efficit.

2^o Pariter ad restitutionem tenentur mercatores et præsertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, servorum, etc., vel ea occultant, aut etiam sibi vindicant in pretium mercium, computationum, etc.

3^o Inter receptantes computandi non sunt illi qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi qui eos sub spe emendationis occultant, vel iis ostendunt viam qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quæruntur. — *S. Lig. n. 568.* — *V. Casus. n. 672, 674.*

§ VI. De participante.

Participans duplex est: alius in præda, alius in actione damnosa. Hinc statuenda sunt sequentia.

Principia.

686. — I. Participans in præda tenetur ad restitutionem partis quam accepit et apud se delinet; patet ex superius dictis de possessore mala fidei.

II. Participans in actione damnosa, seu concurrens cum alio, sive immediate sive mediate, ad damnum physice inferendum, tenetur generatim loquendo ad restitutionem, quotiescumque cooperatio illius realiter influxit in substantiam damni. — *S. Lig. n. 571.*

III. Quandoque tamen a restitutione excusabitur participans in actione damnosa, præsertim si mediate tantum concurrat, dummodo adsint requisitæ conditiones, nempe: 1^o ut actus non sit intrinsece malus; 2^o ut eliciatur ex causa relative gravi; 3^o ut bonus effectus a cooperante intentus immediate oriatur a causa bona vel saltem indifferenti. *Recole dicta de Act. hum., n. 9, et de Caritate, n. 248.* — *Billuart, diss. VIII, art. 13.* — *Carrière, n. 1197.*

Quæsitæ.

687. — QUÆR. 1^o *An vel quando licita sit immediata cooperatio ad damnum proximi in materia justitiæ?*

Resp. 1^o: Quoad damnum vitæ numquam licet immediate cooperari ne cum vitæ quidem periculo; quia nunquam licet occidere directe innocentem.

Resp. 2^o: Quoad damnum membrorum nunquam pariter licet, ad mortem quoque vitandam, immediate concurrere ad alterius mutilationem, nisi forsitan pro avertenda ipsius morte.

Resp. 3^o: Quoad damnum in bonis fortunæ, tres communiter admittuntur casus, in quibus ex metu gravi licita est cooperatio, propterea quod dominus non censetur rationabiliter invitus, scilicet: 1^o si cooperans possit ac velit damnum reparare; 2^o si damnum grave absque cooperante æqualiter et certo ab agente principali illatum fuisset; 3^o si damnum sit leve respectu domini: tunc enim ex Caritate illud æquo animo ferre debet.

Controvertitur autem, an tibi liceat cooperari immediate ad damnum

grave proximi ex gravissimo metu, v. gr., mortis, si damnum reparare non possis aut non velis. — *Negant* multi, quia actus videtur intrinsece malus, cum lædat jus proximi, qui rationabiliter invitus merito supponitur. Et sane persona læsa in hanc cooperationem neque ex justitia, quæ non obligat ad vitam alterius cum tanto gravamine proprio servandam, neque ex Caritate, quæ etiam cum tanto incommodo non urget, consentire tenetur. *Billuart*. — *Alii tamen probabiliter affirmant*. Etenim constitutus in extrema necessitate subripere id potest, quo mortem declinet, quia tunc omnia bona sunt communia, ut dictum est *supra* n. 616. Cur igitur ille, cui mors intentatur, non poterit cooperari subreptioni bonorum proximi ad propriam vitam e proximo periculo eripiendam? — *S. Lig. n. 571*. — *Molina*, etc.

688. — QUÆR. 2º *Quænam causa requiratur, ut licita sit cooperatio mediata in materia justitiæ?*

Resp. : Licita erit, quoties aderunt conditiones in principio III indicatæ. Difficultas autem non exigua consistit in decernendo, quandonam reperitur ratio sufficiens sic cooperandi. De hoc porro ex æquo et bono judicandum est. Generatim autem sequentes regulæ proderunt, scilicet : 1º Tanto major requiritur ratio, quanto major est effectus malus exinde secuturus. 2º Tanto major requiritur ratio, quanto propinquius causa influit in damnum. 3º Major requiritur ratio, quando damnum sine tua cooperatione non sequeretur, quam si nihilominus esset eventurum.

Resolves.

689. — 1º Non peccant contra justitiam fabri ferrarii qui indiscriminatum vendunt arma, etsi cognoscant aliquos generatim iis abusuros esse; nam secus commercium prorsus tolleretur. Si vero prævideant in specie aliquos prædictis armis esse proxime abusuros, ea vendere non possunt ob ordinarium lucrum, sed requiritur causa gravis, prout major vel minor est spes abusum impediendi. — *Vogler, n. 315*.

2º Eximuntur ab omni restitutione atque peccato, qui, coacti metu gravis damni, obeunt functiones ad damnum prævias, et in ipsum remote tantum influentes, v. gr., scalam applicant, murum conscendentem adjuvant...

3º Facilior adhuc est excusatio, si non deessent alii qui instrumenta ad damnum necessaria suppeditarent.

4º Imo probabilius non peccas, nec ad restitutionem teneris, si pro vitanda morte reddas gladium apud te depositum domino petenti ad alium occidendum, licet occisio illius a gladii hujus traditione pendeat; quia tua vita vitæ proximi æquivalet. — *Billuart, diss. VIII, art. 13*. — *Vogler, n. 318*. *Carrière, n. 1203, et alii multi, cum S. Lig. n. 571, contra plures*. — *V. Casus, n. 676, 679*.

§ VII. De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis.

Cooperatores negativi ii sunt, qui non impediunt damnum proximi, cum ex officio illud impedire teneantur. Dicuntur vulgo *mutus, non obstans, non*

manifestans. 1° *Mutus* ille est, qui non loquitur, non clamat, non præmonet damnificandum, dum ad id ex officio vel contractu tenetur. 2° *Non obstant* dicitur, qui, dum inferitur damnum, non obstat, rem non custodit, licet id ex justitia præstare debeat. 3° *Non manifestans* vocatur, qui, post damnum illatum, damnificatorem domino læso, vel Superiori non denuntiat, licet ex officio atque adeo ex justitia denuntiare debeat. Cæterum eadem principia, eademque applicationes morales omnibus hisce conveniunt.

Principia.

690. — I. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi ex officio illud impedire teneatur; qui enim non adigitur ad damnum ex officio impediendum, ex sola Caritate obligatur, cujus violatio ad restitutionem non obligat.

II. Omnes, qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id culpabiliter negligent, ad restituendum tenentur; ex justitia enim damnum impedire debent. Ergo si omittant, contra justitiam peccant, et proinde ad damna resarcienda obligantur.

III. Ut negative cooperans ad restitutionem teneatur, necesse est ut damnum sine gravi incommodo impedire potuerit; quia nec contractus, nec lex positiva cum gravi onere, saltem ut plurimum, obligare solent. — *S. Lig. n. 573.*

Quæsitæ.

691. — QUÆR. 1° *An confessarius teneatur ad restitutionem, si pœnitentem de restitutione faciendâ ex gravi negligentia vel ignorantia monere omiserit?*

Resp. Neg. probabilius. Etenim licet ex officio Confessarius teneatur bene instruere pœnitentem, ideoque peccet graviter, si id omittat, quando necessarium est; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium. Excipe, si Confessarii silentium positivæ approbationi æquivalet, v. gr., si interrogatus responsum ita declinet, ut absentia obligationis pœnitenti suadeatur. — *S. Lig. n. 578.* — *Lugo.* — *Suarez, et alii communiter.*

QUÆR. 2° *An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter non impediunt damna quæ domino inferuntur?*

Resp. 1° Affirm., ut videtur, si agatur de damno illato ab extraneis. Ratio est, quia eo ipso quod famuli in familiam admittantur, censentur obligationem suscipere eam adversus extraneos defendendi. — *S. Lig., l. III, n. 344.* — *Lugo, Vogler, etc.*

Resp. 2° Neg. probabilius, si agatur de damno illato ab aliis famulis, nisi res ipsis specialiter commissa fuerit; quia non videntur conducti famuli nisi ad laborem et familiam ab extraneis defendendam. — *S. Lig. ibid.*

Quidam tamen, nullo facto discrimine inter damnificantes extraneos et domesticos, aiunt famulos teneri ad restitutionem de rebus tantum suæ curæ specialiter commissis, sive damnum a domestico sive ab extraneo inferatur. — Ita *Bonacina, de Restit., d. 1, q. 2, p. 11, n. 7,* citans *Azor et Molin.*

692. — QUÆR. 3^o *An Superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?*

Resp. 1^o: Quoad *forum externum*: *Affirm.*, tum *ex Jure Romano* (præsertim si de servis et filiis agatur), tum *ex Jure Gallico*, in quo expressa mentio fit: 1^o de patre, et, eo defuncto, de matre relative ad filios minores cum ipsis habitantes; 2^o de hero vel mandante relative ad famulos, aut mandatarios; 3^o de institutore et artifice relative ad alumnos. Datur tamen Superiori recursus in damnificantem ad compensationem requirendam.

Resp. 2^o Quoad *forum internum*: 1^o *Affirm.*, si Superioris silentium positivo impulsui æquivalet. 2^o Non tenetur autem, quoties culpa theologica deficit; 3^o nec tenetur *probabiliter*, licet damnum non impediendo graviter peccaverit, si nullatenus silentio suo in illud influxerit, cum præcipue agatur de damno quod alteri non subdito illatum est. Ratio est, quia qualitas Superioris *per se* non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat. — *Lugo.* — *Gousset*, contra *alios.* — *Vide S. Lig. n. 578.*

QUÆR. 4^o *An maritus teneatur de damnis ab uxore illatis, quæ ipse non impedivit?*

Resp.: In foro *interno*, de uxore dicendum videtur, quod de filiis familias aliisve subditis in *Resp.* præc. dictum est. Hinc *probabiliter* ad nihil tenetur ex mero silentio, etiam graviter culpabili. In foro autem *externo*, nihil in *Jure Romano*, neque in *Jure Gallico* statuitur.

693. — QUÆR. 5^o *An consiliarius teneatur ad restitutionem, si per omissionem suffragii injustæ sententiæ non obstiterit?*

Resp. Affirm., si suffragium ferre debeat *ex officio*, quia officium ex justitia adimplendum est saltem communiter loquendo, et seclusa justa causa. *Neg.* autem si jus suffragii habeat *ex privilegio*, seu ex mero favore; tunc enim potest absque injustitia suffragium omittere. — *Lugo, d. XIX, n. 61 et seq.* — *Vogler, n. 304.*

QUÆR. 6^o *An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure, ut taceat, si ex officio clamare non debeat?*

Resp. Neg. probabilius, saltem, *per se*. Ratio est, quia tacere posset ob preces furis absque injustitia, siquidem clamare ex justitia non tenetur. Ergo, *a pari*, ob munera promissa vel tradita tacere potest absque injustitia. — *Lugo.* — *Tamburinus*, etc. — Secus autem dicendum esset, si pecuniam acciperet, ut observet num quis adveniat; quia tunc furto positive cooperaretur.

QUÆR. 7^o *An custodes non denuntiantes damnificatores teneantur compensare omnia damna, et etiam solvere mulctam loco damnificatoris?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, *per se*, quia ad damna impedienda constituuntur; excipe, si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus, ex consuetudine et præsumpta domini voluntate, sufficit secreta admonitio.

Resp. ad 2^{um} *Neg. probabilius* ob praxim contrariam, cui communis sensus concordat. — *Lugo.* — *Lessius.* — *Vogler*, etc. Idem dicendum de judice non procurante damni compensationem, vel mulctam punitivam non exigente. Attamen si apud judicem facta fuerit damnificatoris denuntiatio, ille ad puniendum, et ad damni reparationem procurandam tenetur. — *S. Lig., Hom. apost., tract. XIII, n. 73.* — *V. Casus, n. 681 et seq.*

CAPUT III

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

Præcipuæ circumstantiæ restitutionis hoc versu habentur :

Quantum restitues? cui? quo ordine? quomodo? quando?

ARTICULUS I

QUANTUM SIT RESTITUENDUM?

694. — Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptæ, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in injuriam proximi.

Cum speciales difficultates de sola *solidaritate* occurrant, de ea solum specialiter agemus.

DE SOLIDARITATE

DEFINITIO. Solidaritas, seu obligatio restituendi *in solidum* est onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi.

DIVISIO. Duplex distinguitur solidaritas, scilicet : 1° *absoluta*, quæ locum habet, quando quis tenetur totum damnum reparare; 2° *conditionata*, quando singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis cooperatoribus deficientibus.

Principia.

695. — I. Quilibet ex cooperatoribus concurrens efficaciter ad damnum, ita ut hoc *totum ei moraliter adscribi possit*, tenetur ad restitutionem in solidum, id est in integrum, sive absolute, sive saltem conditionate. Ratio est, quia quilibet est causa efficax et injusta totius damni, et proinde totum reparare debet. — *Vogler, n. 342, et alii communiter.*

II. Alicui autem cooperatori *totum damnum adscribi potest* certo in casu duplici, scilicet : 1° *quoties illius cooperatio est necessaria*, licet non sufficiens, ad totum damnum inferendum; v. gr., si præbeas suffragium necessarium ad injustam sententiam; 2° *quoties cooperatio fit ex conspiratione efficaci*, qua damnificatores ita se efficaciter ad damnum excitant, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret. — *S. Lig. n. 579. — Lugo...*

III. Quicumque est causa principalis damni, tenetur restituere in solidum *absolute*, cæteri autem cooperatores æquales, vel causæ secundariæ, *conditionate* tantum tenentur. Ratio est, quia principalis agens, uti mandans, dux, etc., ipso facto in se suscipit absolute totum onus damni reparandi, cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum. Quisnam autem dici debeat causa principalis, dicetur infra, n. 702.

Quoad causas vero secundarias merito monet *S. Lig., Hom. apost., n. 54*, in praxi raro expedire rudes monere seu obligare ad totum damnum reparandum, licet certo teneantur in solidum; quia isti non facile sibi

persuadent se teneri ad restituendam etiam partem ab aliis ablatam vel destructam.

Quæsitæ.

696. — QUÆR. 1^o *An tenearis IN SOLIDUM, in dubio an influxeris in totum damnum?*

Resp. Neg. probabilius, cum sententia communi, quia onus certum imponi nequit pro incerta obligatione. — S. Ligor. n. 579, etc.

QUÆR. 2^o *An tenearis IN SOLIDUM, in dubio an alii suam partem pro rata restituerint?*

Resp. Neg. probabilius si, facta diligenti inquisitione, dubium perseveret, quia cooperatores non tenentur ad aliud præter partem suam, nisi in defectu alterius; et si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione. — Roncaglia, Salmant., etc., contra alios.

QUÆR. 3^o *An detur obligatio restituendi IN SOLIDUM, ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individux, sed non est de se sufficiens, nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta, v. gr., si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent?*

Resp. Neg., quia, cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, illa non debet esse major quam ipse influxus. — Aliunde qui concurreret ad partem damni dividui, licet cum aliis concurreret ad totum damnum quatenus pars confert ad totum complendum, sane ad totum restituendum non teneretur; ergo, a pari, qui concurrat partialiter ad damnum individuum, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam partialem posuit. — Lugo, d. XIX, n. 82. — Vogler, n. 343. — S. Lig. hoc dicit probabile, n. 579.

697. — QUÆR. 4^o *An tenearis IN SOLIDUM, si actio tua fuit, quidem sufficiens ad totum damnum inferendum, sed minime necessaria, neque ex conspiratione processit, v. gr., si ignem domui alienæ simul cum pluribus aliis apposueris?*

Resp.: Controvertitur. Affirmant probabiliter, imo et probabilius non pauci, quia, ubi actio tua fuit sufficiens ad effectum damnosum, reapse totum damnum moraliter tibi et singulis aliis est adscribendum. Roncaglia, Sanchez, Salmant., etc. — Negant vero alii probabiliter, quia licet actio damnificativa sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum nec fuerit necessaria, neque communis cum aliis ex conspiratione. Ergo non est causa moralis totius damni. Nec refert quod de re individua agatur; quia cooperatio ad totum damnum non extenditur. Attamen id intellige, quoties sine tuo concursu damnum nihilominus evenisset; secus enim etiam actio tua ad illud necessaria dicenda foret. — Sporer. — Navar., etc. — Utramque sententiam probabilem habet S. Lig., n. 679, et Hom. apost., n. 55.

Resolves.

698. — 1^o Si quis ex cooperatores, qui conditionate in solidum restituere tenentur, totum damnum reparaverit, alii liberantur ab omni debito erga creditorem; sed ille, qui totum restituit, recursum habet contra alios damnificatores æque obligatos, ut ratio perspicua demonstrat.

2° Si furi, qui propter efficacia motiva jam omnino determinatus est ad furandum, suggeras novum motivum quod stimulum ei addat, non teneris, deficientibus cæteris cooperatoribus, totum damnum resarcire, quia motivum tuum in damni substantiam non influxit.

3° Imo *probabiliter* ob eandem rationem nihil refundere debes ex justitia, si tantum inducas alium, ut aliquanto citius aut alacrius damnum inferat. — *V. Casus, n. 693.*

ARTICULUS II

CUI SIT RESTITUENDUM?

699. — 1° Restituendum est domino certo et noto, quoties absque gravi difficultate et alterius injuria fieri potest, nec alia adest causa a restitutione excusans. — *S. Lig., Hom. apost., n. 64.*

2° Qui subduxit rem apud alium depositam, vel locatam aut commodatam, non domino, sed ipsi possessori restituere debet. Possessor enim sine injuria privari nequit jure custodiae, usus, vel possessionis, nisi ipse consentiat. — *Hom. apost., ibid.*

Quid autem agendum est, si dominus sit dubius, aut incognitus, vel si, licet cognitus sit, adiri non possit? Hæc tenenda videntur:

1° Si post diligentem inquisitionem dubius sit dominus, vel dubium vertitur inter paucos, vel inter multos. Si prius, ipsis pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini præsumpti. Si posterius, v. gr., quia aliquis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ecentes ordinarios, qui damnificati præsumuntur, si facile fieri possit; secus restitutio pauperibus facienda est. — *Hom. apost., ibid.*

2° Si dominus sit plane incognitus, vel si, licet cognitus, moraliter tamen neque immediate neque mediate adiri queat, distinguendum est: vel enim res aliena bona fide acquisita possidetur, vel mala. Si bona, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest (*vide supra, num. 578*), et proinde vel in causas pias sunt erogandæ, vel etiam a possessore retineri possunt. Si vero mala fide, possessor tali re omnino se expoliare debet, atque in opera pia aut communi bono utilia impendere. Nefas enim est malitiam furi aut malæ fidei possessori prodesse. — *Hom. apost., n. 67, 69.*

Quæsitæ.

700. — QUÆR. 1° *An quando creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel ejus creditoribus restituere debeas?*

Resp.: Generalim loquendo, creditori tuo restituere non debes, sed creditoribus ejus debitum tuum est a te manifestandum. Ratio est, quia licet creditores cedentis bona dominium directum in illius bona non habeant, jure tamen stricto gaudent, ut ex illis, bonis indemnes serventur. Attamen quandoque posses tuo creditori restituere, v. gr., si debitum sit exiguum, si probus sit, et credas illum esse creditoribus restitutum;

item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia, ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea quæ ad vivendum omnino necessaria sunt. — *S. Lig. n. 699.* — *Gousset, n. 772.*

701. — QUÆR. 2^o *Quinam restituere debeat debitor EX DELICTO, si dominus læsus inveniri nequeat?*

Resp. : Juxta communem sententiam restituere debet pauperibus, vel causis piis. Ratio est, quia, ex sensu communi, dominus incognitus per pauperes vel pias causas censetur repræsentari; præsumitur enim talem esse ejus voluntatem, quoties rem suam injuste ablatam vel damnificatam recuperare nequit. — *Ita S. Thom., 2. 2., q. 62, art. 5, etc.* De hoc certo constat ex *Jure Can.*, quoad lucrum *usurarium* et *simonicum*. Videtur etiam lex canonica ex *consuetudine* ad cæteros casus extendi : *consuetudo autem optima est legum interpret.* Apparet igitur circa hoc *jus quoddam gentium* introductum esse.

Dicunt *quidam* debitorem posse ea impendere in utilitatem quamlibet publicam etiam profanam. Verum in praxi consuetudini generali standum est. Nunquam autem possessor malæ fidei, neque damnificator injustus debitum retinere potest prætextu quolibet, etiam paupertatis, quia nemo ex malitia sua commodum reportare debet, ut jam dictum est *supra n. 699.* Unde sola ratione impotentia, et ad tempus excusari posset. Neque debitor ille obligationi satisfaceret, si alicui privato non pauperi restitueret.

ARTICULUS III

QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM?

Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum qui restituere debent, quando plures in idem damnum cooperati sunt, tum ex parte eorum quibus restituendum est.

§ I. De ordine restitutionis inter cooperatores.

702. — Ad ordinem restitutionis *in solidum* assignandum inter cooperatores in damnum alienum, inspiciendum est, num aliquis eorum damni causa sit *principalis*, seu primaria; utrum *secundaria*, seu subordinata; an denique *collateralis*, seu æqualis. Cooperatores enim in damnum concurrere possunt vel eodem modo seu gradu, vel modo diverso.

Principia.

I. Si omnes *eodem modo* concurrerint, singuli æqualiter *in solidum conditionate* restituere debent, absque ullo ordine determinato, quia nemo eorum majus periculum suscipit. Dixi *conditionate*, id est, quando cæteri cooperatores non restituerent, vel nullus *in solidum* solveret. — *Vogler, n. 361, etc.*

II. Si *diverso modo* concurrant, distingues iterum : nam vel ex furto, vel ex mero damno restituendum est.

Si *ex furto*, primo loco tenetur possessor, qui rem habet in individuo vel in æquivalenti, vel qui illam injuste consumpsit: deinde mandans vel raptor, si mandans desit; tertio tenentur cæteri cooperatores positivi; tandem cooperatores negativi.

Si vero *ex damno*, tenetur primo mandans, quando aliquis adfuit: est enim causa principalis; secundo exsecutor, etiam quando nomine *mandantis alicujus egit*, quia relative ad alios, juxta communem sententiam, est causa principalis; deinde cæteri cooperatores positivi; demum cooperatores negativi. — *Vogler*, etc. — *S. Lig. n. 580; Hom. apost., n. 60.*

Resolves.

703. — 1° Ad nihil tenentur causæ secundariæ, si causa principalis restituerit aut remissionem debiti obtinuerit; causæ enim secundariæ tantum tenentur in defectu causæ principalis, cujus obligatio cessavit. — *S. Lig. n. 581.*

2° Si una ex causis minus principalibus restituit, causa principalis tenetur eam indemnem facere, quia minus principalis jus creditoris contra principalem acquirit. — *S. Lig., ibid.*

3° Si creditor solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis, quia obligatio principalis causæ est independens ab obligatione causæ secundariæ. Imo quamvis uni e secundariis creditor remittat, non ideo liberæ sunt aliæ causæ secundariæ ab obligatione suam partem restituendi, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito præsumi possit. — *Lugo.* — *Vogler.* — *S. Lig., ibid.* — Excipe ex Jure Gallico, si debitum sit ex contractu (*art. 1285*).

4° Si una ex causis æqualiter obligatis totum debitum restituerit, aliæ tenentur ei partem rependere, quia quisque pro rata suæ culpæ satisfacere debet. Quod si unus non posset aut nollet suam partem restituere, cæteri eam inter se dividere deberent.

5° Consulens vel consentiens non tenetur *per se* ante exsecutorem; hic siquidem prior tenetur, quia exsecutor, deficiente mandante, est causa principalis damni. — Id tamen intelligitur, quando consilium, ut sæpe fit, utile est soli exsecutori: nam si utile sit soli consulenti, hunc teneri primum; si autem utrique, utrumque pro rata teneri censet *S. Lig. n. 560*, cum *Lacroix, Lugo et Lessius.* — *V. Casus, n. 693 et 697.*

§ II. De ordine restitutionis quoad creditores.

704. — Agendum hic est de solo casu, in quo debitor ad satisfaciendum omnibus suis creditoribus impar est; alias enim nullus ordo in solvendis debitis necessario servandus est.

Creditorum autem sunt: 1° alii *privilegiati*, qui ex legis positivæ privilegio jus habent debitum suum ante alios repetendi; 2° alii *hypothecarii*, qui, ex titulo *hypothecæ* seu *assecuracionis* in bonis debitorum fundatæ, jus habent solutionem obtinendi statim post creditores privilegiatos; 3° alii *communes*, qui nullo privilegii aut hypothecæ beneficio gaudent.

Principia.

705. — I. Ante omnia solvi debent debita privilegiata. Sic ex Jure Rom. et Gall. Debita autem privilegiata sunt, v. gr., impensæ quæ dicuntur *justitiæ*, tum etiam expensæ funebres, stipendia medicorum et famulorum pro anno currente et præcedenti, debita pro cibis, a sex ultimis mensibus. — *C. C.*, 2101.

II. Secundo loco satisfaciendum est creditoribus hypothecariis, servato temporis ordine, juxta regulam 54 Juris in 6°: *Qui prior est tempore, potior est jure.*

III. Demum tertio loco solvi debent debita communia, utpote nullum jus prælationis habentia.

Ex Jure Romano res aliena apud debitorem existens, v. gr., in deposito, locato, etc., ante omnia debita quantumvis privilegiata restitui domino suo debet; res enim illa in specie existens *domino clamat*. Item res emptæ ad creditum, pretio non soluto, aut saltem pignore, fidejussione, vel data fide non assecurato, si adhuc in sua specie exstet. — Ex Jure autem Gallico res vendita non soluto pretio manet obligata venditori adversus cæteros omnes creditores quoad pretii solutionem; imo et ipsa a venditore repeti potest, si mobilis sit, sed intra octo dies a traditione tantum. — *C. C.*, 2102, 2103. — Vide etiam dicenda *inf. n.* 885.

Quæsitæ.

706. — QUÆR. 1° *An debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu?*

Resp. Neg., *probabilius*, sed omnia æque solvenda sunt pro rata quia nullo jure constat priora posterioribus esse præferenda. — *S. Lig. n.* 688.

QUÆR. 2° *An debita ex titulo oneroso solvi debeant ante debita ex titulo gratuito?*

Resp. Affirm., quia qui gratuito promittit, apponit semper tacitam conditionem: *si commode præstare valeam*; nec gratis bona expendere potest cum præjudicio creditoris ex delicto vel ex contractu. — *S. Lig. n.* 689. — *Lugo.* — *Lessius.* — *Billuart.*

QUÆR. 3° *An creditores pauperes divitibus necessario præferri debeant?*

Resp. Neg., nisi sint in extrema necessitate, quia nullum jus prælationis habent; et jus divitis tam strictum est quam pauperis, cum justitia commutativa ad personas non attendat. — *S. Lig. n.* 691. — *Lugo, d. xx, n.* 461, etc.

QUÆR. 4° *An præferendi sint creditores tempore priores posterioribus?*

Resp. Neg. probabilius, quia lex nullam prælationem inter hæc credita assignat; ex jure autem naturali omnes creditores sunt æquales, cum singuli dumtaxat in debitoris personam, quæ sola æque singulis obligata est, non autem in hujus bona jus habeant. Si enim essent obligata bona debitoris, creditores eorum dominium jam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod falsum est. — *Vogler, n.* 439. — *Lessius.* — *Carrière, de Contr., n.* 391.

Affirmant tamen plures, quia (aiunt) *prior tempore debet esse potior*

etiam *jure*. — *Ita Lugo, Salmant.*; et hoc dicit probabilius *S. Lig. n. 690*, licet priorem sententiam ut *probabilem* habeat.

707. — QUÆR. 5^o *An creditores certi incertis, seu incognitis, sint a debitore anteponendi?*

Resp. Affirm. probabilius, si creditor incertus inveniri nequeat. Ratio est, quia creditor ille incertus non censetur *rationabiliter invitus*, cum debitum suum recuperare nequeat. Aliunde durum foret denegare debitori facultatem liberandi se a creditore a quo persequendus sæpe foret, ut pauperibus obviis, creditorem incognitum representantibus, restituat. Saltem creditores certi licite incertis anteponi possunt. — *Ita communiter*. — *Lugo, d. xx, n. 2.* — *Antoine.* — *Vogler contra Billuart.*

QUÆR. 6^o *An prius petenti liceat prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?*

Resp. 1^o Affirm., si *juridice* petat, quia legitima judicis sententia vim privilegii creditori confert. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 692.* — *Vogler, n. 444.*

Resp. 2^o Affirm., *probabilius* etiam si petat extra judicium, quia actionem personalem in debitorem habet, et, totum debitum petendo, jus suum prosequitur. — *S. Lig. n. 692 (ut probabilius).* — *Billuart.* — *Lessius.* — *Salmant.*, etc. contra *Lugo.* — *Carrière.*

QUÆR. 7^o *Utrum debitor, sciens suum statum labilem, etiam non petenti integre satisfacere possit?*

Resp. Neg., quia cum omnes creditores sint *jure æquales*, nec ullum inter illos jus suum prosequatur, et proinde per diligentiam nemo potior in petendo evadat, postulat æquitas naturalis, ne alicui integra restitutio fiat cum aliorum præjudicio. — *S. Lig. n. 692.* — *Lessius et alii communiter.*

QUÆR. 8^o *An creditor, qui in hoc casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores teneatur?*

Resp. : Controvertitur. I^a Sententia affirmat, quia nullum jus habet ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento. — *S. Lig., ibid.* — *Salmant.*, etc.

II^a Sententia negat, quia ex dictis *probabiliter* creditor, *jus personale* habens, nemini facit injuriam solutionem debiti etiam extra judicium urgendo; ergo neque acceptando, cum jus exigendi habeat. — *Lessius et alii apud Lacroix.* Excipe tamen casus in quibus talis solutio invalida per legem declaratur. Sic in Gallia, ex lege 28 Maii 1838, prorsus invalida est debiti solutio facta post, vel intra decem dies ante declaratum a Tribunali commercii bonorum cessionem.

ARTICULUS IV

QUOMODO SIT RESTITUENDUM?

708. — Generatim dici potest, requiri et sufficere, ut restitutio eo modo fiat, quo justitia violata plene seu ad æqualitatem reparetur, et sic dominus læsus indemnis fiat.

Hinc : 1^o non est necessarium *per se*, ut restitutio palam fiat; imo sæpe

eo modo fieri nequit, quando famæ quoque et honori restituentis consulendum est.

2° Non est necessarium ut restitutio fiat per ipsum debitorem, sed fieri per alium potest, modo res domino reddatur. Potest aliquando fieri per Confessarium; magna tamen cautela tunc opus est, tum ut sigillum confessionis illæsum remaneat, tum ut pœnitens resciat creditori reipsa satisfactum fuisse, ne ulla suspicio contra Confessarii probitatem suboriri queat.

3° Non est necessarium ut restitutio fiat advertente domino; quia hoc non requiritur ut hic sit indemnis. Unde debitor restituere potest, v. gr., augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando, et sexcentis aliis modis.

Quæsitæ.

709. — QUÆR. 1° *An valeat restitutio facta per simulatam donationem?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*. Ratio est, quia ad solutionem non requiritur, ut debitor externe fateatur se solvere. Hinc satisfacit debitor, quoties solvit etiam in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. — *Ita communis*. — *Vogler*, n. 534. — *Carrière*, n. 1265, etc., contra *Billuart*.

QUÆR. 2° *An si creditor, gratitudine motus, aliud donum illi rependat, hoc ei restituendum sit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia donatio ista non videtur *plene voluntaria* et *spontanea*, prout esse debet essentialiter donatio mere *gratuita*; procedit enim ex opinione obligationis antidotalis seu gratitudinis, quæ falso nititur fundamento. — *Ita Carrière, ibid.*, contra *Tamb.*, etc.

QUÆR. 3° *Quo loco, et cujusnam expensis faciendæ sit restitutio?*

Resp. 1°: Si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta et retenta, restitutio non necessario faciendæ est in alio loco, quam in quo nunc res existit; nec hujusmodi debitor in alium locum, ubi jam dominus forte degit, rem transmittere tenetur. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere, ex quo illum non dejecit per formalem injuriam.

Resp. 2°: Si obligatio restituendi orta sit ex delicto, restitutio faciendæ est in loco, in quo dominus rem esset possessurus si ablata non fuisset, idque debitoris sumptibus. Ratio est, quia creditor debet indemnis servari, et nullum ex iniquitate debitoris damnum pati, sed in statum pristinum restitui. — *S. Lig. n. 677*.

Resp. 3°: Si res ex contractu solvi debeat, standum est clausulis contractui appositis, si de loco et modo translationis fuerit conventum. Quando autem nulla de his conventio facta est, ad leges speciales pro contractuum diversitate attendendum est.

710. — QUÆR. 4° *An debitor ex delicto etiam expensas solvere debeat pro re domino remittendæ, si illæ expensæ valorem rei ipsius superent?*

Resp. 1° Affirm., si excessus non sit valde notabilis, quia et debitor, committendo injustitiam, tale onus in se suscepit, et dominus non tenetur rei suæ jacturam pati. — *Ita communiter*. — *Lugo, d. xx, n. 190*.

Resp. 2° Neg. autem *probabilius*, si istæ expensæ essent maximæ respectu valoris rei remittendæ. Tunc autem, ex præsumpta creditoris voluntate,

restitutio pauperibus facienda esset. Recta enim ratio et caritas dicant, creditorem non posse exigere, ut sibi fiat restitutio cum quibuscumque expensis. — *Ita Vogler, n. 415. — Lugo, n. 185. — Billuart, diss. VIII, art. 16. — S. Lig. n. 598, ubi dicit, hanc esse sententiam communissimam.*

Quanta autem esse debeat jactura debitoris, ut a restitutione ipsi domino facienda excusari possit, non conveniunt theologi. Hanc regulam sat communiter tradunt: Quando omnibus pensatis damnum, quod debitor patitur, damnum creditoris tantum duplo superat, non est sufficiens, ut dominus re sua privetur. Si vero hanc proportionem superet, sufficit ut restitutio saltem differatur. Sed pro variis circumstantiis hæc regula modificanda est. — *Ita Lugo, d. XX, n. 190. — S. Lig. n. 598, etc. Hodie vero hæc controversia vix locum habere potest propter facilitatem res vel pecuniam alio transferendi.*

711. — QUÆR. 5^o *An debitor iterum restituere debeat, si debitum per personam fidelem miserit, et illud casu vel culpa tertii pereat?*

Resp. 1^o: Debitor ex possessione bonæ fidei ad nihil tenetur; quia, seclusa culpa et pacto, res perit domino, qui est ipse creditor. Teneretur tamen post judicis sententiam, si culpa juridica intercessisset.

Resp. 2^o: Debitor ex contractu ad nihil tenetur, si agatur de re alterius existente in natura, accepta in commodatum vel depositum, etc., quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de pretio solvendo; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii transmissi, usquedum in manus ejusdem tradatur.

Resp. 3^o: Debitor ex delicto a restitutione non liberatur, et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum vere indemnem non effecerit; quia semper remanet culpabilis causa damni quod hic patitur. — S. Lig., n. 704, ubi tamen non audet damnare excusantes hujusmodi debitorem qui per Confessarium rem debitam remisit.

Excipe casum triplicem, in quo ab omni onere debitor eximitur, nempe: 1^o si dominus designaverit personam, per quam sibi rem debitam mitti velit; 2^o si creditor personam quidem non elegerit, sed debitori reliquerit libertatem eligendi quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur; 3^o si persona hæc arbitrio judicis designata fuerit.

712. — QUÆR. 6^o *Quomodo restituendum pro damnis Reipublicæ illatis?*

Resp.: Restituendum est per media ab ipso Gubernio constituta, si hujusmodi media existant. Attende igitur ad varias locorum leges. Si vero talia media constituta non fuerint, alii dicunt restituendum esse per tributorum præpositos, alii vero tenent obligationi justitiæ satisfieri, si pauperibus restituatur. — *Vide Carrière, n. 1240, ubi nullum dicit existere modum legalem in Gallia, quo hujusmodi restitutiones fiant. — V. Casus, n. 707.*

ARTICULUS V

QUANDO SIT RESTITUENDUM?

713. — I. Quoad debita *quælibet*, generatim restituendum est quamprimum fieri potest sine gravi incommodo. Jus enim naturale exigit, ut rem alienam, invito rationabiliter domino, non retineas.

Hinc: 1° qui culpabiliter differt restitutionem, manet in peccato continuo, et absolvi nequit. Insuper si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur.

2° Si quis, habens propositum restituendi, aliquo tempore differat citra grave domini incommodum, non facile damnandus est de peccato mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. gr., spes occasionis commodioris, etc. — *S. Lig., Hom. apost., n. 104, 105.*

3° Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus; quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo qui, cum per vitæ decursum possit restituere, differt tamen usque ad mortem; vel qui in periculo mortis constitutus, rejiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi in hæredes suos; nisi forte de restitutione bonorum incertorum agatur. — *Hom. apost., ibid.*

II. Quoad debita *ex injuria*, compensanda sunt damna omnia quæ ex dilatione secuta sunt, etiam quando mora fuit inculpabilis. — *Hom. apost., ibid.*

Utrum autem debeant compensari etiam damna extraordinaria, seu quæ non necessario sequuntur ex dilatione restitutionis *controvertitur*. — *Probabiliter* negandum videtur, quia hæc damna prævideri non potuerunt, nec proinde imputari possunt. — *Vogler, n. 426. — Lugo, etc.*

744. — III. Quoad debita *ex contractu*, generatim standum est conditionibus contractui apposis circa tempus, vel circa alias circumstantias nisi prudenter præsumatur aliam esse alterius contrahentis voluntatem.

Hinc: 1° restitutio seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est.

2° Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in ejus favorem, ut ordinariè fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut, v. gr., in præstatione pecuniæ cum lucro percipiendo.

3° Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi expectare potest generatim, donec moneatur a creditore, nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat.

4° Si debitor habeat justam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens. — *Ita communiter, cum S. Lig. num. 680.*

QUÆR. *An qui distulit restitutionem ex justa causa, teneatur compensare lucrum cessans vel damnum emergens?*

Resp.: Tenetur, quando debitum provenit *ex delicto*; quia licet non peccaverit restitutionem differendo ex justa causa, attamen ex præcedenti læsione et vere causa injusta et culpabilis illius damni. — *Ita communius et probabilius, cum S. Lig. n. 680 et 704, contra alios.* — Si vero debitum *ex contractu* proveniat, non tenetur; quia tunc debitor non est causa injusta et culpabilis illius damni, cum in mora culpabili minime supponatur, adeoque non apparet quo titulo ad id teneatur. — *S. Lig., ibid., et alii communius. — V. Casus, n. 704.*

CAPUT IV

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS

715. — I. *Excusant ad tempus*: 1° *impotentia physica*, seu omnimoda impossibilitas, quæ habetur in necessitate extrema; imo etiam in necessitate valde gravi debitoris ipsius sive suorum, id est uxoris et proximorum consanguineorum; 2° *impotentia moralis*, seu gravis difficultas restituendi, quando nempe restitutio fieri nequeat absque gravi incommodo debitoris, v. gr., si debeat restituendo notabiliter decidere e statu suo juste acquisito, aut in gravem necessitatem incidere, etc. Ratio est, quia tunc est vera impossibilitas restituendi; in moralibus enim dicitur impossibile, quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. — Hinc si nobilis non potest restituere, nisi se privet famulis, equis, armis; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat artis suæ instrumenta, aut magnum damnum subeat restitutionem differre potest et debita paulatim solvere. — *S. Lig., Hom. apost., n. 117.*

Excipiunt plures, si debitor culpabiliter, v. gr., ludis, crapulis, in talem necessitatem se conjecerit. — *Ita Laymann, Lacroix, Busemb. cum aliis.* Sed *S. Lig., Hom. apost., n. 118*, ait: *Hoc non obstante, si debitor e statu suo juste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Cæterum recte advertunt S. Anton., Sporer; Elbel, quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminueri, ut restituat saltem quod potest.*

716. — II. *Excusant in perpetuum*: 1° *remissio*, vel condonatio debiti ex parte creditoris; requiritur autem ut creditor possit condonare, et dominium et administrationem rei sibi debitæ habeat: item ut remissio non obtineatur vi, vel fraude, sed fiat omnino libere et spontanee; 2° *compensatio*, id est, quando creditor auctoritate propria æquivalens sibi vindicat, vel idem debitum sibi retinet; 3° *præscriptio* debitis vestita conditionibus. Præscriptio autem pro debitis non completur regulariter nisi per 30 annos; nec communiter haberi potest quoad ipsum debitorem, qui debitum contraxit, quia bona fides in eo reperiri nequit. — *S. Lig. n. 700, etc. Recole dicta de præscriptione, n. 580 et seq.*

Quæsitæ.

717. — QUÆR. 1° *An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate, sive gravi, sive extrema, cum creditore?*

Resp.: 1° Si creditor jam reperiatur in gravi necessitate, et debitor restituendo in illam decidat, restituere debet juxta omnes.

2° Si uterque jam reperiatur in necessitate gravi, et debitor restituendo in extremam decideret, *disputatur*. *Probabilius* excusatur a restitutione quæ non debetur *ex delicto*. Imo probabiliter etiam si *ex delicto* debeatur; quia debitor tunc restituendo se subjiceret damno sane graviori. Excipe, si res ipsa in specie adhuc existat. — *Ita communiter.*

3° Si uterque sit in extrema necessitate, *probabilius* omitti potest restitutio, nisi propter ipsam rei debitæ subtractionem creditor versetur in tali necessitate; ratio est, quia tunc omnia fiunt communia. — *Bonac.* — *S. Lig. n. 701; Hom. apost., n. 119.* — *Lugo* tamen cum aliis non improbabilius oppositum tenet, *disp. XXI, n. 4.*

718. — QUÆR. 2° *An restituere teneatur qui rem alienam in extrema necessitate accepit et consumpsit?*

Resp. : 1° Si habeat alibi propria, *affirm.*; ratio est, quia etiam tempore necessitatis non est vere impotens. — *S. Lig. n. 520, et alii communiter.*

2° Idem dicendum est, si actu quidem nihil habeat, sed habeat in spe probabili; quia ejusmodi necessitatem patienti sufficienter per pecuniam mutuam sine censu prospicitur. — *S. Lig. n. 520.*

3° Si nulla spes affulgeat actu, non tenetur; quia tunc rem suam fecit. — *Ita communius theologi S. Lig., ibid.*

QUÆR. 3° *An excusetur a restitutione qui, debiti immemor, aliquid gratuito creditori suo donavit?*

Resp. : Duplex datur sententia.

1^a *Sententia negat.* Ratio est, quia quod gratuito donatur, nequit haberi ut debiti solutio. — *Ita Sanchez. — Vogler.*

II^a *Sententia affirmat* cum *Lacroix, n. 452. — Tamb., etc.* Ratio est, quia censetur quisque velle prius obligationi justitiæ satisfacere, quam meræ liberalitati. Prima sententia est *communior* et *valde probabilis*; sed secunda non caret sua probabilitate, ait *S. Lig., n. 700*, et hanc sat probabilem dicit, *Hom. apost., n. 120.*

QUÆR. 4° *An gravatus debitis possit ingredi religionem, ut liberetur a debitis, si ingressus fuerit?*

Resp. ad 1^{um} Neg., si brevi habere possit unde solvat; secus *probabilius per se*, si debeat per tempus notabile exspectare. — *S. Lig., n. 71, de Statibus; Vogler, etc.* Attamen, si debita sint magni momenti, talis ingressus, licet *validus*, Jure canonico prohibetur ut *illicitus*.

Resp. ad 2^{um} : 1° Religio non tenetur hæc debita solvere ex bonis propriis, ut patet; 2° Religiosus tenetur exsolvere ex bonis, quæ habuit ante professionem, vel quæ ei obveniunt per legatum, si vota simplicia tantum emisit; secus vero, si solemniter professus fuerit. — *Ita communiter.*

719. — QUÆR. 5° *An cessio bonorum sive judiciaria, sive voluntaria, excuset a restitutione in perpetuum?*

Resp. 1° Neg., prorsus quoad cessionem *judiciariam*, quia illa cessio est merum beneficium, quod lex concedit debitori bonæ fidei et infelici, ut bona cedens libertatem conservet, et a coactione in foro externo immunis evadat. Constat ex terminis expressis Juris tum Romani, tum Gallici.

Resp. 2° : Imo *Neg.* etiam quoad cessionem *voluntariam*, seclusa conventionione vel *expressa*, vel saltem *implicita*. Ratio est, quia quamvis creditores tunc componant cum debitore de certa tantummodo parte solvenda, sic tamen agunt, quia plus habere nequeunt, nec propterea renuntiant juri quod ad integram solutionem habent, si debitor aliquando solvere queat. *S. Lig. n. 669. — Billuart, diss. VIII, art. 20.*

Dixi, *seclusa conventionione*; quia si creditores *expresse* liberent, vel clare videantur liberare *totaliter* debitorem, hic ad nihil ulterius tenetur.

720. — QUÆR. 6° *An liberetur a restitutione, qui debitum solvit creditori creditoris sui: v. gr., tibi debeo 100 francos, tu vero debes 100 Titio; an satisfaciam solvendo 100 Titio?*

Resp. Affirm., per se ad juris apicem. Ratio est, quia ego, solvens creditori tuo id quod ipsi debes, acquirō jus quod ille habebat suum a te debitum requirendi: unde jus quod in te habeo, juri quod in me habes, æquivalēt, et fit compensatio. Etenim potest creditor tuus in me jus suum transferre, seu possum ego illud emere, sicut quilibet alius, qui nihil tibi debeat. — *S. Lig. n. 700. — Billuart, diss. VIII, art. 14, § 1. — Vogler, n. 541, et alii communiter.*

Dixi 1° *per se*, quia non liberor, si forte tu adhuc cogēris solvere, vel creditores privilegiales aut hypothecarios habeas.

Dixi 2° *ad apicem juris*; quia talis solutio, si absque causa fiat, illicita erit ob varia incommoda quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. — *Billuart, ibid.*

721. — QUÆR. 7° *An debitor liberetur in dubio, vel probabilitate solutionis?*

Resp. 1° Neg. in mero dubio, ut patet. Obligatio enim semel contracta adimplenda est, nisi solida ratio peractam esse solutionem suadeat. — Idem tenendum est ubi præsumptio debitori adversatur; quod sæpius evenire solet, præsertim quando dubium ejus negligentiae tribuendum est.

Resp. 2°: In vera probabilitate, controvertitur:

I^a sententia communior negat. Ratio est, 1° quia non satisfit obligationi certæ per impletionem dubiam; 2° quia onus debitori incumbit attendendi et invigilandi ut certo restituat; unde exortum dubium imputandum est ipsius negligentiae, ex qua creditor damnum pati non debet. — *S. Lig., n. 700, et l. I, n. 27 et seq. — Lugo, d. XVIII, n. 12. — Lacroix, n. 571* (licet oppositum teneat, sicut ipse *Lugo*, ubi de alia obligatione ac de justitia agitur), *et alii multi.*

II^a Sententia dicit restituendum esse pro rata dubii, saltem si uterque dubitat; quia, cum creditor non habeat jus nisi probabile, æquum non est ut tantum ipsi solvatur, quantum solveretur si jus certum haberet. — *Tambur., Laymann. — Diana. — Reuter dicit hoc probabile, n. 449*, licet oppositum ut *probabilius* habeat.

III^a Sententia debitorem ab omni obligatione liberat, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. — *Ita Bossius. — Tannerus. — Viva, etc., apud Lacroix et Reuter.* Licet hæc tertia sententia speculative sua gaudere possit probabilitate, in praxi tamen generatim non videtur sequenda, quia debitor communiter dubium imputare suæ negligentiae debet.

Attamen si debitori faveat major probabilitas, et sit probus, diligensque in debitis solvendis, inquietandus non foret; major enim præsumptio pro solutione peracta tunc haberetur. *A fortiori* restitutionem non urgebis, si debitor dicat se certe satisfacisse, licet creditor adhuc reclamet.

722. — QUÆR. 8° *An excuset a restitutione condonatio rationabiliter præsumpta?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius*, quia retentio rei alienæ, seu omissio restitutionis, non est injusta, nisi invito domino fiat. Non fit autem invito

domino vel creditore, si fiat ex ejus voluntate rationabiliter præsumpta. Ergo... Sic excusari possunt facilius filii familias, si pecuniæ summam sat exiguam parentibus surripuerint. Item famuli qui esculenta communia consumpserunt. Sed abusus hac in re quam maxime cavendus est, ne sic janua innumeris injustitiis aperiatur. — *Lacroix*, n. 462. — *Lugo*, d. XXI, n. 54. — *S. Ligor*, n. 700. — *Vogler*, etc. — *V. Casus*, n. 714 et seq.

SECTIO II

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

Agendum hic de restitutione ob damnum proximo illatum in bonis 1° animi, 2° corporis, 3° fortunæ in quibusdam casibus.

CAPUT I

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI

Generatim quisque tenetur ex justitia reparare damnum, quod efficaciter et injuste attulit proximo in bonis tum naturalibus tum supernaturalibus animi, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit. Neque enim jus minus strictum quisque habet, ne in bonis hujusmodi, quam ne in bonis fortunæ lædatur.

Resolves.

723. — Quoad damnum in bonis supernaturalibus :

1° Qui vi, mendacio, fraude, metu injusto induxit aliquem in peccatum lethale, tenetur sub mortali ex justitia ad damni reparationem, vim vel seductionem tollendo, errorem manifestando, etc. Qui autem sine vi aut fraude, sed tantum consilio induxit aliquem ad peccandum lethaliter, tenetur quidem ex Caritate ad consilium illud revocandum, non vero ex justitia, quia *scienti et volenti non fit injuria*. — *S. Lig.* n. 660-661.

2° Qui dolo induxit alium in errorem præsertim practicum, ex quo damnum grave oriri illi possit in materia morum, ex justitia tenetur reparare damna quæ inde proveniunt, et idcirco omni cura eum ab errore remove. Idem dicito de errore speculativo circa Fidei articulos.

3° Qui per vim, metum gravem, vel fraudem, aliquem ab ingressu Religionis impedit, aut jam ingressum ad Religionem deserendam induxit, ex justitia tenetur fraudem et dolum amovere; quisque enim jus habet, ne injuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur vel abstrahatur. — *S. Lig.* n. 662.

724. — Quoad damnum in bonis naturalibus :

1° Qui alium privavit memoria, ratione, etc., per venenum, philtrum, etc., tenetur ex justitia reparare id omne, quod ex damno injuste illato reparabile est.

2° Qui fraude impedit, ne alter scientiam, artem... addiscat, vel alios

doceat, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia, quæ inde sunt orta, reparare.

3° Qui ex officio docere debet artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quos alicujus momenti admiserit. Eadem obligatio ipsi quoque incumbit, si probabilia improbabilibus ex incuria vel levitate permiscuerit.

4° Si quis autem gratuito et sine obligatione pacti vel officii male doceret ex negligentia vel ignorantia, seclusis fraude et dolo, vel speciali damno ex errore, quem docuit, proveniente, ad reparationem non teneretur.

CAPUT II

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS

Scilicet : 1° ob homicidium, 2° stuprum, 3° adulterium.

ARTICULUS I

DE RESTITUTIONE OB HOMICIDIUM

Principia.

725. — I. Homicidæ vel mutilatores et ipsorum hæredes tenentur ad compensanda personæ mutilatæ, vel cui lethale vulnus inflictum est, omnia damna temporalia quæ ex homicidio vel mutilatione ante ejus obitum ipsi obvenerint. Nihil autem probabilius restituere debent præcise pro vita, membro, etc., saltem ad rigorem juris, quia hæc non sunt pretio æstimabilia. Si persona læsa, damno nondum sibi compensato, mortua fuerit, restitutio fiet hæredibus, vel eorum defectu pauperibus. — *S. Lig., n. 631, et Hom. apost., n. 82, 83.*

II. Omne et solum homicidium voluntarium et injustum hanc obligationem parit, quia sola damnificatio injusta et voluntaria est radix obligationis. Hinc ad nihil tenetur qui mere causa defensionis alterum occidit, etc.

III. Restitutio pro damno præsentis vel futuro cæteris præter personam læsam ex homicidio obviente, singulis illis facienda est, qui defuncto sunt proxime conjuncti, scilicet filiis, patri, matri, cæterisque ascendentibus vel descendentibus in linea recta, et ejus uxori, quia isti censentur esse una eademque persona cum defuncto, et unam cum eo patiuntur injuriam. — *S. Lig. n. 631.* — Probabilius vero non reliquis hæredibus naturalibus, parentibus vel amicis; quia si damnum istis eveniat, remota tantum et velut per accidens illius causa homicidium habendum est. — *S. Lig. n. 632.* — *Lugo.* — *Salmant.*, etc. — Damna futura ex æquitate juxta spem compensanda sunt.

Quæsitæ.

726. — QUÆR. 1° *An homicida teneatur ad restitutionem erga uxorem et filios occisi etiam pro damnis futuris, si isti sibi facile subvenire possint?*

Resp.: *Controvertitur*. I^a *Sententia communior affirmat*, quia damnificator totum damnum a se illatum reparare debet. — *Lugo, d. XI, n. 87.*

II^a *Sententia sat probabilis negat*, quia proxime cognati non habent jus, nisi ad ea quæ occisus ex stricta pietate ipsis erogare debuisset. — *Reuter, n. 384.* — *Elbel, n. 215.* — *Lacroix, n. 309.* — *S. Lig., Hom. apost., n. 87.*

QUÆR. 2^o *An aliquid restituendum sit creditoribus occisi?*

Resp. Neg. probabilius, etiamsi homicida præviderit, dummodo directe non intenderit illorum damnum; quia tale damnum *per accidens* tantum consequitur. — *S. Lig. n. 634.* — *Lugo.* — *Salm.*

727. — QUÆR. 3^o *An remaneat obligatio justitiæ in hæredibus, si homicida morte plectatur, quin damna reparaverit?*

Resp. Affirm. Pœna enim satisfacit justitiæ vindicativæ, non vero commutativæ. Hæredes igitur debita ex justitia commutativa solvere debent, nisi læsi non reclament; tunc enim hi juri suo cedere censentur. — *Hom. apost., n. 90.*

QUÆR. 4^o *An ad restitutionem teneatur qui alium occidit excedendo modum justæ defensionis, seu MODERAMEN INCULPATÆ TUTELÆ?*

Resp. Affirm., si deliberate excesserit, quia invasor jus habet ne injuste occidatur: ergo occisor limites justæ defensionis scienter excedendo gravem committit injuriam. — *Ita communius S. Lig., n. 637, cum Lugo, disp. XI, n. 54, contra nonnullos antiquiores apud eundem Lugo, ibid., n. 51.*

QUÆR. 5^o *An ad aliquid teneatur qui alterum occidit in duello?*

Resp. Neg. probabilius, sive fuerit provocans, sive provocatus. *Scienti enim et volenti non fit injuria*, quando jus remitti potest; atqui etiam acceptans pugnam voluit et potuit damnum temporale remittere. Ergo... — *S. Lig. n. 638.* — *Lugo, n. 66, etc.*

Alii dicunt ad restitutionem teneri quidem provocantem, si adversarium occiderit, non vero provocatum. — Alii autem utrumque obligant. Sed hæ sententiæ sat probabiles non apparent.

ARTICULUS II

DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM ET FORNICATIONEM

Recole dicta de stupro et fornicatione in sexto Decalogi præcepto, n. 421 et 425, etc.

Principia.

728. — I. Pro damno mere naturali, seu pro læsione integritatis corporalis et amissione virginitatis, nihil, *saltem probabilius*, restituendum est; quia damnum illud pecunia compensari nequit. — *S. Lig. n. 640.* — *Elbel, n. 220, etc.* — *Recole dicta supra, n. 628.*

II. Etiam pro damno temporali, quod ex turpi consortio subsecutum sit, nihil, excepta prolis educatione, restitui debet, quando mulier sollicitationi consenserit; nam *scienti et volenti non fit injuria.* — *S. Lig. n. 641.*

III. Si stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel ejus parentibus inde obvenientia; quia horum damnorum est causa efficax et injusta. — *S. Lig., ibid.* — *Elbel, ibid.*

Quæsitæ.

729. — QUÆR. 1^o *An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii?*

Resp. : I^a *Sententia affirmat.* Ratio est, quia contractus innominatus *Do, ut des*, etc., tunc perficitur, quando fit rei traditio seu operis præstatio, et tunc cessat ratio et vis legum quæ pacta turpia irritant; neque enim obligatio, quæ tunc contrahitur ab altera parte, turpis est, aut ad rem turpem adigit. — *S. Lig.*, n. 642, et alii communissime.

II^a *Sententia*, quæ paucorum est, *negat* ex generali principio de contractibus ob conditionem turpem invalidis, de quibus infra dicetur, ubi de contractibus in genere loquemur.

Prima sententia communis est et omnino tenenda; plures tamen admittit exceptiones, de quibus disserit *S. Lig.*, n. 643 et seq. — Sic eximi dicitur violator ab obligatione puellam ducendi, si pessimus ex tali matrimonio timeatur exitus, aut magnum dedecus obventurum sit familiæ viri propter disparem conditionem, etc. Sed tunc ipse obligatur ad dotandam puellam.

QUÆR. 2^o *An violator ad aliquid teneatur erga parentes virginis violatæ, si ipsa libere in peccatum consenserit?*

Resp. Neg. probabilis, quia nullum eorum jus strictum violatum fuit; nec impedire possunt filiam, quominus de jure suo quoad temporalia damna cedere possit. — *S. Lig.* n. 644. — *Billuart.* — *Lugo.*

730. — QUÆR. 3^o *Ad quid teneatur violator erga prolem spuriam?*

Resp. 1^o: Si matrem vi oppresserit, ad omnes expensas nutritionis et educationis tenetur. Ratio patet ex dictis. Attamen in ejus defectu mater curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, *quia mater est.* Sed tunc recursus servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis illa fecit, ipsi compensare tenetur.

Resp. 2^o: Si vero mulier in peccatum consenserit:

1^o *Ex Jure Romano*, mater tenetur alere infantem per tres annos, et postea ei pater providere debet.

2^o *Ex Jure Gallico* nihil expresse statuitur. Jurisperiti tamen agnoscunt, parentes æque et in solidum obligari saltem ad alendos et educandos filios *legaliter* recognitos. Hoc ex *art.* 203 eruunt. Etsi autem filii non fuerint recogniti, attamen jure naturali eadem obligatio ipsis incumbit. — *Carrière*, n. 1371. — *Gousset*, n. 1016. — *V. Casus*, n. 737 et seq.

ARTICULUS III

DE RESTITUTIONE PROPTER ADULTERIUM

Obligationes utriusque adulteri spectandæ sunt juxta varias circumstantias, prout scilicet adulterium fuerit, nec ne, plene ex utraque parte voluntarium, num familiæ damnosum, vel non.

Principia.

731. — I. Uterque adulter tenetur in solidum ad omnia damna familiæ reparanda, si ex utraque parte crimen voluntarium fuerit, quia totum utri-

que imputandum est. Hinc: 1° restituendi sunt omnes sumptus quos maritus in prole alenda et educanda sustinuerit; 2° si filius illegitimus cum legitimis jam hæreditatem acceperit, istis pro rata compensatio faciendæ est. — *S. Lig. n. 659.*

II. Adultera, si paraphernalia habeat, ex ipsis restituere debet marito et filiis læsis per donationes manuales, per contractum, testamentum, legata, etc. Si non habeat, diligentius familiam administret, parciorque sit in sumptibus privatis, laboret diligentius, in quantum status permittit.

III. Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris extorserit, solus ad totum damnum reparandum, ex *dictis supra, n. 728*, tenetur.

Quæsitæ.

732. — QUÆR. 1° *An mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damnum reparare nequeat?*

Resp. Neg. generalim loquendo. Ratio est: 1° quia communiter hæc revelatio sine magna infamia, et sæpe etiam sine periculo mortis, vel odii perpetui, aliorumve gravium malorum fieri nequit; 2° quia difficile damnum reparare etiam per id posset, præsertim cum filius matri fidem adhibere non teneatur. Excipiunt multi si mater sit perditæ famæ, etc. — *S. Lig. n. 653.*

733. — QUÆR. 2° *Quid in dubio, an proles sit mariti aut adulteri, vel ex hoc adultero potius, quam ex alio?*

Resp. ad 1^{um} probabilius, ad nihil tenentur adulteri, quia de damno non constat. — *S. Lig. n. 657.* — *Lugo, d. XIII, n. 17, et alii plures* contra alios, qui dicunt pro rata restituendum esse.

Resp. ad 2^{um}: Uterque adulter pro rata ad restitutionem tenetur juxta sententiam communiorum, quæ tenenda videtur. Ratio est, quia certum est damnum, et constat illud ab alterutro peractum esse, singuli autem sunt causa efficax et injusta incertitudinis, quæ impedit ne compensatio ab uno determinate exigi possit. Aliunde ex hac incertitudine innocens pati non debet. — *Lacroix, n. 337.* — *Lugo, n. 19.* — *Roncaglia, c. II, q. 3.*

Dissentit tamen *S. Lig. n. 658*, quia, ut ait, onus certum imponi non potest, ubi dubia est obligatio. Excipit nihilominus, si adulter secundus adverterit saltem implicite se incertitudinis illius causam fore. Item si adulteri ex communi consilio adulterium patraverint.

QUÆR. 3° *An filius teneatur credere matri etiam juranti illum illegitimum esse?*

Resp. Neg., quia ex jure et sensu communi nemo tenetur credere uni testî etiam probatissimæ fidei. Secus tamen, si præter testimonium matris accederent indicia evidentiæ, v. gr., absentia patris a longo tempore. — *S. Lig. n. 654.* — *Laymann.* — *Roncaglia.*

734. — QUÆR. 4° *An si adulteri vel fornicatores opulenti prolem ad brephotrophium miserint, ad impensas resarciendas teneantur?*

Resp.: Controvertitur. 1^a Sententia communior et probabilior affirmat. Ratio est, quia brephotrophia sunt instituta in gratiam infantium, non vero parentum; nec præsumendum eorum fundatores a solvendis expensis divites eximere voluisse. — *Lugo, d. XIII, n. 3.* — *Billuart.* — *Bouvier,*

de Restit. p. II, art. 2. — Carrière, n. 1373. — Rousselot, opusc. de sexto Præc.

II^a Sententia negat, quia brephotrophia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus qui a parentibus abjiciuntur. Neque obstat, quod subsidia a Gubernio vel a Municipio pro istis parvulis præbeantur; quia hæc pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Insuper hujusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a periculo mortis tum æternæ, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis exciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiæ metus adegit, sive ad abortum prolis suæ procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrunt. *Ita S. Lig. n. 656*, qui hanc sententiam putat probabiliorē.

Attamen conveniunt etiam patroni hujus sententiæ, in praxi *enixe* adhortandos esse genitores ad aliquid, saltem titulo pœnitentiæ, brephotrophia tribuendum.

735. — QUÆR. 5^o *Quantum hospitio tribui debeat, juxta prioris sententiæ patronos?*

Resp.: Non potest certa regula definiri. Solutio enim quæstionis pendet a variis rerum et locorum adjunctis, a vita producta, aut a morte præmatura prolis. Vix autem (aiunt) sexta pars puerorum ad ætatem duodecim annorum pervenit, et sæpius a genitoribus ignoratur utrum vivant, neene. Unde, concludunt, satis erit, si parentes pro rata dubii 200 vel 150 fr. brephotrophia solvant. — *Bouvier, ibid. — V. Casus, n. 743 et seq.*

CAPUT III

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS FORTUNÆ IN CASIBUS PARTICULARIBUS

Scilicet: 1^o quoad tributa; 2^o quoad militiam; 3^o quoad direptionem bonorum tempore perturbationis Galliæ sub fine sæculi XVIII.

ARTICULUS I

DE TRIBUTIS

736. — Tributi nomine intelligitur pensio, quam subditi solvunt de propriis bonis Gubernio vel Principi ad sumptus Reipublicæ communes.

Alia sunt tributa *directa*, quæ actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta*, quæ immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas quæ eas transvehunt, vendunt, emunt, etc., ut sunt gallice: *les droits réunis, les douanes, etc.*

Principia.

737. — I. Impositio tributi est actio supremæ et legitimæ auctoritatis, cui soli jus competit ea imperandi, quæ ad bonum commune a singulis præstanda sunt.

II. Princeps habet potestatem tributa imponendi; etenim potestas ejus ad totum illud extenditur, quod requirit bonum commune; bonum autem commune exigit, ut subditi ad onera Reipublicæ ferenda concurrant. — *S. Lig. n. 615*, etc.

III. Oportet: 1° ut tributa pro necessitate vel utilitate communitatis exigantur: 2° ut æqualitas inter subditos servetur, habita ratione facultatum quas possident. — *S. Lig. n. 615*. — *Lugo*. — *Billuart*.

IV. Leges, quæ versantur circa tributa, generatim spectatæ, non sunt mere pœnales, sed in conscientia obligant. Deducitur: 1° ex verbis Christi, Matth. XXII, 21: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. — Ad Rom. XIII, 5: *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis...* — *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*. 2° Palet etiam ex ratione. Princeps enim ad onera Reipublicæ ferenda tenetur: ergo a pari subditi tenentur ad media pro bono communi promovendo necessaria subministranda. — *S. Lig. n. 615*, 616.

Quæsitæ.

738. — QUÆR. 1° *An semper urgenda sit sub pœna peccati et denegandæ absolutionis obligatio tum solvendi vectigalia seu tributa indirecta, tum restituendi pro rata peractæ defraudationis?*

Resp.: Solutio hujus questionis difficultate non caret; de sequentibus conveniunt sat communiter theologi:

I. Adhortandi sunt sedulo fideles, ut tributa diligenter solvant, et ab omni eorum defraudatione abstineant. Neque tamen expedit ut Confessarius petat a pœnitentibus, qui in confessione de tributis tacent, utrum alicujus defraudationis rei sint; ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter injiciat.

II. Damnandi sunt autem:

1° Qui vectigalibus exigendis præpositos mediis injustis corrumpunt, ne officio suo fungantur; peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando.

2° Qui non solvunt tributa jam a longo tempore imposita, quæque ab omnibus soluta fuere, nec unquam reclamatio de ipsorum injustitia audita fuit.

3° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim peccant: 1° contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Ad Rom. XIII, 2; — 2° contra justitiam legalem; nam lex quæ respicit tributa, etiamsi aliquando ut mere pœnalis haberetur, gubernatoribus tamen jus certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur.

4° Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur; hujusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi.

5° Nec indulgendum est iis qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem defraudandi incumbunt, eamque veluti vitæ professionem habent; hi enim saltem animæ periculis haud raro exponuntur.

739. — Verum quot et quantæ in cæteris casibus occurrant difficultates, neminem fugit. Utrum aliquando cum pœnitentibus mitius agere liceat,

duplex datur sententia, affirmans scilicet et negans. Non audet rem dirimere ipse S. Ligorius, qui, expositis rationibus nonnullorum theologorum in benigniorem partem propendentium (n. 616), ait: *An autem, propter has rationes, quæ cæterum non videntur contemnendæ, ipsa (affirmativa sententia) sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto.* Et Hom. apost., n. 48, concludit: *Hoc tamen non obstante, ego non omitto primam (negantem) sententiam suadere.* — Præcipua autem eorum Doctorum ratio in consuetudine universali taliter legem accipiendi et interpretandi innitur. Quamobrem nobis quoque satis erit, si, expositis sententiis nonnullorum theologorum pietate ac doctrina præstantium, pio lectori electionem relinquamus. Sic igitur illi:

740. — BONACINA, *disp. II, de Restitut., quæst. 9, punct. 1, prop. 2*, quoad tributa indirecta, ait: — *Nobis sufficiat dicere, probabiliter defendi posse quod asserimus, ne onus nimium grave pœnitentibus imponamus post factum, quamvis ante factum hæc sententia benignior non sit consulenda, cum Principis edicta non sint facile reprehendenda.*

VOGLER, n. 332. — *Etiam si fideles sint maxime hortandi, ut tributa diligenter solvant, si tamen subinde aliquantum defraudant, non obligandi videntur ad restitutionem, quia communissima praxis id habet, Principes connivent, et in tanta multitudine tributorum sapientissimi quique dubitant, an omnia sint justa.*

LUGO, d. XXXVI, n. 43. — *Mihi, inquit, semper maxime placuit consilium P. Molinæ..., ante factum, consulendum esse ne tributa defraudentur; post factum, si pœnitens sibi certo aut probabiliter persuadeat in tanta tributorum multitudine esse aliquid injustum..., non esse cogendum a Confessario ad restitutionem; hac tamen doctrina prudenter utendum esse, tum ne Sacramentum Pœnitentiæ reddant nimis grave, et ne viam salutis præcludant multis, qui, si a Confessario obligentur, non restituent, et æternam damnationem incurrant.*

741. — SCAVINI (*Theologia moralis*, ed. Novariæ, 1845), *de Restitut., c. I, art. 1.*, exposita negativa sententia, quam communissimam et probabiliorē agnoscit, sic ait: *Secunda sententia, quæ affirmat, non caret sua auctoritate et probabilitate... Quidquid sit circa tam primæ quam etiam secundæ sententiæ probabilitatem (quod sapientioribus definiendum remittimus), unum nos pro praxi monemus cum doctissimo Card. de Lugo: Generaliter loquendo, admonendi sunt populi et excitandi ad tributa solvenda, sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine aliquid injuste solvisse, vel competenter contribuisset ad publicas necessitates.*

742. — ROUSSELOT (*in notis ad Theolog. mor. Sættler, de leg. part. II, c. II, art. 3*), quoad tributa imposita in merces, quarum commercium omnibus permittitur sub conditione tributi solvendi, hæc habet: *Non datur obligatio solvendi quædam tributa antequam prætantur, v. gr., tributa ad portam civitatis, ad pontem, etc. Sic enim fert consuetudo, et leges ultra consuetudinem non obligant. Cæterum cum auctore (Sættler) et aliis bene multis extraneis probabiliter asseri potest, tributa illa, pro quibus exigendis constituti sunt custodes et exactores, neque in conscientia solvenda esse, nec ea fraudantes ad restitutionem teneri.*

His rite perpensis, non statim nec facile pronuntiandum, tributorum indicatorum fraudationem peccaminosam esse, et ad restitutionem obligare. Attamen hæc non prædicentur super tecta; sed cum S. Ligorio et Sættler, Pastores et Confessarii legum observantiam etiam in hac materia urgeant, a transgressionibus pro virili absterreant; at transgressores non statim peccati gravis damnent, nec eos ad restituendum adigant, præsertim si majora mala, v. gr., Sacramentorum desertio, sint reformidanda. Aliunde bona fides sæpius intercedit, cui merito relinquuntur.

Gard. GOUSSET (*Theolog. moral., t. I, n. 999*) urget generatim obligationem solvendi omnia tributa cujusvis generis sint, non obstante contraria consuetudine, quam errorem vulgarem appellat. Prudentiam tamen sedulo commendat Confessario, ne forte remota spe fructus, et accedente summo salutis periculo, defraudantes ex bona in malam fidem inducat.

743. — QUÆR. 2^o *Cuinam debeat fieri restitutio, si quando facienda sit ratione tributi defraudati?*

Resp. : Duplex datur sententia : juxta antiquos Doctores restituendum est Principi, cujus violatum jus fuit. At juxta multos recentiores pietate et doctrina conspicuos, teste *Bouvier*, non Principi, nec subditis est restituendum; sed in usus pios vel in pauperes defraudata pecunia impendi debet. 1^o Non *Principi*, quia non suppetit modus quo id fieri possit. Præterea Principes nullum damnum patiuntur; prævidentes enim fraudes, majora imponunt tributa; 2^o non *subditis læsis*, quia singulis restitutio fieri nequit : ergo in pauperes, vel in publicas utilitates summa impendi debet. Concinit *Gousset, n. 999. Recole dicta supra, n. 712.*

744. — QUÆR. 3^o *An peccent et ad restitutionem teneantur importantes merces prohibitas?*

Resp. 1^o : *Quoad restitutionem neg.* absolute, quia nullius jus strictum lædunt. Etenim non violant jus *Principis*, quia illas merces sibi non reservavit, nec tributum ullum in eas imposuit; nec *privati alicujus*, quia nullus est qui privilegium has merces vendendi habeat. — *Bouvier, Tract. de Restitutione, in fine, et alii communiter.*

Resp. 2^o *Quoad peccatum, controversitur : alii affirmant* defraudantes peccare, et quidem *per se graviter*, quia violant leges, quæ vere obligant in conscientia *per se*, et non solum *per accidens*. — *Bouvier, ibid.* — Alii vero negant, quia istæ leges ex consuetudine habentur ut mere pœnales.

Saltem non sunt damnandi de peccato, qui merces prohibitas important in parva quantitate et ad usum proprium, præsertim si sint pauperes. Cæteri vero facile peccare possunt contra Caritatem in seipsos, pœnis gravissimis se exponendo.

745. — QUÆR. 4^o *An peccent contra justitiam præpositi, quoties tributum non exigunt?*

Resp. *Affirm., per se generatim*, et quidem graviter in materia gravi. Ratio patet, siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda. Quare, si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga Principem vel Rempubicam. — *Ita communiter.*

Dixi *generatim*, quia juxta plures præpositi vectigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, præ-

cipue cum pauperibus, vel etiam cum iis qui alias diligenter solvunt. — *V. Casus, n. 751 et seq.*

ARTICULUS II

DE DAMNO OCCASIONE MILITIÆ ILLATO

Principia.

746. — I. Ad nihil tenentur milites ratione damni per actionem communem illati, nisi ipsis de injustitia belli constet, quia non sunt damnificatores *formaliter* injusti. — *Recole dicta quinto præc. Decalogi, n. 407 et seq.*

II. Milites autem in bello *evidenter injusto* tenentur de damnis omnibus quæ per actionem privatam intulerunt; et tenentur singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint. — *Vide supra de injusto damno, n. 658 et seq.*

III. Duces autem seu Principes tenentur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato, quia sunt vere mandantes; vel sin minus damnum imperarunt, illud tamen ex officio impedire tenebantur.

Quæsitæ.

747. — QUÆR. 1^o *An singuli milites in aliorum defectu teneantur in solidum de toto damno ab exercitu illato?*

Resp. Neg. probabilius; quia singuli non totius damni causa sunt, sed partis tantum. Cæterum in praxi ex impotentia absoluta forent excusandi. — *Lugo cum aliis.*

QUÆR. 2^o *Ad quid teneantur milites conscripti desertores?*

Resp. 1^o: Ex obedientia seu ex justitia legali tenentur ad castra redire. — *Ita communiter.*

Excipe: 1^o si grave salutis periculum offenderent, v. gr., si media confitendi non suppetent, etc., ut aliquibus in locis evenire potest...; 2^o si redeuntis morte, triremibus, aliisve gravissimis pœnis plectendi forent; 3^o si bellum sit *evidenter* injustum.

Resp. 2^o Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, ubi lex alios ipsorum loco non requirit: quia nullo modo justitiam commutativam lædunt, cum nulli alteri damnum inferant.

748. — QUÆR. 3^o *Ad quid teneantur qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?*

Resp.: Per se tenentur pretium acceptum restituere illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio retinendi pecuniam, quæ non nisi propter militiæ onus erogatur.

Attamen hoc videtur valere tantum, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponitur. Periculum autem illud in Gallia non datur, cum ex nova lege 27 Jul. 1872 omnis ejusmodi conductio prohibeatur.

749. — QUÆR. 4^o *Ad quid teneantur sorte designati ad militiam, qui ab hac se subtrahunt, vel exemptione sine veris causis obtinent?*

Si nemo eorum loco ex lege requirendus sit, peccant quidem contra justitiam legalem, ad nullam tamen restitutionem tenentur; at vero, si quis sit, juxta legem, substituendus :

Resp. 1° : Qui magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, ad restitutionem certo tenentur. — *Ita omnes.*

Resp. 2° : Item, juxta communioem sententiam, qui mendaciis, fraudibus aut prævia mutilatione magistratus decipiunt. Ratio est, quia, postquam sors, prouti leges statuunt, definivit quinam militiæ onus subire debeant, quinam vero eo eximantur, postulant sanæ justitiæ jura, ne militiæ jam adsignati iniquis mediis utantur ad onus excutiendum, quod in exemptos recidat, necesse est. — *Ita Bouvier, de Restitutione, quæst. 2, art. 2. — Gousset, n. 1002. — Collat. Andeg., etc.*

Negant tamen alii *plures*, quorum sententia sat probabilis apparet. Ratio horum est, quia hi conscripti non sunt causa efficax, cur alii requirantur; deceptio enim neque *physice* neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos. Nec sunt etiam causa injusta, siquidem non constat alios jus strictum habere, ut qui sorte designati sunt in militiam proficiscantur. Igitur licet peccent contra justitiam legalem seu obedientiam legi debitam, non tamen peccant contra justitiam commutativam, nec proinde ad restitutionem tenentur. — *Ita Collat. Anic., de Restit., n. 172.* Utramque opinionem æque probabilem admittit *Lyonnet, de Restitutione, in fine.* — Nec desunt qui hanc legem justitiæ distributiæ adversari existiment, cum solæ familiæ juvenes militiæ idoneos habentes tantum onus subeant.

Quidquid sit, in praxi sapientissimum erit, etiam in prima sententia, non valde urgere juvenes qui prædictis mediis a militia sese liberarunt. Plerique enim nequaquam committi injustitiam putant, et alioquin raro monitis obtemperarent. — *Ita auctores citati. — V. Casus, n. 757 et seq.*

ARTICULUS III

DE DIREPTIONE BONORUM TEMPORE PERTURBATIONIS GALLIÆ

§ I. *De bonis ecclesiasticis.*

Notanda.

750. — I. Bona Ecclesiæ alia direpta fuere a Gubernio ipso, alia a privatis.

II. *Pius VII* conventionem inivit 15 Aug. 1801 cum Napoleone, primo Consule, qua a restitutione liberavit acquirentes bonorum ecclesiasticorum.

III. *S. Pœnitentiaria*, in Rescripto ad illustriss. *D. Bouvier*, 20 Martii 1818, ita declaravit: *S. Pœnitentiaria de expressa auctoritate apostolica consulenti oratori declarat, bona ecclesiastica a Gubernio occupata ante conventionem initam anno 1801 inter S. Sedem et Gubernium Gallicanum, in plena acquirentium potestate esse.*

IV. *Pius VII* Breve ad Episc. Pictaviensem 20 Octobris 1821 direxit, in quo declaravit, bona ecclesiastica a Gubernio occupata ante conventionem anni 1801, etiamsi *post eam* tantum ab ipso *vendita* seu *alienata* fuerint,

ad legum præscripta quæ per id temporis obtinuerunt, posse ab emptoribus tanquam propria, et in suum jus ac potestatem translata retineri. — Id nempe declarari oportuit, propterea quod art. 13 conventionis proprietatem bonorum ecclesiasticorum concedebat *iis qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverant*, nulla mentione facta bonorum quæ, eo tempore, nondum fuerant alienata.

Resolves.

751. — 1° Qui bona ecclesiastica propria auctoritate usurparunt, graviter peccarunt, et adhuc ad restitutionem tenentur; fures enim sunt, nec ulla eis condonatio facta est.

2° Qui vero ea bona occuparunt favente lege civili, peccarunt, et ad restitutionem tenebantur ante conventionem ann. 1801, non vero postea ex concessione S. Pontificis.

3° Qui post hoc pactum acceperunt bona Ecclesiæ non adhuc alienata, contra justitiam peccarunt, juxta quosdam, et ad restitutionem fuerunt obligati, donec saltem non prodierat declaratio ann. 1821, quia vi conventionis, inquit, concessio facta non fuerat nisi pro bonis jam alienatis, ideoque Pontificis responsum ad Episc. Pictav. habendum esse videtur, tanquam nova condonatio, aut prioris conventionis ampliatio. Ita *D. Affre, Traité de la propriété des biens ecclésiastiques, p. 94.* — Communis tamen et tuta in praxi sententia docet, non novam condonationem, sed authenticam ipsius Concordati interpretationem in memorato Brevi Pontificio contineri, ac proinde ab omni injustitia, omnique restituendi obligatione semper eos liberos fuisse, qui bona ecclesiastica ante Concordatum a Gubernio occupata, ab eodem post ann. 1801 acquisiverunt. — *Bouvier, Gousset, Lyonnet, etc.*¹.

§ II. De bonis privatorum.

Notanda.

752. — I. Bona privatorum injuste proscriptorum (*des émigrés*), alia a Republica, alia a privatis occupata fuere, prout modo de bonis ecclesiasticis dictum est.

II. Ludovicus XVIII, an. 1814, Constitutionem publicam tulit ad hujusmodi possessiones confirmandas. — Carolus X, lege lata die 27 Apr. 1825, declaravit omnes proprietates nationales inviolabiles, et statuit indemnitatem privatis læsis esse solvendam. — *Trente millions, au capital d'un milliard, sont affectés à l'indemnité, par l'État, aux Français dont les biens-fonds situés en France, ou qui faisaient partie du territoire de la France au 1^{er} Janv. 1792, ont été confisqués ou aliénés en exécution des lois sur les émigrés, les déportés et les condamnés révolutionnairement.*

¹ Cf. *Mémoires du Card. Consalvi*, t. I, p. 399. Narrat Em. Cardinalis, in schemate Concordati Romæ confecto, cessionem factam fuisse solummodo bonorum ante Concordatum alienatorum; at, reclamante Gubernio gallico, novum fuisse conditum articulum, qualis nunc existit; quem proinde utrique contrahentes, de omnibus indefinite bonis, sive jam, sive nondum, alienata essent, accipiendum esse agnoverunt.

Resolves.

753. — 1° Privati, qui propria auctoritate bona hæc occuparunt, adhuc ad restitutionem tenentur, et nunquam præscribere poterunt, cum malæ fidei possessores fuerint.

2° Acquisitores bonorum nationalium ad restitutionem tenebantur usque ad tempus *Restorationis*; nulla enim legitima dominii translatio facta fuerat.

3° Idem acquisitores ab an. 1814 et præsertim a die 27 April. 1825, quo lex indemnitis sancita est, non amplius ad restitutionem tenentur, modo acquisitio fuerit legalis seu auctoritate Gubernii facta.

4° Non constat bona mobilia comprehendi sub beneficio ratihabitionis: lex enim anni 1814-nullum de istis verbum habet; et lex an. 1825 non loquitur nisi de immobilibus. Attamen plurimi de mobilibus, quæ prædiis aut domibus adnexa sint, idem ac de immobilibus sentiendum putant; quia accessorium principale sequitur.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS

Scientia, quæ circa contractus versatur, nostra præsertim ætate, necessaria prorsus existimanda est. Commercio enim tam longe lateque ubique terrarum exercetur, tantum artes illiberales in dies perficiuntur, ut de contractuum æquitate in sacro tribunali sæpe sæpius sententia ferenda sit. Verum hic potissimum apparet difficultas leges in conscientia inscriptas cum legibus Codicis civilis conciliandi. Deo tamen opem, ut confidimus, præstante, tanta incedemus cautela, ut, ducibus melioris notæ Doctoribus, neque intempestivæ severitatis, neque nimie indulgentiæ macula inuramur.

Agendum 1° de contractibus in genere; — 2° de contractibus in specie.

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

754. — DEFINITIO. Contractus est conventio, per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

DIVISIO. Contractus præcipue distinguitur: 1° *Unilateralis*, vel *bilateralis*. Prior fit, cum unus aut plures se obligant erga unum aut plures non obligatos, ut in contractu gratuitæ promissionis. Posterior habetur, quando unus aut plures se obligant erga unum aut plures pariter obligatos, ut in permutationibus. Contractus bilateralis dicitur etiam *synallagmaticus* ex verbis græcis σύν, *cum*, et ἀλλάσσω, *permuto*.

2° *Gratuitus* seu *beneficentiæ*, vel *onerosus*. Contractus dicitur *gratuitus*, si quis ex contrahentibus alteri aliquid tribuat, nihil ab eo ex obligatione exigens. *Onerosus* autem dicitur, si quilibet contrahentium ad aliquid alteri præstandum se obliget, ut in contractu venditionis. Hæc divisio in præcedentem recidit. Contractus enim gratuitus est *unilateralis*, et *onerosus bilateralis*.

Contractus vero *onerosus* iterum subdividitur in *commutativum* et *aleatorium*. Est *commutativus*, si unus contrahens det rem in una specie, et alter det rem æquivalentem ejusdem aut diversæ speciei. Est *aleatorius*, si unus det rem, alter vero contrahens det non rem, sed spem probabilem rei alicujus adipiscendæ; quæ spes cum falli possit, efficit ut contractus hujusmodi aleæ similitudinem præ se ferat.

3° *Solemnis*, vel *simplex*, prout requirit speciales legis formalitates, vel dispositionibus communibus tantum subjicitur.

4° *Nominatus*, vel *innominatus*, prout nomen proprium in jure habet, sicut, v. gr., *venditio*, aut proprio nomine caret, v. gr., *do ut des, facio ut facias*, etc.

5° *Nudus*, aut *vestitus*. Contractus *nudus* dicitur, qui in foro externo non parit obligationem, sed tantum exceptionem : tales sunt conventiones quæ absque scripto aut testibus fiunt, ut pactiones in ludis, etc. Contractus *vestitus* est, qui præter conscientiæ obligationem parit in foro civili actionem, ut sunt contractus formalitatibus lege requisitis muniti, etc.

6° *Formalis* seu *expressus*, aut *virtualis* seu *tacitus*. Prior ille est, qui fit verbis, scriptis, aliisque signis consensum explicite manifestantibus ; posterior vero est, cujus consensus in rem conventam existit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur. Sic medicus artem suam exercens promittere censetur, se facturum id esse, quod ejus professio requirit. Contractus iste communiter etiam *quasicontractus* nuncupatur.

7° *Absolutus*, vel *conditionatus*, prout nulla, vel aliqua conditio ei apponitur. Dicitur etiam *purus*, aut *non purus*.

755. — In omni contractu tria sunt distinguenda, scilicet essentia, natura et accidentalia : 1° Ad *essentiam* pertinent ea sine quibus contractus existere nequit. Sic, v. gr., in contractu venditionis tria dantur essentialia, nempe, *res, pretium, et consensus*. Uno deficiente, nullus est contractus. Si loco pretii, v. gr., res alia detur, jam non erit contractus *venditionis*, sed *commutationis*. 2° Ad *naturam* vero spectant ea, quæ licet non expressa, ex lege tamen, vel consuetudine, vel æquitate, in contractu comprehensa intelliguntur, quamvis essentialia non sint, v. gr., rei venditæ præstita ab evictione securitas, quæ a contrahentibus excludi posset, quin invalida foret venditio : nisi enim peculiaris conventio intervenerit, venditor rei venditæ securitatem præstare debet. 3° *Accidentalia* vero dicuntur ea, quæ contractui speciali conventionem adjungi possunt, quin lege, aut rei natura, censeantur adjuncta : v. gr., talis pretii dilatio, aut alia hujusmodi. — *Bouvier, etc.*

Hiscæ præmissis tractandum occurrit : 1° de requisitis ad contrahendum ; 2° de obligatione contractus ; 3° de modificationibus contractuum.

CAPUT I

DE REQUISITIS AD CONTRAHENDUM

Tria requiruntur : 1° materia apta ; 2° subjectum capax ; 3° consensus legitimus.

ARTICULUS I

DE MATERIA CONTRACTUS

756. — Materia contractus generatim sunt res et facta, seu ea omnia, quæ sub hominis dominium cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam administrationem habent.

Materia contractus hisce conditionibus gaudere debet, scilicet : debet esse possibilis, existens, honesta, propria contrahentis, certa, pretio æstimabilis.

1° *Possibilis*, tum physice, tum moraliter; quia ad impossibile nemo obligari potest. Nemo igitur obligari potest ad fortuitos casus vitandos, cum id impossibile sit. Proinde si quis eos in se suscipiat, tantum se obligat ad reparanda damna ex eis provenientia.

2° *Exsistens* vel in re, vel saltem in spe certa, seu probabili exstitura; secus nullum jus in illam haberi posset, utpote quæ nullo foret pretio æstimabilis.

3° *Honesta et licita in se*, id est nullo jure prohibita; quia ad rem inhonestam et prohibitam nulla dari potest obligatio. Ad contractus autem validitatem satis est, ut materia sit *substantialiter honesta*; contractus enim validus esse potest, licet ob aliquam accidentalem circumstantiam illicitus sit.

4° *Propria contrahentis*; nemo enim potest in alium transferre jus quod ipse non habet. Hinc si quis rem furtivam emat, invalide ipsam emit, neque ejus acquirit proprietatem, etiamsi bona fides in utroque contrahente adfuerit, ut constat ex dictis de possessore bonæ et malæ fidei, n. 635 et seq.

5° *Certa et determinata*, sive in individuo, sive in quantitate et qualitate; secus enim illusorius foret contractus.

Quæsitæ.

757. — QUÆR. 1° *An possis pretium accipere pro actione tua ex justitia alicui jam debita, si eadem actio alteri prodesse possit, illæso jure prioris, cui debetur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non lædis jus prioris, quocum contraxeras, et posteriori te utilem præstas. Sic, v. gr., si *Titius* te conduxerit, ut pergas ad certum locum negotii alicujus pertractandi gratia, potes etiam a *Petro* conduci ad iter illud peragendum pro tractando novo negotio, modo posterius mandatum priori non noceat. — *S. Lig., et alii.*

QUÆR. 2° *An pretium accipi possit pro re debita, non quidem ex justitia, sed ex alia virtute, v. gr., si accipias pecuniam ad jejunandum tempore Quadragesimæ?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius*, quia illud ex mera liberalitate datur, et donum mere gratuitum censetur. — *S. Lig. n. 713, et alii communiter.* — Supponitur tamen, actionem vel rem, ad quam donatarius tenetur, esse pretio æstimabilem; secus enim invalidus foret contractus. Hinc ad restitutionem teneretur, qui pecuniam exigeret ad viam homini trans-eunti ostendendam, quando absque ullo labore aut temporis jactura ostendere eam possit; quippe actio ista non est pretio æstimabilis.

QUÆR. 3° *An valeat contractus, si materia sit ex parte tantum possibilis?*

Resp. Affirm. si res sit divisibilis in se, et divisibiliter de ea contractum sit; secus, si sit indivisibilis vel indivisibiliter de ea conventum fuerit. Hinc, v. gr., si emeris 100 modios tritici, ita ut contractus non sit perfectus nisi re tradita, et 50 pereant, contractus pro reliquis 50 adhuc tenet. Si

vero horologium manuale promiseris, et rescias te jus non habere nisi partiale in illud, promissio tua nulla erit.

758. — QUÆR. 4^o *An res mere spiritualis possit esse objectum contractus sive gratuiti sive onerosi?*

Resp. ad 1^{um} Affirm. Nihil enim obstat jus naturæ, cum hujusmodi conventiones nihil inordinati habeant; sed neque jus divinum, cum Deus permiserit, imo præceperit rerum spiritualium gratuitam communicationem: sic ex obligatione fidelitatis promittere potes orationes, Missas, Reliquias, etc.

Resp. ad 2^{um}: 1^o Affirm., si res spiritualis sit ex utraque parte, et non obstat ulla Ecclesiæ prohibitio, quia tunc nulla Simonia in permutatione adesse potest, siquidem nulla est comparatio rei spiritualis cum temporali.

2^o Neg. autem, si res mere spiritualis sit ex una parte, temporalis vero ex altera; quia nulla comparatio inter spirituale et temporale dari potest, ut constat ex dictis de *Simonia*, n. 288 et seq.

759. — QUÆR. 5^o *An materia contractus onerosi esse possit res temporalis spirituali adnexa?*

Resp. 1^o Affirm., si adnexa sit *antecedenter*, seclusa Ecclesiæ prohibitione in casibus particularibus; modo tamen pretium propter spirituale adnexum non augeatur. — *Vide dicta de Simonia, ibid.*

Resp. 2^o Neg., si adnexa sit *consequenter*, saltem ex Jure ecclesiastico. Hæc autem quæstio præcipue beneficia respicit.

Resp. 3^o: Si vero adnexa sit *concomitanter, disting.*: *1^o Neg.* si adnexa sit *intrinsece* et necessario, quia tunc res temporalis nullum habet valorem independentem a re sacra, ut est labor Sacerdotis in celebrando, absolviendo, etc. — *2^o Affirm.* vero si adnexa sit *extrinsece*, ut dictum est de *Simonia, ibid.*

760. — QUÆR. 6^o *An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta?*

Resp. 1^o: Ante positionem operis turpis, *affirm.*; quia dominium rei hujus non fuit valide translatum. — *Ita omnes.*

Resp. 2^o: Post operis positionem, *controvertitur*. Duplex datur sententia probabilis.

negat

I^a Sententia communior dicit, pretium posse accipi et retineri, imo et dari ex justitia debere. Ratio est, *1^o* quia ibi intervenit duplex contractus, unus *absolutus*, nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est; alter *conditionatus* de tradendo pretio, si opus turpe positum fuerit, et hic, impleta conditione, fit validus. Etenim, posito opere, jam insurgit contractus *do ut des*, cujus natura exigit, ut semper quoties unus contrahens præstitit partem suam, teneatur alter suam implere, si licite possit; *2^o* quia licet actio turpis, quatenus illicita, nullo pretio digna sit, pretium tamen, quatenus laboriosa, ignominiosa, periculosa agenti, vel utilis alteri, habet *postea* S. Lig., ut probabilis, n. 712. — Lacroix. — Lugo. — Lessius.

II^a Sententia negat, quia contractus invalidus ante operis positionem, per hanc validari nequit. Hinc regula Juris 18: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Ergo... — *Ita Ropaglia. — Comitulus. — Carrière, n. 337.*

QUÆR. 7^o *Si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, an illa, denegato consensu, rem retinere possit?*

Resp. Affirm., quia nullum intercessit pactum de peccato patrando, et proinde donatio omnino liberalis habenda est, cum mulier nihil prorsus ex sua parte promiserit. — *S. Lig.*, n. 742, et alii communiter. — *V. Casus*, n. 762 et seq.

ARTICULUS II

DE SUBJECTO CONTRACTUS

761. — I. De jure naturali contrahere possunt ii omnes et soli, qui liberum rationis usum habent, quia isti soli dominium bonorum transferre, et obligationes suscipere possunt. Hinc contrahere nequeunt: 1° infantes usu rationis nedum pollentes; 2° amentes et furiosi; 3° perfecte ebrii.

II. De jure positivo, præter usum rationis et voluntatem liberam contrahendi, quæ de jure naturali exiguntur, requiritur etiam, ut contrahens liberam habeat bonorum dispositionem, nec lege incapax contractus faciendi declaretur. Inhabiles autem sunt ad contrahendum, saltem *in multis*, aut *firmiter*: 1° minores; 2° uxores; 3° mortui civiliter; 4° interdicti et prodigi. Pauca de singulis.

§ I. De minoribus.

762. — *Minores* appellantur qui ætatem lege præfixam non attigerunt, ut, seclusa patris aut tutoris vel curatoris auctoritate, *civiliter* agere valeant. In Jure Romano filii minores sunt usque ad ætatem 25, et filia 21 annorum. In Jure vero Gallico filiifamilias utriusque sexus minores sunt usquedum ætatem 21 annorum expleverint. Attamen, respectu matrimonii contrahendi, viri qui habent parentes aut ascendentes, non reputantur *maiores*, nisi ad ætatem 25 ann. pervenerint.

Minores alii non sunt emancipati, alii vero emancipati. Priores simpliciter auctoritati patris, vel tutoris subjiciuntur. Posteriores autem ii sunt, qui a prædicta auctoritate per beneficium emancipationis liberati sunt juxta formas lege præscriptas. Minores in Jure Romano et in Jure Canonico, alii sunt *puberes*, et alii *impuberes*. Puberes dicuntur pueri qui ad ætatem 14 et puellæ 12 annor. pervenerunt. Cæteri impuberes appellantur. Impuberes orbatu patre, et sub auctoritate tutoris constituti, nomine pupillorum veniunt. Ex eodem Jure Rom. tutor datur pupillis ad omnia, curator vero puberibus ad bonorum administrationem tantum. His positis:

I. — EX JURE ROMANO

763. — 1° Filiusfamilias impuber, etiamsi cum consensu patris et de bonis castrensibus contrahat, non obligatur; e contrario si filius puber contrahat de castrensibus et quasi castrensibus, obligatur, modo de alienandis immobilibus, aut mobilibus pretiosis non agatur; at de profectitiis et adventitiis minime disponere potest, quia regulariter eorum administrationem non habet.

2° *Pupillus*, seu impubes, patre orbatu, auctoritate tutoris, minor vero cum consensu curatoris, valide contrahunt, nisi agatur de immobilibus aut mobilibus pretiosis, pro quibus decretum judicis requiritur.

II. — EX JURE GALLICO

764. — 1° Minor non emancipatus contrahere *firmiter* nequit absque assistentia tutoris. Contractus tamen, si taliter fiat, validus erit *per se*, sed rescindibilis, nisi minori faveat. Unde si ex hujusmodi contractu sequatur læsio, minor ad beneficium restitutionis admittitur; secus, si nulla læsio subsequuta fuerit. Hinc axioma: *Minor restituitur, non ut minor, sed tanquam læsus.*

2° Minor emancipatus habilis est ad faciendos omnes administrationis actus a lege determinatos. Pro reliquis autem assistentia curatoris requiritur.

Restitutio locum non habet, 1° si minor dolo, non vero si mera affirmatione, alteri persuaserit se esse majorem; 2° si læsio proveniat a casu fortuito, et non præviso; 3° si obligatio oriatur ex delicto, vel quasi delicto; 4° si, commercium aut artem exercens, pro rebus commercii aut artis suæ contraxerit; 5° in aliis quibusdam casibus a lege exceptis (*art. 450...*, *476...*, *1304 et seq.*).

Resolves.

765. — 1° Minor tuta conscientia uti potest beneficio legis, secluso casu malæ fidei, cum lex in ejus favorem lata sit. Non potest tamen rescissionem postulare, ut eximatur a restitutione pecuniæ quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit; tenetur enim adimplere obligationem quam certe novit, dum pecuniam postulabat et recipiebat. Aliunde ipsius culpæ tribui debet, si nullum inde emolumentum perceperit. — *Pothier (Traité des obligations, n. 52)*, cui consonant *Toullier cum aliis jurisperitis, et Gousset (n. 747)*.

2° Qui contraxit cum minore, contractui stare potest, donec nullitas a minore, vel ab ejus patre aut tutore invocetur. Sufficit tamen postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando læsio omnino aperta est.

3° Minor solus, tum per seipsum, tum per alios a quibus repræsentetur, rescissionem contractus postulare potest; unde ii, qui cum ipso contraxerunt, ejus incapacitatem opponere nequeunt (*art. 1125*).

4° Minor non potest amplius actum in minoritate peractum impugnare, quando illum jam major factus ratum habuit: quia plene habilis erat ad contrahendum, quando actum ratum habuit (*art. 1311*). — *V. Casus, n. 770 et seq.*

§ II. De uxoribus.

I — EX JURE COMMUNI

766. — 1° Uxor non potest contrahere aut disponere de dote ejusque fructibus, nec de bonis familiæ, marito præsentem et valentem hæc bona administrare, quando hic rationabiliter invitatus sit. Secus, si maritus sit absens, amens vel fatuus, vel si expresse aut tacite consentiat, vel si non sit rationabiliter invitatus.

2° Uxor pro libitu contrahere vel disponere potest, etiam invito marito, de bonis paraphernalibus, id est de bonis quæ præter dotem attulit, et sibi

reservavit. — *Recole dicta de Dominio uxorum, n. 548 et seq. — Vide Billuart, Reuter, etc.*

II. — EX JURE GALLICO

767. — 1° Uxor generatim contrahere non potest sine speciali consensu mariti, et in hujus defectu sine iudicis auctoritate, ut dictum est in *tract. de Justitia, ibid.* — (C. C., 217, 219.) Ideoque actus, quos sine tali auctoritate posuit, rescindi debent, si ipsamet uxor, vel ejus maritus, aut ipsorum hæredes, non vero alii, nullitatem opponant.

Dixi 1° *absque consensu speciali mariti*; quia non sufficit consensus generalis in contractu matrimonii datus; sed requiritur ut sit specialis pro singulis uxoris actibus, et quidem scripto datus.

Dixi 2° *vel absque auctoritate iudicis*; quia uxor potest ad iudicem recurrere, si maritus consentire nolit, aut etiam non possit, v. gr., si absit, si sit interdictus, etc.

2° Uxor tamen contrahere potest absque speciali consensu viri: 1° quando vacat commercio publico et separato, quia tunc maritus consentire censetur, excepta immobilium alienatione; 2° quando comparat ea quæ necessaria sunt ad familiæ sustentationem.

3° Uxor, juxta leges generales, pro libitu disponere potest de bonis suis per testamentum absque ulla mariti interventione. Ratio est, quia parvi refert mariti, quatenus mulieris domini, quænam futura sit uxoris dispositio testamentaria, cum testamentum effectum suum non sortiatur, nisi post matrimonii dissolutionem.

768. — QUÆR. *An nullitas, quæ afficit contractus uxorum, sit PLENI JURIS, seu ipso facto, vel tantum post iudicis sententiam vim habeat?*

Resp.: Nullitas non est habenda ut *pleni juris*, cum requiratur iudicis sententia ad eam declarandam. Nec est absoluta, sed relativa tantum, seu pronuntiari tantum potest in favorem quarumdam personarum, quæ solæ illam invocare possunt, nempe in favorem uxoris, mariti, ejusque filiorum.

Resolves ex Jure Gallico.

769. — 1° Si uxor contrahat sine consensu mariti cum læsione jurium vel honorum ejusdem, v. gr., respectu honorum communitatis, vel reddituum a viro percipiendorum, irritus omnino est contractus. Sed uxor malæ fidei, licet in eo casu neque maritum neque bona communitatis obligare possit, tenetur tamen damnum alteri illatum reparare. — *Carrière, n. 203, et alii communiter* contra alios, qui dicunt alterum contrahentem sibi imputare debere, quod cum illa contraxerit, et sic deceptus fuerit.

2° Nullitas contractus uxoris a viro invocari potest in conscientia, etiamsi læsionem proprie dictam non passus fuerit, quia nullitas præcipue in ejus gratiam sancita est.

3° Nullitatem contractus etiam uxor ipsa invocare potest, ut videtur, quamvis lex præcise ipsi favere non intendat; quia non videtur sufficiens motivum eam a beneficio legis excludendi, modo alteram partem non deceperit. — *Carrière, ibid.*, contra alios. Sed reddere debet id omne in quo ditior evaserit, et res restitui debent in eundem statum ac erant ante con-

tractum, modo ipsa læsa et decepta non fuerit. Sæpius autem ratione doli a beneficio legis excludenda est.

4° Uxor, quæ ab alio pecuniam mutuam petit pro marito; se obligans ad eam restituendam in mariti defectu, restituere tenetur, si vir restitutionem facere non possit, aut nolit: fuit enim causa absolute determinans contractus. Ergo obligationem libere susceptam adimplere debet, præsertim viro defuncto; secus malæ fidæ evaderet. *A fortiori* uxor restituere debet pecuniam a se in propriam utilitatem, inscio marito, mutuatam. Sic enim clamat naturalis æquitas. — *V. Casus, n. 773 et seq.*

§ III. *De civiliter mortuis.*

770. — Mortui civiliter dicuntur, qui ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem damnati fuerint. Hi autem sunt præcipui mortis civilis effectus: 1° amittere proprietatem bonorum, quæ ad hæredes transeunt, quin valeat testamentum, si quod fecerint; 2° non posse accipere hæreditatem aut donationes, præter id quod ad eorum sustentationem destinatur; 3° non posse donare bona, quæ acquisierint, sive inter vivos sive testamento. — Hæc videntur generatim effectum habere in foro conscientiæ. Attamen juxta communem interpretationem non prohibentur civiliter mortui ab accipiendis donationibus manualibus quibuslibet. Inhabiles enim sunt ad ea dumtaxat, quæ lege determinantur, unde plerosque contractus valide ineunt, et agendi commercii non sunt incapaces. — *Ita Jus Rom.*

Lege 31 Maii 1854 *mors civilis* in Gallia abolita est, interdictione tantum plectuntur, qui antea morti civili erant obnoxii.

§ IV. *De interdictis et prodigis.*

771. — Interdicti sunt illi, qui judicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis, aut dementiæ, aut furoris. Designatur autem illis aliquis ut tutor, omnesque eorum actus jure sunt irriti; non tamen absolute nulli æstimandi sunt ante sententiam judicis. Cessat interdictio, cessante causa; cujus cessatio declarari debet a judice, ut interdictus possit iterum civiliter agere. Prodigii juridice denunciati inhabiles sunt ad certos ineundos contractus lege determinatos, absque assistentia consiliarii a judice constituti.

Nullitas porro contractuum initorum ab interdictis et prodigis opponi quidem ab ipsis potest aut ab agentibus illorum causam, non vero ab iis qui cum illis contraxerunt, sicut de minoribus dictum est.

ARTICULUS III

DE CONSENSU REQUISITO

1° Ejus dotes; 2° vitia opposita.

§ I. *De dotibus legitimi consensus.*

772. — Consensus esse debet externus, internus, mutuus, liber et deliberatus.

1° *Externus*, id est manifestatus, quia comparti manifestari debet; nequit autem alteri parti pateferi, nisi aliquo signo visibili exterius prodeat.

2° *Internus*, quia obligatio contractus oritur a sola contrahentis voluntate. — *Ita communiter*.

3° *Mutuus*, quia contractus est conventio duorum vel plurium; hinc si sit onerosus, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio. Si gratuitus sit, requiritur cessio ex una parte et acceptatio ex altera.

4° *Liber et deliberatus*, ita ut contrahens non solum sit sui compos, sed etiam agat cum ea deliberatione, quæ ad peccatum grave requiritur; secus enim voluntas esset imperfecta, atque adeo imperfectus actus, qui perfectam obligationem parere non posset.

Quæsitæ.

773. — QUÆR. 1° *An valeat contractus initus cum animo contrahendi, sed sine animo se obligandi, vel sine animo illum implendi?*

Resp. ad 1^{um}: *Probabilius* non valet, quia conditio apposita est contraria substantiæ contractus. — *S. Lig. n. 710.* — *Alii* dicunt valere contractum prout prævalet, aut non prævalet volitio contractus. — *Lacroix.*

Resp. ad 2^{um}: Valet contractus. Ratio est, quia potest consistere voluntas non implendi cum voluntate se obligandi. — *S. Lig. et alii communiter.*

QUÆR. 2° *An consensus utriusque partis simul elici debeat?*

Resp. Neg.; quia consensus unius semel datus, nec revocatus, moraliter perseverat, ita ut accedente alterius consensu statim perficiatur contractus.

Resolves.

774. — 1° Qui fide in contractum consentit, tenetur in conscientiæ foro partem deceptam indemnem facere, et, si aliud non suppetat medium reparandi injuriam, consensum internum præbere et contractui stare. — *Hom. apost., tract. X, n. 93.*

Quod si contractus fide initus executioni fuerit mandatus, nullum dominium reipsa translatum est. Unde, ratione rei acceptæ, deceptus habendus est tanquam possessor bonæ fidei, deceptor autem tanquam possessor malæ fidei.

2° Si offeram tibi domum 100 aureis venalem, et tu acceptes, contractus perficitur, non quando interne consentis, sed quando tua acceptatio mihi per aliquod signum externe prodit. Consensus autem meus est tibi sufficienter intimatus per hoc quod tibi domum meam pro pretio statuto offeram.

3° Si mecum contrahas per procuratorem, contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat, licet tu necdum acceptaveris, quia acceptatio tui procuratoris moraliter tua est.

4° Taciturnitas regulariter reputatur pro consensu, si materia sit favorabilis tacenti. Hinc regula Juris: *Qui tacet, consentire videtur.*

5° Si *Paulus* dicat coram *Joanne*: Do 100 aureos *Petro*; et si *Joannes* injussus *Petro* id referat, et hic dicat: *Accepto*; *Paulus* non censetur obligatus; quia intimatio promissionis non fuit facta *Petro* de mandato *Pauli*, qui cæteroquin per relata verba nihil aliud ostendit nisi merum dandi propositum. — *V. Casus, n. 776.*

§ II. *De vitiis consensui oppositis.*

Præcipua sunt error, dolus, vis et metus.

PUNCTUM I

De errore et dolo.

775. — Error in contractibus versari potest: 1° circa substantiam rei, ut si emas cuprum pro auro; 2° circa naturam seu speciem contractus, v. gr., si sumas locationem pro venditione; 3° circa qualitatem seu accidentia rei, puta si equus sit tardus, dum reputatur velox; 4° circa personam, v. gr., si quis daret *Petro*, volens dare *Paulo*; 5° circa motivum, v. gr., si quid dares *Caio* ob paupertatem vel pietatem, dum dives est vel impius.

Error tamen circa qualitatem, licet *accidentalem*, potest esse *causa contractus*, quatenus, eo remoto, contractus initus non fuisset; motivum enim agendi *secundarium* causa potest esse, cur aliquid fiat aut non fiat. Sic, v. gr., potest quis emere domum quia ampla est et commoda, quam tamen non emisset, si eam novisset quibusdam in partibus ruinosam.

Dolus, ex *Digest.*, l. 1, § 2: *De dolo malo*, est machinatio ad decipiendum alterum adhibita. Si effectum obtineat, definiri potest: artificiosa alterius deceptio; et tunc est causa injusta erroris, et damni ex errore secuti.

Principia.

776. — I. Omnis error circa rei *substantiam* aut contractus *naturam*, contractum nullum reddit. Ratio est, quia tunc nullus est consensus, qui rem omnino diversam respicit. — *S. Lig. n. 714.*

II. Error circa *solum qualitatem* non invalidat *per se* contractum, saltem si cognito errore nihilominus contractus fuisset initus. Consensus enim prorsus voluntarius circa objectum principale conventionis habetur. — Si autem cognito errore initus non fuisset contractus, *controvertitur*, ut statim dicemus.

III. Dolus, *per se* et spectato solo jure naturæ, tum præcise invalidat aut non invalidat contractum, quum simplex error id etiam efficit; nam consensui nocere non potest, nisi quantum et quatenus causa est erroris. Injuria tamen, quæ decepto per dolum infertur, sæpe locum dare potest contractum initum rescindendi.

Quæsitæ.

777. — QUÆR. 1° *An error vel dolus circa qualitatem dans causam contractui irritet contractum sive onerosum, sive gratuitum?*

Resp. 1° *Neg. probabilius* quoad contractus *onerosos*, si agatur de solo errore, quia talis error non impedit *cognitionem* neque *consensum* quoad rei substantiam. Secus vero, vix ullus contractus validus foret, quod in commercii humani subversionem cederet. Excipe si qualitas velut *conditio sine qua non* expresse intendatur, quia tunc in rei substantiam transit.

Quando autem error provenit ex dolo, cujus auctor est, aut certe cui

participat, alter contrahens, pauci quidam senserunt jure naturæ, plures jure saltem positivo (Romano), contractum irritum esse; at communis ac probabilior sententia docet ipsum utroque jure esset validum, quamvis rescindi possit ab eo qui deceptus est: non defuit enim substantialis atque voluntarius consensus, et aliunde tenetur deceptor auferre injuriam a se illatam, quod fieri non potest, nisi res in integrum restitui, seu pactum dissolvi queat. — *S. Alph., Lessius, Sanchez, Lugo, Salmant.*, etc. — Si dolus a quodam tertio, sine ulla alterius contrahentis culpa, adhibeatur, certo validus est contractus: sed alii, cum *Lessio, Sanchez, Bonac.*, volunt adhuc esse rescindibilem, alii dicunt rescindi non posse, dari tamen actionem decepto adversus deceptorem pro reparatione damnorum obtinenda. — *Lugo, n. 84.*

Resp. 2º: Quoad contractus *gratuitos affirm. probabilius*. Ratio, quia tales contractus ex natura sua plenum voluntarium et omnimodam spontaneitatem requirunt; atqui hæc plane defuit, quando causa ad donandum movens deesse supponitur. — *Ita communiter, contra nonnullos, qui cum cæteroquin admittant, hosce contractus ad nutum donatoris sic decepti esse rescindibiles, quoad praxim ab altera sententia non multum recedunt. Vid. S. Alph., n. 714, 715; Hom. apost., n. 124, 125.*

QUÆR. 2º *An error vel dolus circa personam contractum invalidet?*

Resp. 1º Neg. generatim loquendo, quoad contractus onerosos, quia in his error hujusmodi est mere accidentalis; et parvi sane interest tum venditoris, cuinam rem vendat, dummodo congruum pretium accipiat, tum emptoris, a quonam emat, si res ipsi conveniat. Excipiendus est contractus matrimonii, in quo consensus ipsamet afficit personam, quæ fit simul et pars contrahens et ipsius contractus objectum.

Resp. 2º Affirm. plerumque quoad contractus gratuitos, quia in his persona donatarii a donatore specialiter intendi solet. Spectanda sunt tamen rerum adjuncta, e quibus benefactoris voluntas dignosci melius potest.

778. — QUÆR. 3º *An contractum invalidet error vel dolus circa motivum?*

Resp. 1º Affirm., si error cadat in motivum *finale*: v. gr., si dares elemosynam *Titio*, quia illum pauperem reputas, cum dives sit, tuus enim consensus quoad ipsam rei substantiam deficit.

Resp. 2º Neg., si error cadat solum in motivum *impellens*, v. gr., si elemosynam dares *Petro* pauperi, quem valde probum credis, cum sit minus probus; hic error enim mere accidentalis est. — *S. Lig. n. 737; Hom. apost., n. 137.*

Resolves.

779. — 1º Si sacerdos sub nocte emat pro se pannum, putans esse nigri coloris, dum viridis aut violacei est, non valet contractus, si expresse declaraverit se nigri coloris pannum velle; licet enim color in se sit mera qualitas, in hoc casu transit in substantiam, proindeque error evadit substantialis.

2º Si tibi volenti emere vinum Burdigalense, Burgundinum offeratur, valet contractus *per se*, non obstante errore vel dolo, quia error non est substantialis. Sed justitia læditur accidentaliter, si Burdigalense carius

sit; ideoque venditor restitutioni obnoxius erit. Si vero utriusque vini pretium sit æquale, vel si pretium imminuatur pro rata excessus, venditor immunis erit ab injustitia, quamvis non a peccato mendacii. Dixi *per se*; quia facile error posset esse *substantialis*, ul, v. gr., si emptor intentionem expressis verbis Burdigalensi vino alligasset ob certum finem, ad quem aliud quodlibet non conduceret. — *Reuter, n. 413 et seq.*

3° Qui apud bibliopolam emit librum, quem existimat bonum, et postea apprehendit esse pravum, nihilominus valide contraxit, quia hunc præsentem absolute et sine restrictione emere voluit, quamvis certe non emisset, si pravum cognovisset. Secus vero, si falsus titulus libro inscriptus fuisset; quia tunc titulus causam erroris substantialis præbuisset. — *V. Cassus, n. 779 et seq.*

PUNCTUM II

De metu.

Metus est: 1° vel gravis, vel levis, non solum absolute, seu ratione mali imminenti in se spectati, sed etiam respective ad personam quam afficit ejusque dispositiones; 2° inductus a causa intrinseca vel extrinseca, necessaria vel libera, justa vel injusta; 3° incussus in ordine ad contrahendum, vel ad alium finem. — *Recole dicta in tract. de Act. hum., n. 17 et seq.*

Principia.

780. — I. Nullus contractus ex metu ab intrinseco, aut causa necessaria seu naturali, est invalidus vel rescindibilis, nisi forte qui ex timore contrahit, sui compos non fuerit. Ratio est, quia nulla injuria contrahenti irrogatur, et aliunde hic sufficientem servat libertatem.

II. Idem dicendum est, si metus a causa libera seu ab homine justa de causa incussus fuerit. Ratio est, quia non solum talis contractus est simpliciter voluntarius, sed etiam periculum, in quo versatur contrahens, est ei voluntarium in causa, neque de illo tanquam de injuria ipse conqueri potest; hinc stuprator metu gravi, sed justo, adactus ad ducendam puellam, quam seduxit, valide contrahit.

III. Metus gravis a causa libera injuste incussus non impedit *per se*, nisi omnino rationem perturbet, quominus contractus sit simpliciter voluntarius, ut constat ex dictis de Act. hum. Ratione igitur solius injuriæ quam continet, nocere aliquando potest valori aut saltem firmitati contractus.

Quæsitæ.

781. — QUÆR. 1° *An metus injustus, sed levis saltem respective, dans causam contractui, irriter contractum?*

Resp.: Probabilius nullus contractus, saltem onerosus, initus ex metu levi, est invalidus, nec rescindibilis ad nutum illius qui metum passus est. Ratio est, quia metus undecumque levis in jure pro nullo reputatur, cum facile contemni possit. — Secus enim gravissima incommoda in commercio humano sequerentur, cum metus levis frequentissimus sit. *Ita S. Lig., Hom. apost., tract. X, n. 125, etc.* In contrarium tamen *Lugo*

cum *aliis*, quorum sententia probabilis a *S. Alph.* dicitur, admittit ejusmodi contractum esse rescindibilem, præsertim si metus, licet levis, unica sit contrahendi causa.

Dixi, *saltem onerosus*; nam si agatur de contractibus gratuitis, ejusmodi contractus *probabilis* videntur irriti, quoties metus levis injuste incussus fuerit ad ejusmodi extorquendum consensum. His enim contractibus essentielle est, ut procedant ex benevola et ultronea liberalitate. Sententia tamen opposita aliis visa est probabilis.

QUÆR. 2° *An metus gravis injuste incussus a comparte in ordine ad contrahendum, irritet contractum, si rationem minime perturbet?*

Resp. 1°: Ex omnium sententia contractus hujusmodi sunt rescindibiles, sive gratuiti sint, sive onerosi.

Resp. 2°: Quoad contractus *gruitos*, *affirm.* Hoc enim a *fortiori* patet ex dictis de metu levi. — *Ita plures*, et *S. Lig.*, n. 716, *id admittit ut probabile*. Multi tamen nullum discrimen instituunt inter contractus gratuitos et onerosos. — *Vid. Lugo*, d. XXII, n. 115.

Resp. 3°: Quoad contractus onerosos, valde *controvertitur*, et duplex datur sententia probabilis.

I^a Sententia communior affirmat hujusmodi contractus esse validos. Ille enim, qui patitur metum, vult *vere et absolute* ex suæ voluntatis motu contrahere. *Ita S. Lig.*, *ibid.* — *Lugo*, et *alii*.

II^a Sententiâ docet, contractus illos ex jure naturæ esse plane irritos. Ratio est, quia secus jus ab injustitia oriretur; et proinde incutiens metum posset rem extortam sine injustitia retinere usque ad judicis sententiam, quod tamen adversarii plerique omnes negant. Nec dicas, dari compensationem in contractu oneroso per solutam pecuniam vel æquivalentem traditum; nam sæpe durius est proprietario rem suam a se alienare, quam pecuniam gratuito ex metu tribuere.

Cæterum in praxi non valde differunt hæ sententiæ, cum utraque in favorem coacti tandem quæstionem resolvat, ut jam diximus de casu simili, n. 777.

Adverte tamen, ex Jure canonico certo invalidos esse contractus ex metu gravi elicitos, ubi agitur: 1° de matrimonio, et probabiliter etiam de sponsalibus; 2° de traditione rerum Ecclesiæ et renuntiatione beneficii; 3° de voto et professione religiosa; 4° de absoluteione a censuris, et *probabiliter* etiam de jurisdictione ecclesiastica.

782. — QUÆR. 3° *An rescindibilis sit contractus propter metum reverentialem initus?*

Resp. *Neg. probabilis*, quia non videtur, *per se*, sufficiens causa rescindendi contractum, nisi simul includat metum gravis mali, puta diuturnæ indignationis, etc. Item nec preces importunissimæ metum gravem constituunt, nisi forte cum metu reverentialem erga Superiorem jungantur. *Sanchez.* — *Salm.*, et *alii communiter.* *Vide S. Lig.*, n. 717.

QUÆR. 4° *An sit irritus, vel privata auctoritate rescindibilis contractus, si metus gravis et injustus a tertio tantum incutiatur, ita ut pars altera non sit injuriæ particeps?*

Resp. : *Controvertitur.* *I^a Sententia probabilis affirmat*, quia ratione injuriæ, etiam a tertio illatæ, res priori domino obligata manet, et conse-

quenter cum illo onere ad quoslibet transit; non autem par est, ut quis per alterius injuriam jus omne in rem suam amittat. — *Billuart, etc.*

II^a Sententia, et ipsa probabilis, *negat*; quia, cum neutra pars injuriam fecerit, nulla ex natura rei ratio adest, cur irritus sit contractus, et cur possit ad libitum unius rescindi, invito altero. — *Lugo, d. XXII, n. 117.* — *Reuter, n. 126.*

783. — QUÆR. 5^o *Quid si metus gravis fuerit quidem injuste incussus, sed non ad consensum extorquendum?*

Resp. : *Controvertitur*, sed videtur sic distinguendum : 1^o Si metus ab altero contrahentium sit incussus, non valet contractus, vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tenetur tollere omnia incommoda quæ ex injuria proveniunt. *Reuter, n. 127.* — *Lugo, disp. XXII, n. 177, etc.* — 2^o Secus, si metus proveniat a tertio, quia nullus contrahentium injuriam intulit; tertius autem, qui metum infert, non potest auferre contractus obligationem, consentiendo in ejus rescissionem, siquidem contractus cum ipso initus non fuit : tenetur tamen inducere ad rescissionem, ut ab innocente injuriam avertat, si hic velit. Hinc valida est emptio gladii facta ex metu hostis tui. Excipit *Lugo, n. 178*, contractum matrimonii, quem ex tali metu initum putat esse invalidum. Alii excipiunt etiam contractus gratuitos, quia sic melius innocenti consulitur, et alter conqueri non potest, siquidem solo lucro privatur, ac manet in statu in quo antea versabatur; et sicut ipse nollet in iis adjunctis obligari, ita nec alterum obligare debet.

Resolves.

784. — 1^o Si mineris alicui in furto deprehenso, te eum delaturum esse ad dominum læsum, vel ad custodem, aut judicem, nisi munus certum tibi promittat, tenet promissio, nec munus acceptum teneris reddere, nisi forte judicio viri prudentis excessivum videatur. Hoc etiam verum est, etsi intentionem illum deferendi non habuisses, sed solum terrendi, quia cederes e jure tuo id faciendi, quod pretio æstimabile est. — *Elbel, n. 307.* — *Reuter, n. 120.*

2^o Si *Titius* intulit tibi metum, ut rem aliquam *Caio* tradas, non tenet contractus. Etenim si *Caius*, quo tempore rem a te acceptat, injuriam tibi illatam novit, metum ipse incutere censetur per *Titium*. Si vero novit posterius, assimilandus est possessori bonæ fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac comperit esse alienam. — *Billuart, diss. I, art. 4.*

3^o Si quis tibi damnum ex mera malevolentia paret, atque adeo nihil a te postulat; tu vero sponte pecuniam promittas, ut illæsus evadas, eam tradere non teneris; quia licet metus non fuerit in ordine ad contrahendum, habet tamen pro objecto solam injustæ vexationis cessationem; atqui vexator hanc cessationem vendere nequit: ergo quidquid sic acquirit, ut malæ fidei possessor accipit, adeoque restituere debet. — *Billuart, ibid.*

4^o Si viator a latrone oppressus transeuntem hominem in auxilium advocaverit, ei pecuniam promittendo, valet promissio, quia metus non est ejus causa, sed occasio tantum; et aliunde auxilium a transeunte præstitum est pretio æstimabile. Attamen, si summa enormis esset, imminuenda foret. — *V. Casus, n. 785 et seq.*

CAPUT II

DE OBLIGATIONE CONTRACTUS

Obligatio contractus est vinculum quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

Principia.

785. — I. Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiae, saltem ex parte unius e contrahentibus; quia in contractu jus ali- quod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem juri sua correspondet obligatio; ergo...

II. Contractus rite initus, nisi quid aliud pro casu particulari leges stant, vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes, aliasve quæ aut eorum locum teneant, aut cùm iisdem causam habeant, ut sunt hæredes, mandantes, etc. Ratio est, quia nemo privatus alteri invito onus impo- nere, vel beneficium concedere potest, nec alioquin contractus vim habent, nisi a privata contrahentium voluntate.

III. Contractus rite initus non solum obligat ad id quod pacto exprimi- tur, sed ad omnia consecutaria quæ pro conventionis natura postulant æquit- as, lex, aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et propterea velle non tantum quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet.

Hinc studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum. Tandem si omnibus perpensis dubium tolli nequeat, amica- bilis transactio suadenda est.

Quæsitæ.

786. — QUÆR. 1^o *Quorsum obliget contractus jure positivo tantum rescis- sioni obnoxius?*

Resp. : Contractus ille dici potest conditionate obligans, scilicet si nullitas non invocetur. Ratio est, quia legislator ad bonum pacis noluit, ut ejusmodi contractus invalidi censerentur et essent, nisi quando eorum nullitas expresse invocaretur, et obtineretur. Sequitur ex dictis de contractibus mi- norum, uxorum, et interdicatorum, n. 762 et seq.

QUÆR. 2^o *An valeant et in conscientia obligent contractus initi absque for- malitatibus ad ipsorum valorem a jure præscriptis?*

Resp. : Triplex est sententia probabilis :

I^a Sententia affirm., quia de jure naturali solus consensus partium suf- ficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obligationem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget.

— *Molina*, etc.

II^a Sententia negat, quia leges irritantes contractus prædictos fundantur in præsumptione non tantum doli, sed etiam periculi communis; postulat siquidem bonum commune, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur; et pro-

inde naturalem quoque obligationem contractus irriti in foro externo lex tollere potest et debet. — *Lessius, l. II, c. XIX, etc.*

III^a Sententia tenet, in his contractibus præferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum. — *Ita S. Lig. n. 711*, ubi addit, *Hanc sententiam esse in praxi omnino tenendam, ex eo quod, cum possessio jus certum tribuat, nequit possessor re exspoliari, nisi constet de jure alterius.*

787. — QUÆR. 3^o *Quomodo cesset obligatio contractuum?*

Resp. : Obligatio contractuum cessat : 1^o Per *solutionem*, seu per *præstationem* cujuslibet rei debitæ, aut etiam per *executionem* objecti promissi aut alias debiti.

2^o Per *novationem*, seu substitutionem novi debiti debito veteri, quod sic exstinguitur: v. gr., promisi tibi dare singulis annis decem vini dolia; nunc convenio tecum, ut vinum amplius dare non tenear, sed mille francos: obligatio dandi vinum tunc exstinguitur.

3^o Per *condonationem*, seu actum quo creditor debitori suo ex plana libertate debitum remittit. Quisque enim de jure suo cedere potest in iis omnibus quæ ad bonum publicum non spectant, modo ad contrahendum inhabilis non fuerit.

4^o Per *compensationem*, seu fictam et reciprocam solutionem, quæ locum habet, quando personæ sunt erga se invicem debitrices.

5^o Per *confusionem*, quæ locum habet, cum obligatio debitoris et jus creditoris in eadem persona coadunantur, v. gr., si creditor fiat hæres sui debitoris, vel debitor sui creditoris, vel eadem persona fiat hæres creditoris simul et debitoris.

6^o Per *destructionem*, aut *perditionem* rei debitæ, quæ aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis, et aliquando in aliis, ubi non incidit culpa debitoris... Aliquando vero non liberat, v. gr., si e venerit culpa debitoris, vel fuerit in mora culpabili, etc.

7^o Per *rescisionem*, seu *rescindibilitatem*, quæ locum habet, quando contractus essentialibus conditionibus constans ob aliquos defectus dissolubilis est. Contractus ille valet, donec rescindatur, *ut supra dictum est (C. C., 1234).*

8^o Per *præscriptionem*, de qua dictum est supra, *tract. de Justitia, n. 580 et seq.*

788. — QUÆR. 4^o *An cessio bonorum a solutione integra liberet?*

Resp. 1^o *Neg.* quoad cessionem voluntariam, seclusa speciali conventionione inter creditores et debitorem, vi cujus hic omnino liberetur. Ratio est, quia creditores non sunt facti omnino indemnes, et proinde remanet adhuc inæqualitas reparanda. — *S. Lig. n. 669. — Goussset, n. 772. — Vogler, n. 542. — Vide supra, de Justitia, n. 719.*

Resp. 2^o *Neg.* etiam quoad cessionem judicariam; privilegium enim cessionis consistit tantum in eo, quod debitor infelix et bonæ fidei amplius judicialiter urgeri non possit; proinde si nova bonâ acquirat, usque ad integram solutionem creditoribus satisfacere debet. — *S. Lig., ibid.* Excipe, si ex rerum adjunctis videantur creditores omnia antiqua debita condonare.

QUÆR. 5^o *An bona cessurus aliquid occulte sibi reservare possit?*

Resp. 1^o : Certo peccat contra justitiam, si res magni valoris retinet, quia damnus creditoribus infert.

Resp. 2° : Qui cedit bonis, si in magna versetur indigentia, non peccat contra justitiam, si bona quædam servet, quibus sustentetur cum familia, donec per judicem ipsi provisum fuerit. Post factum autem inquietandi non sunt illi qui res vere sibi necessarias, modici valoris, sibi retinuerunt. — *Vogler, n. 542.* — *Gousset, n. 772.*

789. — QUÆR. 6° *Quibusnam signis distingui possit, utrum lex irritet contractum IPSO FACTO, ob defectum solemnitatis, vel post judicis sententiam tantum?*

Resp. : Vix ac ne vix quidem regulæ omnino certæ in hoc dari possunt; nec concordant inter se sive theologi, sive jurisperiti. Generatim tamen lex videtur ipso facto irritare in conscientia et ante judicis sententiam :

1° Quando irritatio directe fundatur in lege determinativa proprietatis; quia ad Principem vi supremæ potestatis pertinet, dominium rerum determinare. Hinc ipso facto irritæ sunt dispositiones quibus reservatio hæredum necessariorum læditur.

2° Quando irritatio spectat actum bono publico nocivum; quia Princeps habere debet potestatem impediendi, ac proinde in conscientia irritandi actus civiles bono communi noxios; secus deordinationem in societate efficaciter non impediret. Hinc ipso facto irritæ sunt ex utraque parte conventiones ob causam turpem.

3° Quando irritatio directe fundatur in motivo boni publici; quia secus legislator scopum suum sufficienter non obtineret. Sic irritæ sunt ipso facto dispositiones immobilium dotalium.

Quando vero difficile sit, ut sæpe contingit, præfatas regulas applicare; ad interpretationem Doctorum, et ad consuetudinem recurrendum est.

CAPUT III

DE CONTRACTUUM MODIFICATIONIBUS

Modificationum nomine designantur quædam clausulæ præter contractuum naturam et essentiam adjectæ, ita ut eorundem contractuum obligationem nunc obfirmant, nunc etiam augeant vel determinent, nunc suspendant vel perimant.

Præcipuæ autem contractuum modificationes sunt : 1° juramentum; 2° modi; 3° conditiones. — De his tribus breviter agendum.

ARTICULUS I

DE JURAMENTO CONTRACTUI ADJECTO

790. — Juramentum, prout hic sumitur, est advocatio Dei in testem eorum quæ per contractum promittuntur. Obligatio juramenti ab obligatione contractus in hoc etiam differt, quod obligatio juramenti afficit et obstringit immediate jurantis personam, unde ad hæredes non transit; obligatio vero contractus confert alteri jus *strictum*, seu jus *proprietatis*, afficiens contrahentis bona, ideoque ad hæredes obligatio integra transit.

Principia.

791. — I. Contractus jure naturæ irriti, juramento non firmanur. Ratio est, quia juramentum est actus omnino extrinsecus contractui, et proinde ejus vim supplere nullatenus potest. Hinc axioma: *Juramentum sequitur naturam actus.* — *Billuart.* — *Reuter,* etc.

II. Nec firmanur juramento contractus ipso facto irriti de jure positivo. Ratio est, quia lex irritans innititur motivo boni communis atque ordinis publici; juramentum igitur foret contra bonum commune, et proinde vinculum immorale, quod Deus, societatis auctor, sancire non potest. — *Ita communius cum Billuart.*

III. Juramentum semper est invalidum, quoties sine jurantis peccato servari non potest. Ratio est, quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, nec contra bonos mores obligare valet. — *Ita omnes theologi.*

Quæsitæ.

792. — QUÆR. 1^o *An juramentum firmet contractus, non quidem lege positiva irritos, sed rescindibiles tantum?*

Resp. 1^o *Neg. probabilius,* quando rescindibilitas intuitu boni publici inducitur. Ratio patet ex dictis. Hinc non valent juramenta minorum, uxorum et similium ad firmandos contractus lege irritos, etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta; quippe perversi homines semper juramentum ab iis exigerent, quod in detrimentum societatis cederet.

Resp. 2^o : *Probabilius* autem juramentum valet, si rescindibilitas inducta fuerit in privatam contrahentium utilitatem; quia unusquisque renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto: juramenti autem interpositio in eo casu est quædam renuntiatio beneficio rescissionis, in gratiam contrahentis inducto. Hinc videtur stare juramentum quo quis promittit libere alteri, se non revocaturum testamentum vel legatum in ipsius favorem factum, quia jurans e jure suo cedere potest. — *Ita communius.* — *Lugo,* etc.

793. — QUÆR. 2^o *An valeant juramenta metu extorta ad firmandos contractus ob metum per se invalidos?*

Resp. : Duplex sententia datur probabilis :

I^a Sententia communior affirmat, quia ex motivo Religionis juramentum servari debet, quoties sine peccato servari potest. — *S. Lig., de Juram., n. 174.* — *Lugo, Billuart.*

II^a Sententia probabilis neg., quia juramentum naturam actus sequi debet; juramentum enim actum de natura nullum confirmare nequit. Præterea juramentum esset actus prorsus inutilis, imo ridiculus. Nam, v. gr., post pecuniæ traditionem a te vi juramenti factam latroni, eandem pecuniam statim a latrone, etiam vi adhibita, recuperare posses; quod prorsus illusorium foret. — *S. Antoninus.* — *Sanchez,* etc.

ARTICULUS II

DE MODIS CONTRACTUI PRÆFINITIS

794. — Modus est qualitas adjuncta, plerumque non suspendens contractum, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium.

Contractus modales præcipue fiunt : 1° in diem, — 2° sub causa, — 3° sub pœna, — 4° sub demonstratione, — 5° sub disjunctione.

Resolves.

1° Modus servandus est ex justitia, nisi repugnet substantiæ contractus.

2° Illius violatio ordinarie, et nisi aliter conventum fuerit, non irritat contractum; quia ut quid mere accidentale habetur.

3° Si modus sit turpis aut impossibilis, habetur pro non adjecto; nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturæ repugnet, vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit.

4° In contractu *ad diem*, obligatio statim oritur, sed *effectus* ad diem determinatum suspenditur.

5° In contractu *sub causa* (*quia*), vel sub *demonstratione* (vendo hoc vel tantum), error non invalidat, nisi ad essentiam rei pertineat.

6° Si error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative*; si vero *taxative*, ut aiunt, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative*, si res primo loco exprimatur, et postea ejus quantitas: v. gr., lego *Titio* prædium meum triginta jugerum; *taxative* vero, si primo loco quantitas exprimatur, deinde res; v. gr., lego tres aureos in tali capsula. Sed adjuncta rerum perpendenda sunt.

7° In contractu *sub pœna*, id est, quoties resilienti pœna imponitur, pœna hæc ex justitia debetur, si petatur, saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Pœna tamen moderata esse debet; secus non obligaret.

8° In contractu *sub disjunctione*, v. gr., 'promitto bovem aut equum, nulla res determinata debetur, et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem.

ARTICULUS III

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPOSITIS

795. — Conditio est qualitas contractui adjecta, quæ plerumque illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam: *si, nisi, modo, etc.*

Multiplex est conditio quæ contractibus apponi potest, scilicet: 1° *expressa*, vel *tacita*; — 2° de *præsenti*, vel de *futuro*; — 3° *possibilis*, vel *impossibilis*; — 4° *necessaria*, aut mere *contingens*; — 5° *honestas*, vel *inhonestas*; — 6° *potestativa*, vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis, vel non est; — 7° *positiva*, vel *negativa*; — 8° *contraria* substantiæ contractus, vel non.

Resolves.

796. — 1° Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se obligare voluisse.

2° Conditio de re turpi aut impossibili contractum nullum tum jure naturæ tum civili reddit. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid turpe aut prohibitum se obligare. Excipiuntur tamen in Jure civili, tum communi,

tum Gallico, donationes inter vivos et per testamenta, in quibus conditiones *turpes* pro non adjectis habentur. — *Cod. civ.*, 900. — Idem dicendum de conditione turpi aut impossibili matrimonio adjecta, modo substantiæ contractus contraria non sit. — *Ita ex Jure canonico.*

3^o Conditio de *præsenti* et *præterito* non suspendit obligationem, sed illam statim vel adducit, vel impedit, quia vel existit, vel non; proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel nullus.

4^o Conditio non tantum æquivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem, *si nupseris*, quam impleri dicunt per ingressum in Religionem; secus enim conditio turpis esset. — *Vide S. Lig.*, n. 939. Excipe, si conditio esset determinata ad aliquam personam, v. gr., si nupseris *Paulo*; quia justa et honesta ratio tunc adesse potest.

5^o Conditiones *potestativæ*, seu quæ a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletæ censentur non solum cum id præstatur quod instar conditionis injunctum fuit, de quo nulla esse potest controversia, sed etiamsi id reipsa non præstetur, quando ille, qui se obligavit, vel 1^o impedivit quominus conditio adimpleretur; vel 2^o ab altero impeditus est, nè conditioni satisfaceret. — *V. Casus*, n. 787 et seq.

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

Ac 1^o de contractibus gratuitis; — 2^o de contractibus onerosis.

SECTIO I

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

Nimirum: 1^o de promissione; 2^o de donationibus; 3^o de commodato et precario; 4^o de positivo et sequestro; 5^o de mandato et gestione negotiorum; 6^o de mutuo...

CAPUT I

DE PROMISSIONE

797. — Promissio est contractus, quo quis libere et spontanee sese obligat ad aliquid gratuito præstandum vel omittendum in alterius favorem.

Conditiones ad obligationem promissionis requisitæ sunt: 1^o Ut adsit voluntas se obligandi, saltem virtualis et implicita, quam censetur habere quisquis serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat.

2^o Ut consensus ejusdem promittentis plene sit liber et spontaneus, ac proinde absit omnis error et dolus circa substantiam et causam finalem, omnisque coactio vel metus injustus.

3^o Ut ipsa promissio sit exterius manifestata, et acceptata; siquidem omne pactum debet constare mutuo consensu duorum vel plurium in idem

objectum, et aliunde nemo censetur velle sese erga aliquem obligare, nisi iste acceptet.

Quæsitæ.

798. — QUÆR. 1^o *Quæ et quanta sit obligatio promissionis semel acceptatæ?*

Resp.: *Controvertitur* inter theologos. Triplex datur sententia probabilis, juxta *S. Lig. n. 720*.

I^a Sententia tenet, promissionem, *per se*, solum obligare sub peccato veniali, et ex mera fidelitate. Ratio est, quia contractus obligat solum vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint. — *Salmant.* — *Sættler, et alii.*

II^a Sententia dicit, promissionem seriam in re gravi obligare sub gravi ex justitia, independenter ab intentione promittentis. Ratio est, quia promissio gratuita non est diversi ordinis ac promissio onerosa, ratione obligationis. — *Antoine, q. 3, etc.*

III^a Sententia, *communior et probabilior*, docet obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde si ille intendat se ex justitia obligare, obligatur sub mortali in gravi materia; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur. — *Lugo.* — *Billuart.* — *Sporer, etc.* Porro ad materiam gravem in promissione requirunt quantitatem quadruplo majorem quam in furto mortali. — *S. Lig.*

Et hæc quidem de promissione *proprie* sumpta. Nam sæpius promissiones, quales communiter fiunt, neque ex justitia, neque ex fidelitate obligant; quia promittens non intendit suam fidem stricte obligare, sed mere propositum suum enuntiare.

799. — QUÆR. 2^o *Quid in dubio, an aliquis voluerit se obligare sub gravi aut sub levi juxta patronos tertix sententiæ?*

Resp.: Probabilius pro minima parte standum est, quia in dubio non est imponendum onus certum, præsertim in promissione, quæ maximam requirit spontaneitatem. — *S. Lig. n. 720*. Certum præterea est, promissionem serio factam et acceptatam in re gravi posse, *per accidens*, obligare sub gravi ex justitia; ut si intercederet ratio ingentis damni proximo obvenientis ex promissione non servata. — *Scavini.*

QUÆR. 3^o *An aliquis possit promissionem acceptare per alium?*

Resp. Affirm. Potest quis acceptare promissionem per quempiam ad id electum, aut per familiarem, quia unam moraliter personam cum eo constituere censetur. Potest etiam promissionem acceptare per alium, qui ejus curam gerit, v. gr., pater pro filiofamilias, Religiosus pro monasterio, Prælati pro Ecclesia sua, uxor pro marito.

QUÆR. 4^o *Quandonam cesset vis promissionis acceptatæ?*

Resp.: 1^o Si promissarius sponte condonet, aut juri suo cedat. — 2^o Si res promissa fiat illicita vel inutilis. — 3^o Si promissarius non stet suis promissis. — 4^o Si status rerum vel personarum ita mutetur, ut promissio non videatur illum eventum comprehendere. — 5^o Si finis, qui ad promittendum movit, nullatenus subsistat, neque jam obtineri possit. — *S. Lig., ibid.*

800. — QUÆR. 5^o *An, vel quatenus obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius, vel promittens?*

Resp. ad 1^{am} *Disting.* Nullo modo obligat, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam promissarii; quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus; secus autem, si promissio facta sit præcipue intuitu familiæ promissarii, vel ipsius hæredum.

Resp. ad 2^{am}: Mortuo promittente, promissio debitis vestita conditionibus ab ejus hæredibus adimplenda est; quia omnis obligatio realis ad hæredes transire debet eodem modo eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde sub gravi, vel sub levi, ex justitia vel fidelitate, tenebuntur hæredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Poterunt tamen ab omni obligatione liberari, si ex adjunctis rei aut ex signis manifestum sit, promittentem voluisse tantum se personaliter obligare. — *Lugo*. — *Reuter*, etc.

CASUS. — *Sylvinus* famulæ suæ *Perpetuæ* interdum dictitat, se ipsi, præter annum stipendium, centum scutata erogaturum esse, vel eandem pecuniæ summam in suo testamento mox conficiendo, legati instar, esse relicturum. Sed ecce! repentina morte corripitur *Sylvinus*, antequam propositum perficere potuerit. *Perpetua* vero absque mora promissam sibi pecuniam clam surripere festinat. An recte? *Resp.*: Minime. Promissio enim non dat jus *in re*, nec proinde ullam facultatem rem promissam propria auctoritate occupandi. — *Vide supra*, de *Just.*, n. 521. — Cæterum communiter hæ promissiones non sunt nisi mera *propositi* significatio, et voluntatem dumtaxat aliquid donandi enuntiant. — *Gousset*. — *V. Casus*, n. 797 et seq.

CAPUT II

DE DONATIONIBUS

Ac 1^o de donationibus in genere; 2^o de variis donationum speciebus.

ARTICULUS I

DE DONATIONIBUS IN GENERE

801. — Donatio in genere est cessio gratuita alicujus rei in favorem alterius. Duobus præcipue modis fieri potest, nempe *inter vivos* et *per testamentum*, ut dicemus in articulo sequenti. Nunc autem dicendum occurrit: 1^o de conditionibus donationis; 2^o de casibus nonnullis in quibus donationes, licet validæ, non plenum sortiuntur effectum.

§ I. De conditionibus donationis.

Principia.

802. — I. *Ex parte donantis* requiritur: 1^o ut non sit incapax *de facto*, id est, ut sit sanus mente, quando vel donatio *inter vivos* perficitur, vel conficitur testamentum, et ut cum sufficiente libertate agat; 2^o ut non sit incapax *de jure*, quando donationem perficit, aut testamentum condit.

II. *Ex parte donatarii* requiriturabilitas ad recipiendum. Habiles au-

tem sunt omnes homines, qui recipiendi donationes per legem non constituuntur incapaces. Nec inhabiles habendi sunt infantes, amentes, vel alii usu rationis carentes, cum sint domini capaces, et res acceptare vel occupare per alios possint, v. gr., per parentes, tutores, etc., juxta dicta in *tractatu de Justitia*, n. 542.

Quæsitæ.

803. — QUÆR. 1^o *Quinam EX JURE inhabiles sint ad donandum?*

Resp. 1^o: *Ex Jure Romano* sunt sequentes: 1^o surdi simul et muti a nativitate, nisi scribere sciant; 2^o damnati crimine capitali; 3^o pupilli vel impuberes, nisi agatur de rebus parvi momenti; 4^o conjuges inter se, nisi donatio sit modici momenti, vel per testamentum fiat; 5^o pater erga filium sub sua potestate manentem, excepta causa matrimonii, belli, studiorum et similium; excepta etiam testamentaria donatione.

Resp. 2^o: *Ex Jure Gallico* incapaces sunt: 1^o Minores, nisi ratione contractus conjugalis, ante decimum sextum ætatis annum expletum; post annum decimum sextum, eis permittitur, ut de dimidia parte bonorum, quæ possent dare, si majores essent, testamento solum statuunt; 2^o interdicti, qui egent assistentia consiliiarii a iudicibus concessi; 3^o uxores absque consensu mariti, aut iudicis auctoritate, quoad donationes inter vivos tantum; nam testamenta condere possunt; 4^o negotiatores, qui obligationibus adimplendis impares sunt in casibus lege determinatis. — *Cod. comm.*, art. 446.

804. — QUÆR. 2^o *Quinam donationem accipere nequeant?*

Resp. 1^o: *De Jure communi* acciperent invalide: 1^o omnes accipientes ab iis qui donationes facere nequeunt, juxta dicta supra, n. 803; 2^o accipientes ab iis qui sunt ære gravati: et hi quidem, juxta veriorum sententiam, ad compensationem damni creditori inde obvenientis tenentur; — *S. Lig. n. 722*; — 3^o accipientes in defraudationem *legitimæ* quæ hæredibus necessariis debeatur. — *S. Lig. n. 722, 740*, etc.

Resp. 2^o: *De Jure Gallico* inhabiles sunt: 1^o qui non erant concepti tempore donationis, vel, quoad testamentum, tempore mortis testatoris; 2^o tutor respectu pupilli, antequam administrationis bonorum reddiderit rationem, nisi sit unus ex ascendentibus; 3^o filii adulterini et incestuosi, excepta alimentorum causa; 4^o filii naturales, etiam legaliter recogniti, præter id quod illis conceditur jure successionis; 5^o medici, chirurgi, pharmacopœæ, qui defunctum curaverunt in ultimo morbo, necnon Confessarii, si donatio durante morbo facta fuerit, exceptis casibus quibusdam; 6^o Communitates quælibet, quæ per auctoritatem publicam non agnoscuntur; et illæ etiam quæ agnoscuntur, si donationes recipiant absque Principis approbatione, vel saltem Præfecti, quando donatio non excedit 300 fr. (*C. C.*, 25, 762, 338, 906 *et seq.*) — Recentius Præfectis in gratiam communitatum civilium (*communes*), hospitalium, fabricarum, etc., ampliores concessæ fuerunt facultates, quæ tamen non extenduntur ad communitates religiosas.

805. — QUÆR. 3^o *Quænam quantitas bonorum dari possit ab iis qui sunt habiles ad donandum?*

Resp.: Si nullos habeant hæredes necessarios, nullis constringuntur limitibus. Si vero necessariis hæredibus minime careant, eis licet ad

modum donationis *inter vivos* eam bonorum quantitatem erogare aliis, quam per legata elargiri potest, qui testamentum condit. Igitur conferas dicenda de testamentis, n. 825. — *V. Casus, n. 802 et seq.*

§ II. De casibus in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum.

806. — Si quis fiat hæres ejus a quo aliquid antea accepit, et defunctus nihil expresse statuerit, quo æqualitati inter hæredes derogetur; omnis dispositio, sive directa sive indirecta, qua lædatur illa æqualitas, supponitur, in intentione ejus tantummodo fuisse temporanea concessio fruitionis rei datæ; idcirco mortuo donatore res ipsa debet in successionem referri vel reduci pro rata juris læsi, nisi tamen donatarius ea contentus hæreditati renuntiare malit: hoc est, quod lex vocat collationem (gallice: *Rapport*). — Ita Jus Gallicum, *art. 843 et seq.* Statuit autem Jus Romanum, ut liberi tantum defuncti, post factam inter omnes hæredes successionis divisionem, inter se conferant ac dividant bona quæ a parente aliquando dono acceperunt.

Collatio igitur ex lege Gallica est actus quo unus ex hæredibus ad summam bonorum, quam testator inter hæredes dividendam reliquit, ea bona refert quæ a donatore accepit, ut inter omnes ex æquo dividantur; ex lege Romana, est actus quo unus ex descendentibus institutis defuncti bona refert a parente privatim accepta, ut ex æquo dividantur inter omnes descendentes pariter institutos.

Reductio vero, ut aiunt, donationis vel legati, est ejusdem rescissio pro rata excessus supra quantitatem disponibilem; quæ quidem rescissio auctoritate publica fiat, oportet.

Principia.

807. — I. Omnis collator referre debet quæcumque accepit a defuncto per dispositionem gratuitam *inter vivos*, nisi adsit expressa dispensatio ex parte donatoris. Sic ex *Jure Romano* et *Gallico*. — *S. Lig. n. 954.*

II. Collatio duplici modo fieri potest: 1° *in specie*, id est, referendo rem ipsam donatam; 2° minus accipiendo. — Prior modus fit ordinarie in immobilibus, posterior autem in mobilibus. — *Cod. civ., 858 et seq.*

III. Eximuntur a collatione variæ donationes, scilicet: 1° si quæ testator dedit hæredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo *præcipui juris* intra limites partis, de qua disponere poterat; 2° si expensæ factæ a donatore fuerint in alicujus favorem, v. gr., in alimenta, vestes, munera consueta, etc. Item expensæ nutritionis, educationis, nuptiarum, artis addiscendæ, et similia. — *S. Lig., n. 955.* — *Cod. civ. Gall., 843, 852.*

Nec sunt necessario referendæ donationes manuales, nisi maximi sint momenti. — *Gousset, n. 729, etc.*

808. — QUÆR. 1° *An referendi sint fructus rerum referibilium, quos percepit donatarius ante mortem testatoris?*

Resp. Neg., quia non subjiciuntur collationi, nisi a die qua successio aperta fuit; secus omnino frustranea fuisset donatio. — *Cod. civ., 856.*

QUÆR. 2º *An filius teneatur referre ea quæ de bonis paternis male expendit, v. gr., in ludis, potationibus, etc.?*

Resp. Neg.; nisi expensæ fuerint excessivæ; minime vero, si plus non expendit, quam pater contentus fuisset, ut in honestas recreationes impenderet. — *S. Lig. n. 957.*

QUÆR. 3º *An conferendæ sint expensæ factæ a patre in gratiam filii pro doctoratu, beneficio, studiis, libris, etc. etc.?*

Resp. Neg., quia hæc in bonum commune familiæ cedunt, nempe in ejus honorem, commodum, etc. Aliunde gratuito a parentibus filio donata censentur. — *S. Lig. n. 955.* Excipe tamen, si expensæ extraordinariæ fiant.

809. — QUÆR. 4º *An conferri debeat pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum?*

Resp. Affirm., si redimatur in propriam utilitatem, quia id æqualitas postulare videtur; secus, si filius redimitur in utilitatem patris, v. gr., infirmi, senis vel pauperis, aut familiæ sustentandæ; quia familia, quæ commodum percipit, onus etiam ferre debet. — *Rogron, in art. 851 Cod. civ. — Gousset, Code civil commenté. art. Cod. civ. 852.*

ARTICULUS II

DE VARIIS DONATIONUM SPECIEBUS

Nempe : 1º de donatione *inter vivos*, 2º per testamentum, 3º mortis causa, 4º per fideicommissum.

§ I. *De donatione inter vivos.*

Hæc donatio est actus seu contractus quo donator privat se actualiter, et modo irrevocabili, re aliqua in favorem donatarii acceptantis.

810. — Donatio *inter vivos* etiam mere verbalis, debitis vestita conditionibus, *per se* seu de *jure naturali*, statim transfert irrevocabiliter dominium, ut constat ex dictis, *n. 802.* De jure autem positivo donationes confici debent juxta formas lege præscriptas, saltem ut effectum in foro externo obtineant.

Quoad Jus vero Gallicum hæc præcipue adnotanda sunt : 1º actus, quibus donationes fiunt, a notariis conficiendi sunt; 2º acceptatio donationis fieri debet vel in actu ipso donationis, vel alio medio authentico donatori denuntianda est; secus donatio perfecta non censeretur; 3º bona futura invalide donantur: quod tamen non impedit, quominus quis donare illud possit quod in spe determinata habet, v. gr., fructus ex agro quodam nascituros hoc anno, pisces quos e piscatione referet. — Excipitur spes futuræ hæreditatis, circa quam omne pactum prohibetur (*art. 943*). 4º Ex principiis Juris concluditur donationes manuales valere sine scripto.

Quæsitæ.

811. — QUÆR. 1º *Quid requiratur, ut valeat donatio in gratiam absentis?*
Resp. : Donatio sicut et promissio absentis facta per litteras ad ipsum

nominatim scriptas, vel per nuntium aut procuratorem, debet acceptari coram nuntio aut eo qui donatorem repræsentat, vel per alias litteras ad donatorem ex parte donatarii missas; aliter enim constare nequit de mutuo donatoris et donatarii consensu in idem placitum. — *S. Lig., Hom. apost., num. 130.*

QUÆR. 2° *Quid si donator, misso nuntio, donationem revocaverit?*

Resp. 1° Si donator revocet donationem antequam acceptetur, et revocatio innotescat nuntio quem misit, jam nuntius nihil amplius potest efficere; siquidem omnis potestas offerendi vel tradendi est ipsi adempta. *Hom. apost., ibid.*

Resp. 2° : Si autem revocatio non innotescat nuntio ante executionem, tunc distinguendum est: Vel ille se habet solum instar nuntii referentis alterius donationem, aut rem tradentis, vel habet mandatum faciendi donationem. Si prius, per factam revocationem donatio subsequens irritatur, quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent ejus acta, et donatio valide acceptari potest. Tenetur enim mandans ratum habere id, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est.

812. — QUÆR. 3° *An valeat donatio, si donator ante acceptationem moriatur?*

Resp. 1° Neg. juxta *communiorem* et *probabiliorem* sententiam, si donatio nondum facta, sit facienda per mandatarium, qui ad donarium missus est. Ratio, quia mandatum expirat morte mandantis. Is enim jam mortuus nihil, etiam per alium, velle aut operari potest, nisi forte antea declaraverit hanc suam donandi voluntatem esse irrevocabilem, atque post mortem valituram. — *Lugo, d. xxiii, n. 75, 78.* Affirmant tamen non improbabiliter quidam dicentes ejusmodi mandatum esse gratiam, quæ morte mandantis non expirat. — *Vid. S. Alph., n. 730.*

Resp. 2° Si donatio jam facta sit, et donans ante mortem miserit nuntium vel epistolam ad illam manifestandam, *controvertitur.* — *I^a Sententia neg.*, quia, post mortem donantis, nequit voluntas ejus uniri cum donatarii consensu, sicut ad acceptationem requiritur. *II^a Sententia affirm.*, quia donatio jam existens permanet virtualiter in litteris, vel nuntio misso. — Prima sententia concordat cum jure Gallico, et a *S. Lig. n. 729*, ut probabilior habetur; secunda tamen est valde probabilis, et a gravissimis Doctoribus defenditur.

QUÆR. 4° *An, mortuo donatario ante acceptationem, possit hæres ejus donationem acceptare?*

Resp. Neg. probabilis, quia hæres succedit quidem in juribus realibus defuncti, non vero in personalibus, cujusmodi jus est acceptandi donationem; nisi forte sit filius donatarii, quia tunc præsumeretur, talem esse donantis mentem, prouti quidam admittunt, sin minus stricto jure, saltem ex quadam æquitate. Volunt tamen aliqui, ut donatio etiam aliis hæredibus prodesse possit.

QUÆR. 5° *An obliget donatio jurata, sed non acceptata?*

Resp. Neg., quia juramentum sequitur naturam actus; atqui donatio ante acceptationem non est firma. Ergo... — *S. Lig., n. 727.* — Affirmat tamen *Laymann*, dicens servandum esse juramentum, quamdiu sine peccato servari potest.

813. — QUÆR. 6^o *Quas ob causas donatio revocari possit?*

Resp. : Donator hanc revocationem obtinere potest : 1^o si conditiones appositæ non præstentur ; 2^o si donatarius se exhibeat ingratum erga donantem in casibus a lege determinatis (953, 955), nisi tamen sint donationes matrimonii causa (959).

Revocatur ipso jure, si donatori, nullum descendentem viventem tempore donationis habenti, filius etiam posthumus natus sit, vel si legitima-verit filium naturalem post donationem natum. Excipiuntur donationes mutuæ conjugum, aut ascendentium conjugibus, matrimonii causa factæ (960 et seq.)

QUÆR. 7^o *Quid conjuges sibi invicem donare possint?*

Resp. 1^o : *Ex jure Romano*, generatim invalidæ sunt conjugum reciprocæ donationes. Excipe : 1^o nisi donatio juramento sit firmata ; 2^o si interveniat mors donantis, qui ante donatarium decedat, modo res in vita tradita sit ; 3^o donatio sit remuneratoria, vel fiat causa mortis ; 4^o si uxor donet viro ut aliquam dignitatem consequatur. — *S. Lig. n. 723.*

Resp. 2^o : *Ex Jure Gallico*, conjuges generatim invicem sibi donare possunt *inter vivos*, vel per testamentum : 1^o si non adsint descendentes, quidquid extraneo donare possent quoad proprietatem, et insuper usumfructum partis hæreditatis ascendentibus reservatæ ; 2^o si adsint descendentes, vel quartam bonorum partem quoad proprietatem, et simul aliam quartam quoad usumfructum, vel dimidiæ tantum partis usumfructum ; 3^o si conjux habeat filios ex præcedenti matrimonio, non potest donare novo conjugi ultra partem quæ filio, minus præ cæteris accipienti, contingit, neque quartam bonorum partem excedere (*C. C.*, 1093-1098).

Omnes autem donationes etiam *inter vivos*, ab alterutro conjuge alteri factæ, semper revocari possunt (*C. C.*, 1096). — *V. Casus, n. 802 et seq. ; n. 822 et seq.*

§ II. *De testamentis.*

Videlicet : 1^o de natura, divisione et forma testamentorum ; 2^o de testatore et hæredibus ; 3^o de dispositionibus testamentariis ; 4^o de revocatione testamentorum ; 5^o de exsecutore testamenti.

PUNCTUM I

De natura, divisione et forma testamentorum.

814. — DEFINITIO. Testamentum est legitima dispositio de his, quæ quis vult fieri de suis bonis post mortem suam cum directa hæredis institutione. — *S. Lig. n. 919.* — Vel ex *Jure Gallico* : Est actus essentialiter revocabilis, quo testator de bonis suis disponit pro tempore mortem ejus subsequituro.

DIVISIO. Testamentum varie distinguitur :

I. — EX JURE COMMUNI

1^o *Solemne*, in quo servantur omnes conditiones legibus præscriptæ. Est autem duplex : 1^o *Clausum*, quod sigillo signatum traditur subscribendum

septem testibus, idoneis, masculis, puberibus, etc., quibuscum subscribit testator, si possit; si vero nequeat, octavus testis accedere debet; 2° *Aper-tum*, quod fit coram septem testibus, sive scripto aperto, sive viva voce. — *Plura apud juristas.*

2° *Privilegiatum*, quod valet absque solemnitatibus: tale est testamentum a milite conditum, vel ab aliis tempore pestis, aut cæteris ejusmodi circumstantiis.

II. — EX JURE GALLICO

1° *Holographum*, quod manu testatoris integre scribitur cum indicatione anni, mensis, diei, et nominis appositione.

2° *Publicum* seu *solemne*, quod scribitur ab uno notario coram quatuor testibus masculis, majoritatem adeptis, etc., vel a duobus notariis coram duobus testibus (*art. 971, 980*).

3° *Mysticum* seu *secretum*, quod testator clausum sigilloque signatum tradit notario coram sex testibus, asserens hoc esse testamentum suum a se vel ab alio scriptum, et a se subscriptum. Debet inscribi hæc attestatio super codicem testamenti, et a notario, testibus et testatore subscribi. Si testator testamentum subscribere non potuerit, de hoc mentio fieri debet, et additur alius testis præter sex requisitos (*art. 976, 977*).

CONDITIONES TESTAMENTORUM

815. — Ut testamentum sit firmum et validum, requiritur: 1° ut habeat condiciones ad contractus gratuitos requisitas, et imprimis consensum liberum et spontaneum; 2° ut dispositio honorum fiat juxta réservationem seu legitimam hæredibus a lege assignatam; 3° ut non fiat ab inhabili ad testandum, nec in gratiam inhabilis ad recipiendum, seu ad succedendum in jura defuncti; 4° ut serventur substantiales formalitates jure præscriptæ.

Quæsitæ.

816. — QUÆR. 1° *An facultas testandi oriatur a jure naturali, an a civili tantum?*

Resp.: Juxta sententiam communiorem et probabiliorem repetenda est primario a jure naturali, quia talis est persuasio communis, quæ ultimas voluntates ut quid sacrum habet, et quia jus testandi antecedit omnem legem civilem. Ex jure enim naturæ quisque potest disponere de bonis suis prout vult, etiam post mortem, et hoc est jus privatum. Sed etiam Respublica habet sua jura, et inter alias jus præscribendi normas circa contractus; hoc jus est *naturale*, quippe necessarium ab bonum societatis. Si autem sit collisio jurium, jus privatum, utpote inferius, cedere debet. — *V. dicenda infra, Quær. 4°.*

QUÆR. 2° *Cujusmodi testes requirantur in testamentis?*

Resp. 1°: *Ex Jure Romano*, debent esse masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non cæci, non intestabiles a lege seu incapaces testimonii dicendi, non hæredes ex testamento, nec domestici testatoris vel hæredis; non tamen excluduntur legatarii. — *S. Lig. n. 919.*

Resp. 2°: Ex Jure Gallico, postulatur masculi, majores, subditi Reipublicæ, fruentes juribus civilibus, non scribæ notariorum qui actum faciunt, non legatarii seu hæredes, neque horum consanguinei vel affines intra *quartum* inclusive gradum, id est intra *secundum* juxta computationem canonicam pro linea transversali; attamen in mystico testamento legatarii aut eorum cognati non excluduntur. — *Art. 975, 980.*

817. — QUÆR. 3° *Quænam requirantur ad validitatem in testamento holographo?*

Resp. : Tria requiruntur et sufficiunt, scilicet : 1° ut integre scribatur propria testatoris manu ; 2° ut apponatur dies, mensis, et annus, quo confectum est¹; 3° ut nomen proprium testatoris subscribatur in forma chirographi ad calcem testamenti et integris litteris. Sic ex *art. 970.*

Porro : 1° adjectio diei, mensis et anni arithmetice notis fieri potest, et in qualibet testamenti parte collocari, sed tutius est integris litteris eam conscribere, 2° inscriptio loci, ubi testamentum conficitur, minime necessaria existimatur; nam ex *art. 999*, valet testamentum, ubicumque conditum fuerit; 3° papyrus quælibet, licet non obsignata, sufficit : si tamen res ad judicem deferatur, multa erit ab hærede solvenda (30 fr.); 4° testamentum *holographum*, antequam executioni mandari queat, præsentari debet judici in Tribunali primæ Instantiæ : judex vero post sufficiens examen jubebit illud apud aliquem notarium custodiri (*art. 1007*). Sed hæc forma accidentalis omnino est. — *V. Casus; n. 829, et seq.*

QUÆR. 4° *An valeant in foro conscientiæ testamenta ad causas profanas, formis legalibus destituta?*

Resp. : Triplex habetur probabilis sententia, prout supra, *n. 786*, generatim de contractibus præter legis præscripta confectis dictum est. — *I°* igitur *Sententia* admittit hujusmodi testamenta secundum legem naturæ valida haberi posse. — *II° Sententia* docet ea vi legis positivæ prorsus irrita habenda esse. — *III° Sententia* favendum esse possessori pronuntiat, donec res a judice dirempta fuerit. Et hæc tertia opinio, juxta *S. Lig. n. 927*, præ cæteris in praxi tenenda est. Interveniente autem judiciali decreto, huic, ex omnium sententia, est adhærendum. *V. Casus, n. 857.*

818. — QUÆR. 5° *An testamenta ad pias causas sint valida, si formis legalibus careant?*

Resp. Affirm., et hæc sententia communissima et certa est : 1° quia constat ex Jure canonico, *Decretal. l. 3, tit. 26, c. 11, etc.*; quia piæ causæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni : porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quæ jurisdictioni suæ directe subsunt. Quare a Conc. Trid. sic statutum est : *Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores.* Sess. XXII, c. VIII, de Ref. — *Ita S. Lig. — Less. — Ronc. et alii.* — S. Pœnitentiaria, pluries interrogata, huic sententiæ adhærendum esse respondit.

Non apparet igitur probabilitas alterius opinionis, quam de cætero ejus

¹ Error vel defectus in appositione diei, mensis, vel anni, non vitiant testamentum holographum, modo ex *ipsis testamenti verbis* corrigi aut suppleri possint. — Ita judicatum a Suprema Curia, die 3 martii 1846, apud *Sirey*, 46, I, 565.

quoque patroni fere ad nihil in praxi redigunt. Putant enim hujusmodi legata pia valere, si rationabiliter præsumatur ea tum ad restitutionem implendam, tum ad preces pro anima defuncti erogandas destinata fuisse.

Addo tamen, Confessarium, habita ratione ignorantiae fidelium, qui sæpius ægre sibi suadent præfatam assertionem veram esse, plerumque illos in bona fide relinquere debere. Quod si interrogetur, ut supra dictum est, respondebit. — *V. Casus, n. 859, et seq.*

Casus.

819. — 1^o *Leander* a *Liborio* familiari suo mox e vivis decessuro conspicuam pecuniæ summam, instar muneris *de manu*, ut aiunt, *ad manum* acceptat. Defuncto *Liborio*, dubius ancepsque *Leander*, utrum tuta conscientia donum servare possit, ignorat. Quid interroganti respondebit Confessarius? — *Resp.* : Nihil esse cur *Leander* de donationis valore dubitet, eam scilicet valere uti donationem *inter vivos*. Excipe, 1^o nisi donatio jus hæredum evidenter lædat; 2^o nisi donatarius inhabilis sit ad donationem acceptandam. *Gousset, n. 796, etc.*

2^o *Polydorus* moriens dicit *Paulo* hæredi naturali: Sponde mihi, te legata hæc soluturum esse: hæredis autem promissis confisus, *Polydorus* abstinere a conficiendo vel immutando testamento, vel ab iisdem legatis inscribendis. *Paulus*, promissis valedicens, renuit legata persolvere, eo quod in testamento inscripta non fuerint. Quid juris? — *Resp.* : Ex jure naturæ *Paulus* in foro conscientiae ad solvenda omnia legata promissa tenetur, non obstante defectu formarum. Ratio est, 1^o quia nonnisi ea conditione testamentum accepit; 2^o quia per promissionem suam confectionem aut mutationem testamenti impedivit.

3^o *Gabinus*, hæres ex testamento informi, accipit et retinet hæreditatem, ut sibi legitime acquisitam; sed abstinere a solvendis legatis, ob defectum formæ in actu testatoris. Quid de eo sit sentiendum? — *Resp.* : Quantum sit injustus et ridiculus talis agendi et ratiocinandi modus, ex sensu communi clare et evidenter patet. — *Voit, de Conscientia, n. 104.* — *Elbel, de Consc., n. 190.* — *Lacroix, l. I, n. 373.*

4^o *Anatolius*, confecto testamento holographo, moritur antequam subscribere potuerit. *Sabinus*, hæres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris tam bene simulat, ut vere ab ipso confecta visa fuerit. Attamen, cum suborta fraudis suspicione testamentum ad judiciale forum fuisset delatum, a judice validum declaratum fuit. Quid judicii? — *Resp.* : *Sabinus* ad restitutionem tenetur, quia per fraudem hæreditatem sibi vindicavit; fraude enim remota, certo per sententiam ab hæreditate exclusus fuisset. Sententia igitur *Sabino* favere non debet, cum falso facto innitatur.

PUNCTUM II

De testatoribus et hæredibus.

820. — I. Testatores esse possunt, *ex Jure Romano*, omnes usum rationis habentes, exceptis surdis-mutis a nativitate, impuberibus, prodigis, damnatis ad mortem civilem vel naturalem, necnon Religiosis professis. *Ex*

Jure autem Gallico : 1° omnes qui donationes facere possunt *inter vivos*; 2° uxores, quæ licet donationes *inter vivos* erogare absque speciali mariti consensu, aut judicis auctoritate nequeant, neutro tamen horum indigent, quo libere disponere per testamentum possint (*art. 905*); 3° minores ab anno 16 testari tantum possunt de dimidia parte eorum bonorum de quibus majores disponere valent (*art. 904*); non vero testari possunt interdicti.

821. — II. Quod ad hæredes attinet, 1° institui possunt hæredes, quicumque a jure positivo non sunt specialiter prohibiti, licet usu rationis careant, ut dictum est de donatione, n. 802.

2° Prohibentur autem, *ex Jure Romano*, damnati ad mortem tum naturalem tum civilem, perduelles, eorumque filii spurii, juxta restrictiones infra ponendas. *Ex Jure vero Gallico*, prohibentur illi qui donationes recipere non possunt. *Vide supra*, n. 804.

3° Hæres quilibet renunciare potest hæreditati apertæ, juxta axioma: *Nemo hæres, nisi velit*. Sic *ex quocumque Jure*. Ratio est, quia nemo tenetur acceptare beneficium, cujusmodi præsertim est testamentum, quod sæpe magnis oneribus gravatur. Renuntiatio autem non præsumitur, sed cum forma juridica fieri debet. *Ex Jure Gallico*, facienda est in tabulario tribunalis territorii, in quo obtigit successio, et in speciali actorum codice qui ad hunc finem ibi asservatur.

Quæsitæ.

822. — QUÆR. 1° *Quotuplicis generis hæres distinguatur?*

Resp. : 1° *Necessarius*, qui a testatore excludi non potest;

2° *Legitimus*, qui de jure succedit ab intestato;

3° *Voluntarius*, qui hæres vocatur ex libera testatoris voluntate.

Hinc patet, distinguendum esse etiam hæredem *ex testamento*, si per testamentum fuerit designatus, et hæredem *ab intestato*, si de jure succedat defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit.

QUÆR. 2° *Quinam sint hæredes necessarii et legitimi?*

Resp. 1° : In utroque Jure hæredes *necessarii* sunt omnes cognati in *linea recta*, nempe : 1° *descendentes* in propiori gradu; 2° ipsorum defectu *ascendentes*, tum ex parte patris, tum ex parte matris, in gradu pariter propiori.

Resp. 2° : Hæredes *legitimi* sunt insuper omnes consanguinei propioris gradus etiam in *linea collateralis* usque ad 10^{um} gradum in *Jure Romano*, id est 5^{um} quoad computationem canonicam, et 12^{um} *ex Jure Gallico*.

823. — QUÆR. 3° *Quænam sint jura et obligationes hæredum?*

Resp. : Generatim hæredes succedunt in omnia jura et onera defuncti, quia illius personam repræsentant; excipiuntur ea tantum quæ personæ defuncti natura sua vel pacto erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno jure acquirunt, ejus obligationes et debita in se suscipiunt, et ipsius voluntatem in legatis implere debent.

Quoad modum solvendi debita a defuncto relicta, singuli *pro rata* suæ portionis hæreditariæ solvunt, et si propter hypothecam plus solvere cogantur, recursum habent contra cæteros. — *C. C.*, 873.

Hæres acceptare potest hæreditatem sub beneficio inventarii, ita scilicet, ut, facto inventario bonorum juxta formam legalem, non obligetur ultra

hæreditatis vires. Si non eo modo acceptaverit, tenetur in foro externo omnia solvere debita, etiamsi vires hæreditatis excedant. Controvertitur vero inter theologos, an in hoc casu hæres teneatur in foro conscientiae solvere debita quoad excessum præ bonis acceptis.—Sed *probabilius* et *communius* negatur. — *Salmant.* — *Reuter.* — *Gousset, Code commenté, art. 302.*

824. — QUÆR. 4^o *An hæredes necessarii exhæredari possint?*

Resp. 1^o : Ex Jure Romano, exhæredari possunt filii sola patris auctoritate in casibus sequentibus : 1^o si filius injiciat manus in parentem, aut contumeliose eum tractet; 2^o si ejus accusator aut testis sit in causis criminalibus; 3^o si rem habeat cum ejusdem uxore; 4^o si nolit fidejuberere ad patrem e carcere liberandum; 5^o si patrem a condendo testamento prohibuerit; 6^o si filia, recusato honesto matrimonio, luxuriose vivat. — *S. Lig. n. 948 et seq.*

Resp. 2^o : Ex Jure Gallico, nunquam hæredes privata auctoritate exhæredari possunt. Jure tamen ceu indigni excluduntur ab hæreditate in triplici casu, scilicet : 1^o si vitæ testatoris fuerint insidiati; 2^o si alimenta ei denegaverint; 3^o si ejus memoriam graviter conviciati fuerint. — *Vide art. Cod. 727, 955, 1046, 1047.*

825. — QUÆR. 5^o *Quænam sit RESERVATIO seu LEGITIMA hæredibus necessariis debita?*

Resp. : Diversa est pro diversis Juribus. Ex Jure Romano : 1^o quoad *ascendentes, triens*, seu tertia pars, deficientibus descendantibus, reservatur;

2^o Quoad *filios legitimos, triens*, si non sint plures quam quatuor filii; et *semissis* seu dimidia pars, si plures sint;

3^o Quoad *filios naturales*, succedunt matri pari jure cum legitimis. Non succedunt vero patri filios legitimos habenti, licet ab eo duodecimam hæreditatis partem accipere possint cum matre dividendam, si ipsa fuerit superstes. Quod si pater filiis et ascendentibus legitimis careat, filii naturales ei in omnibus bonis succedere possunt. — *V. S. Lig. n. 947-951.*

Ex Jure Gallico, sive pro testamento, sive pro donatione *inter vivos* : 1^o quoad reservationem *filii legitimis* debitam, si unus sit, *dimidia pars* bonorum reservatur; si duo, *bes* (duæ tertiæ partes); si tres vel plures, *dodrans* (tres quartæ partes).

2^o Quoad reservationem *filii illegitimis* legaliter recognitis attribuentam, si adsint alii legitimi, illegitimis reservatur tertia pars portionis quam reservatam haberent si essent legitimi; si, deficientibus filiis, adsint ascendentes, fratres aut sorores, dimidia pars portionis prædictæ; si vero alii tantum consanguinei, *dodrans* dictæ portionis reservatur; si nulli consanguinei, reservationem habent eandem ac si essent legitimi.

3^o Quoad reservationem ascendentibus debitam, si adsint filii legitimi, jus nullum habent; si adsint fratres aut sorores, qui succedant ab intestato, pater et mater jus habent unusquisque ad quartam partem, cæteri ascendentes a fratribus excluduntur. In cæteris casibus jus habent ad dimidiam vel 4^{am} partem, prout supersunt ex utraque linea, vel ex una tantum.

Uxor non venit inter hæredes necessarios, aut legitimos ab intestato, nisi deficientibus cæteris legitimis intra gradus lege stabilitos. Ita ex utroque Jure, Romano scilicet et Gallico. Attamen, ob artissimam inter

maritum et uxorem necessitudinem, testator lege naturali aliquam partem adsignare debet conjugi superstiti, si bona sua sufficientia non habeat. — *Scavini*. Deficiente etiam uxore, hæreditatem in it de Jure Respublica. Hinc axioma: *Fiscus post omnes*. Ita etiam *in utroque Jure*.

Filius naturalis ex Jure Gallico recognosci debet per actum authenticum, nisi recognitus fuerit in actu ipso nativitatis; sed nequeunt recognosci filii adulterini et incestuosi.

826. — QUÆR. 6^o *An testator de jure naturali teneatur SUB GRAVI relinquere bona cognatis qui non sunt hæredes necessarii?*

Resp. 1^o Quoad fratres affirm., si sint in gravi necessitate; secus non erit nisi veniale; imo nullum peccatum, si rationabile sit motivum. Tota autem illa obligatio est caritatis seu pietatis, non vero justitiæ. — *Ita communiter*. — *S. Lig. n. 946*. — *Laymann*. — *Lugo*, etc.

Resp. 2^o : Quoad alios consanguineos remotiores, juxta communiorem sententiam non est gravis obligatio eos cæteris præferendi, etiamsi sint pauperes; non tamen peccatum veniale deerit, si omnino sine rationabili causa prætermittantur. — *S. Lig.*, etc.

827. — QUÆR. 7^o *An peccent in foro conscientiæ contra justitiam parentes, si lædant legitimam filiorum per testamentum, vel donationes inter vivos, aut contractus simulatos?*

Resp. Affirm., per se, cum sententia communiore. Ratio est, quia lex gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientiæ requisitis, scilicet, est justa, utilis bono publico, et ipso facto irritans. — *Reuter*, n. 286. — *Gousset*. — *Bouvier*.

Dixi, per se, quia non videntur ullo modo peccare parentes qui, justa de causa, *partialiter* legitimam filiorum lædunt in aliquo casu particulari. Tunc enim cessat finis legis, quæ attingere non intendit illos casus particulares, qui familiæ prosunt, nec bono communi obsunt: v. gr., si pater donationes quasdam tribueret filio probo remunerationis gratia, unde minus filio dissipatori obveniret. — *Gousset*, n. 794.

Post factum non sunt facile inquietandi filii qui majorem paternæ hæreditatis partem non sine alterius hæredis detrimento acceperunt, quando ex rerum adjunctis conjici potest, parentes ex aliqua justa causa ipsis favisse; præsertim si in bona sint fide, et merito timeri possit ne obligationem renuant adimplere. Imo theologis non paucis videtur, legem civilem non posse ita obligare parentes ad æqualitatem inter filios servandam. Itaque eos per se a culpa eximunt, si de cætero honestæ filiorum sustentationi sufficienter providerint, nec pravo fine moveantur.

828. — QUÆR. 8^o *An parentes donationes manuales alicui e filiis, vel extraneis, aut causis piis, erogare possint?*

Resp. : Parentes licite facere possunt donationes sequentes: 1^o donationes quæ fieri solent inter conjunctos et amicos æqualis conditionis, ut munuscula, etc.; 2^o donationes remuneratorias pro quantitate et qualitate meriti juxta æstimationem prudentium, quia potius solutio debiti alicujus, quam gratuita donatio, dici istæ debent; 3^o donationes quaslibet, per se, ex meritis redditibus, intactis capitalibus quæ patrimonium proprie dictum constituunt, quia parentes per se nullo jure adaugere patrimonium ex redditibus vel labore tenentur.

PUNCTUM III

De dispositionibus testamentariis, seu de codicillo et legato.

829. — I. *Codicillus*, seu parvus codex, est ultima defuncti voluntas minus solemnis et extra testamentum expressa, qua defunctus edicit, quid fieri velit post mortem suam de rebus suis, absque directa hæredis institutione. — Clausula autem codicillaris est clausula testamento ipsi inserta, qua declaratur, quod si testamentum ex aliquo defectu non valeat, vi tamen codicilli valere debeat.

Ad codicillum sive nuncupativum, id est viva voce habitum, sive scriptum, sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, et etiam fœminæ. Sic ex *Jure Romano*. In *Jure* autem *Gallico* codicillus non admittitur.

II. *Legatum* est donatio quædam cuiusdam directe a defuncto relicta, et ab hærede præstanda.

Legatum esse potest: 1° purum seu absolutum, vel conditionatum; 2° universale, vel particulare; titulo universali, v. gr., *lego omnia mobilia*; vel particulari, v. gr., *lego talem summam*. Ex *Jure Gallico* nulla admittuntur legata, nisi in ipso testamento includantur.

Quæsitæ.

830. — QUÆR. 1° *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit illis de jure naturali dari, quæ Religiosæ fiunt?*

Resp. Affirm., si relictum fuit personæ determinatæ, nisi aliter constet de mente testatoris. — *Neg.* autem, si legatum relictum sit personis indeterminatis, quia tunc testatores potius intendunt providere solis puellis nubere volentibus, ne seductioni exponantur. — *Ita communius cum S. Lig. n. 930, contra alios.*

QUÆR. 2° *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari puellis quæ sine dote jam nupserunt?*

Resp. Affirm., si agatur de puellis determinatis; quia præsumitur, testatorem voluisse ipsis omnino providere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nuptæ decenter vivant. — Secus, si de indeterminatis, quia tunc testator censetur potius nubentibus subvenire voluisse, ut periculum prostitutionis vitent. — *S. Lig., ibid.*

831. — QUÆR. 3° *Quid veniat in legatis nomine MOBILIIUM, seu bonorum MOBILIIUM?*

Resp. 1°: Bona mobilia ea sunt generatim, quæ e loco moveri possunt, ut vestes, animalia, pecunia, etc. Idem sonant *bona mobilia, res mobiles, mobile* (*biens meubles, effets mobiliers, mobilier*), vel etiam *mobilia* cum oppositione ad *immobilia*.

Resp. 2°: *Mobilia*, sine addito et sine determinatione, ex *Jure Gallico* dicuntur omnia bona quæ non sunt immobilia, exceptis pecunia, libris, gemmis, numismatibus, debitis activis, instrumentis artium, linteaminibus ad usum corporis, equis, armis, granis, vino, fœno, et aliis similibus. Adde ea circa quæ commercium particulare exercetur.

Resp. 3° Ex eodem *Jure Gallico* supellex seu mobilia domum præcise

instrumenta (*meubles, meubles meublants*) omnino restringuntur ad ea, quae ordinantur ad usum, vel habitationis ornamentum, ut sedilia, tabulae, armaria, etc.

Hinc: 1° sunt mobilia *simpliciter*, seu ex 2^a classe, supellex argentea, animalia, exceptis equis; linteamina, exceptis iis quae ad usum corporis adhibentur.

2° Si dicat testator: *Lego mobilia Caio, et immobilia Sempronio, Caius* jus habet ad omnia bona mobilia, quia mens testatoris evidenter patet ex oppositione mobilium ad immobilia. — *Gousset, Code commenté, art. 533.* — *Rogron, ibid.*

3° Si legatum sic ferat: *Lego Titio omnia mobilia mea, vel bona mobilia, vel totalitatem mobilium; Titius* jus habet ad omnia bona non immobilia, quia vox *mobilia* hic non sumitur *sine addito*. — *Gousset, n. 807, et Code commenté, art. 533.* — *Rogron, ibid.*

832. — QUÆR. 4° *An summus Pontifex possit legata et alias ultimas voluntates testatorum commutare, quando de causis piis agit?*

Resp. Affirm., si adsit justa ratio, quia a Christo institutus est piarum causarum administrator, ut possit de iis disponere, prouti necessitas et spiritualis utilitas exigit. Idem dicendum est de Principe quoad legata profana in favorem Reipublicae constituta. — *S. Lig. n. 931.*

QUÆR. 5° *An Episcopi pias dispositiones justa de causa commutare possint?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, quia ex *Trid. sess. XXII, cap. VIII*, imponitur Episcopis sollicitudo ultimas voluntates sedulo exsequendi. — *S. Lig. n. 931.* — Excipiendi tamen *probabilius* sunt casus qui, si a testatore prævisi fuissent, certo effecissent ut aliter disponderet, v. gr., si reliquerit pecuniam ad vasa sacra pro ecclesia, et hæc vasis non indigeat, vel si legatum ad finem suum applicari nequeat, quia non sufficit, vel quia ad usum intentum deservire non potest.

PUNCTUM IV

De revocatione testamentorum.

833. — I. Testamentum, sub quacumque forma sit factum, semper revocari potest ad nutum testatoris, quia testamentum ex natura sua est actus essentialiter revocabilis; proinde testator dominium bonorum suorum usque ad mortem retinet. — *Ita ex omni Jure.*

II. Revocatio testamenti duplici modo fieri potest:

1° *Expresse*, seu: 1° per destructionem testamenti; 2° per actum coram notario confectum, quo mutatio voluntatis exprimitur; 3° per testamentum novum priori contrarium: sed tunc revocatio non censetur integra, nisi dispositiones testamenti novi omnibus dispositionibus prioris sint contrariae. *C. C., 1035 et seq.*

2° *Tacite*, per donationem, venditionem, permutationem, destructionem, aut quamlibet dispositionem rei legatæ, qua mutatio testatoris manifestatur. *C. C., 1038.*

Refertur ad revocationem testamenti ejus caducitas, quæ habetur quando

dispositiones testamentariæ, etsi validæ a principio, infirmæ tamen evadunt ob quasdam circumstantias : v. gr., si legatarius moriatur ante testatorem, vel ante executionem alicujus conditionis, si res legata pereat, etc.

PUNCTUM V

De exsecutore testamenti.

834. — Testamenti exsecutor is est, quem testator nominavit ad dispositiones testamentarias exsequendas. Nullo autem nominato, exsecutio testamenti ad hæredes pertinet. Circa testamenti executionem hæc tenenda sunt :

1° Ut quis sit exsecutor testamenti, necesse est ut capacitatem sese obligandi habeat. Hinc exsecutores esse nequeunt interdicti, minores, etiam consentiente tutore, et ex *Jure Gallico*, uxores sine mariti consensu. Exsecutores esse possunt Religiosi ex licentia Prælati sui, nisi Ordinis Regula obstet.

2° Plures exsecutores testamenti institui possunt, et uno absente alter ad testamenti executionem procedere potest. Testamenti exsecutor hoc munus ad suos hæredes non transmittit.

3° Exsecutor invigilare debet : 1° ut apponantur sigilla, si inter hæredes sint minores, interdicti vel absentes; 2° ut fiat inventarium, præsentem vel rite advocato proximo hærede; 3° ut vendantur mobilia, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat; 4° ut executionem testamenti urgeat.

4° Impensæ, quæ fiunt ab exsecutore, muneris sui adimplendi causa, ex rebus hæreditariis solvi debent. Nemo cogi potest ad illud munus acceptandum; sed si acceptet, ad rationem gestionis tenetur.

§ III. De donatione mortis causa.

835. — Donatio mortis causa ea est, quæ intuitu mortis fit, seu quam donator vult post mortem suam tantum effectum irrevocabilem habere; est igitur ex natura sua revocabilis. — Mors autem hic intelligitur vel absolute, id est, quocumque tempore futura, dummodo præveniat mortem donatarii; vel determinate, id est de morte instante, periculoque ejus determinato.

De jure communi valet donatio mortis causa, modo debitis vestiatur conditionibus, scilicet : 1° fieri debet intuitu mortis, secus donatio *inter vivos* censeretur; 2° acceptari debet ante mortem donatoris ab ipso donatario; revocatur autem ipso facto, si donator mortis periculum evadat, cujus intuitu rem donaverat; 3° si donatarius præmoriatur, ipso facto iterum revocatur, nec ad donatarii hæredes transit. — *S. Lig., ibid., n. 741.*

De *Jure Gallico* donatio mortis causa non admittitur. Declaratur enim in *art. 893*, neminem de bonis suis disponere posse gratuito, nisi per dispositionem *inter vivos*, aut per testamentum in formis a lege præscriptis. Hinc de ea dicendum videtur, sicut de testamentis quæ formalitatibus carent. Cæterum, quando fit de manu ad manum, videtur certo valere sicut valet donatio manualis *inter vivos*, quam lex non afficit, etsi quoad ipsam actionem denegat. — *Gousset, Code commenté, art. 893, et varii jurisperiti.*

Quæsitæ.

836. — QUÆR. 1° *An ille, cui mortis causa donata est res mobilis, possit illam occulte recipere, mortuo donatore?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*, modo sit certus de donatione et ultima voluntate defuncti; habet enim jus in re donata; ergo jure suo utitur. Deinde res non fuit donata ut solvenda, sed ut ab ipso donatario accipienda.

QUÆR. 2° *An valeat donatio manualis ab ipso ægroto facta sub ea conditione, ut res donata sibi restituatur, si convalescat?*

Resp. Affirm. Etenim: 1° valet ut donatio mortis causa, etiam de *Jure Gallico*, quod donationibus manualibus non obstat; 2° valet etiam quatenus donatio *inter vivos*, si non sit revocabilis ad nutum donatoris, sed tantum ex eventu sanitatis; quia tunc ut donatio conditionata *inter vivos* haberi potest.

QUÆR. 3° *An eadem donatio valeat sub conditione ut restituatur, si repetatur?*

Resp. Affirm. probabilius, quamvis non valeat ut donatio *inter vivos*, quæ postulat, ut donator re sua se spoliet irrevocabiliter; valere tamen potest tanquam donatio mortis causa, propter traditionem realem, quæ non minus roboris habere debet, licet nulla mortis mentio fiat.

Resolves.

837. — 1° Non est donatio mortis causa, sed *inter vivos*, dispositio qua quis nunc et irrevocabiliter alteri donat dominium rei, cujus usum vel usumfructum sibi reservat usque ad mortem.

2° Nec ut donationes mortis causa habendæ sunt, sed *inter vivos*, dispositiones quibus ægroti dant actualiter et irrevocabiliter personis præsentibus, v. gr., parentibus, famulis, amicis, res mobiles aut etiam immobiles absque ulla conditione mortem respiciente.

3° Vim donationis mortis causa non habent promissiones, quæ solent fieri in vita de re aliqua danda in morte parentibus, famulis, amicis, neque vi talis promissionis quispiam poterit vel quid minimum prætere; quia promissiones illæ non aliud solent denotare quam merum propositum, seu bonum animum donationis alias faciendæ. Cavendum igitur, ne famuli et amici, etc. facilius voluntatem defuncti in sui favorem interpretentur, atque adeo res quasvis, prætextu promissionis vel donationis, occulte surripiant. *Recole dicta supra de promissione, n. 800.— V. Casus, n. 811 et seq.*

§ IV. De substitutione et fideicommissis.

838. — *Substitutio* licet quandoque fideicommissi nomen obtineat, latius tamen se extendit, quippe quæ generatim sumpta definitur: dispositio qua quis vocatur ad hæreditatem vel legatum in alterius defectu.

Duplex est substitutio: alia *fideicommissaria*, quæ idem est ac fideicommissum; et alia *directa*, qua quis directe et proprio nomine, loco alterius, ad hæreditatem vocatur, siquidem ille rem accipere nequeat vel nolit.

Fideicommissum, seu melius *substitutio fideicommissaria* est, qua hæres testamento institutus vel ab intestato veniens a defuncto gravatur et obligatur, ut hæreditatem totam, vel ejus partem alteri restituat seu tradat. *Schmalzgr., lib. III, tit. 26, n. 126.*

Quæsitæ.

QUÆR. 1° *Quænam substitutiones Jure Gallico prohibeantur?*

Resp. : Prohibentur omnes dispositiones, quibus aliquis vocatur ad aliquid accipiendum sub onere illud servandi usque ad mortem, et dein reddendi tertio. Hinc non prohibentur substitutiones in quibus bona non debent aliquandiu servari, sed statim ad tertium transmitti, aut debent reddi post certum tempus ante mortem. — *Rogron, art. 896.*

839. — QUÆR. 2° *Quænam sint substitutiones a Jure Gallico permissæ?*

Resp. : 1° Valent substitutiones directæ, seu testamentum, quo secundus instituitur legatarius defectu prioris, si legatum accipere nolit vel non possit (*art. 898*); 2° item donationes quibus ususfructus uni, et rei proprietas alteri datur, non habendæ sunt ut substitutiones, cum uterque statim fiat rei sibi legatæ dominus (*art. 899*); 3° valuerunt ab anno 1826, ad annum 1849, dispositiones quibus aliquis bona, quorum liberam dispositionem habebat, alicui donavit cum onere ea remittendi uni aut pluribus ex descendantibus ipsius donatarii, usque ad secundum gradum tantum. — *Ita lex 17 Maii 1826, modificans Cod. c. art. 1048 et seq., quæ et ipsa abrogata est per alteram legem 7 Maii 1849.*

QUÆR. 3° *An valeant in foro conscientiæ substitutiones fideicommissariæ lege prohibitiæ?*

Resp. : Videtur eadem esse quæstio ac pro testamentis quæ formalitatibus destituuntur; unde possessori ante judicis sententiam favendum est.

840. — QUÆR. 4° *An valeant in foro conscientiæ fideicommissa occulta pro causis piis, seu sub forma donationis simulatæ, testamenti aut legati ficti in favorem alicujus privati?*

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de donationibus manualibus, vel de rebus quæ diu conservari non debent ante transmissionem, aut quæ non debent conservari usque ad mortem donatarii, ideoque habendæ sunt tanquam res ad terminum vel sub conditione legatæ; quia lege non prohibentur.

2° Quod spectat ad alias donationes fideicommissarias, respondendum est sicut de testamentis ad pias causas quæ formis careant. — *Recole dicta sup. n. 818.*

Constat etiam ex sequenti declaratione S. Pœnitentiariæ :

CONSULTATIO

« *Eudorius* cælibatarius, hæredibus necessariis destitutus, graviter
« decumbens, ut animæ suæ consulat, statuit partem bonorum in pia
« opera erogare. Ad hunc finem *Bonifacium* legatarium universalem insti-
« tuit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem priva-
« tum *Bonifacio* tradit in quo piam manifestat voluntatem, postulatque
« ab ipso ut eandem fideliter exsequatur. *Bonifacius* vero, mortuo *Eu-*

« *dorio*, hæreditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam
« teneat; postulatur utrum in conscientia tutus esse possit? »

RESPONSUM S. CONGREGATIONIS

« Sacra Pœnitentiaria respondet in casu exposito :

« Bonifacium *teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii*
« *certe cognitam, pro foro conscientia.*

« Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 23 Junii 1844.

« C. Card. CASTRACANE, M. P. — B. Fratellini, *Secr. S. P.* » — *V. Casus, n. 867 et seq.*

CAPUT III

DE COMMODATO ET PRECARIO

841. — *Commodatum* est contractus quo res ad solum usum *gratis* conceditur pro certo tempore, cum onere rem eandem in individuo restituendi.

Precarium, quod commodato affine est, definitur: contractus quo alicui petenti rei alicujus usus conceditur, revocabilis tamen ad concedentis voluntatem. Et in hoc a commodato precarium differt, quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

Hinc commodatum differt: 1° a locatione, qua usus rei conceditur quidem, sed non gratuito; 2° a deposito, quo res traditur non ad usum, sed ad custodiam; 3° a mutuo, quo res in eadem tantum specie restituenda est.

Objectum porro commodati aut precarii esse possunt res quæcumque, sive mobiles, sive immobiles, in civili commercio positæ, modo consumptibiles non sint primo usu, cui destinantur.

OBLIGATIONES COMMODATARI

842. — Generatim uti debet re sibi commodata tanquam bonus paterfamilias; speciatim vero :

1° Non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter judicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus, re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur.

2° Subire debet expensas necessarias ad rei conservationem, alere, v. gr., equum commodatum; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. gr., ad curandum equum gravi morbo citra culpam suam laborantem.

3° Rem commodatam præfixo tempore et propriis expensis reddere debet, etiamsi non repetatur; quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus præfinitum non fuerit, restitui res commodata debet statim ac postulatum usum præstiterit.

4° Si res commodata detrimentum aliquod ob concessum usum patiatur absque culpa commodatarii, iste ad compensationem non tenetur. Si deterior facta sit culpa ipsius juridica, tenetur in foro externo compensare, et.

juxta theologos non paucos, etiam in foro interno, cum contractus sit in solam ejus utilitatem initus. *Negant tamen probabiliter alii*, nisi de hoc peculiaris conventio intercesserit. — *Recole dicta n. 661 et seq.*

OBLIGATIONES COMMODANTIS

843. — 1° Tenetur rem commodatam non repetere ante tempus præfixum, vel saltem, si hoc præfixum non fuerit, antequam commodatarius ea uti valeat: alioquin tenebitur de damno quod alius expertus est ex intempestiva ejus revocatione, cum jus alienum pacto acquisitum sic violaverit. Excipe, si res commodata fuerit in favorem solius commodatarii, qui ante tempus præfixum moriatur; vel si ipse commodans ex casu improvise re sua statim indigeat.

2° Tenetur restituere expensas extraordinarias quas urgentes et ad rem conservandam necessarias subiit commodatarius, dum alioqui commodantem monere facile non potuit.

3° Rei commodatæ vitia nociva, si quæ noscit, commodatario aperire tenetur; alias damnum inde proveniens compensare debet.

4° Tandem rei pericula atque detrimenta ex casu fortuito enata, seclusa mora, culpa, pacto, et peculiari lege, sustinere tenetur, quia juxta axioma *res perit domino*. — *V. Casus, n. 869.*

CAPUT IV

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO

I. — *De deposito.*

844. — Depositum est contractus, quo gratis res custodienda committitur et accipitur in integrum restituenda quando deponenti libuerit.

OBLIGATIONES DEPOSITARII

1° Tenetur rem depositam servare ac custodire ea cura et diligentia, quam homines diligentes adhibere solent in consimili re propria conservanda; hanc enim rei traditæ custodiam suscipit. Si res deposita ex dolo vel ejus incuria theologicè culpabili pereat, ad restitutionem tenetur.

2° Uti re deposita non potest sine consensu domini expresso vel tacito, vel saltem prudenter præsumpto; neque enim re aliena inconsulto domino uti licet.

3° Tenetur rem depositam petenti statim reddere; nam secus rem alienam haberet, domino rationabiliter invito. Excipe, nisi deponens eam repetat in suum vel alienum damnum; vel nisi res sit furtiva, et dominus eam repetat; vel etiam (saltem in foro conscientiæ) nisi depositarius justam habeat compensationis causam. Res autem deposita reddi in eo statu debet, in quo repetitur tempore restitutionis, et cum fructibus ex ea perceptis. Si vero culpa depositarii deterior facta fuerit, hic ad damnum reparandum obligatur.

OBLIGATIONES DEPONENTIS

Deponens tenetur solvere expensas quas depositarius subiit in re deposita servanda, illumque indemnem reddere pro omnibus quæ occasione depositi passus fuerit. Sic, v. gr., si deposueris in alterius stabulo equum, solvere debes nutritionis expensas; et si equus ille morbo contagioso laboret, ex quo equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes. Hinc effatum: *Officium suum nemini debet esse damnosum.* — V. *Casus*, n. 875 et seq.

II. *Dè sequestro.*

845. — *Sequestrum* est depositi species, quo res controversa deponitur apud tertium, ut post sententiam iudicis vel arbitri vincenti tradatur.

Duplex distinguitur sequestrum: *conventionale*, quod fit mutua contententium conventionione; et *judiciarium*, quod sententia iudicis decernitur. De utroque satis erit innuere sequentia:

1° Sequestri tam conventionalis quam judiciarii objectum potest esse res mobilis vel immobilis.

2° Sequestrum conventionale potest esse non gratuitum, et tunc fit operæ conductio, istiusque contractus legibus subjicitur. Si vero gratuitum sit, iisdem regulis subjacet, ac depositum. Non dissolvitur tamen, nisi mutuis partium consensus vel legalis causa superveniat.

3° In sequestro judiciario custos curam boni patrisfamilias gerere debet; committens vero custodiæ mercedem jure statutam depositario solvere tenetur. Sic de Jure naturali et positivo.

CAPUT V

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE

I. — *De mandato.*

846. — *Mandatum* est contractus quo negotium aliquod, v. gr., aliquid emendi, vendendi, etc. ab uno alteri committitur, et ab eodem altero suscipitur gratuito gerendum. Dixi, *gratuito*; nam si ob sancitum pretium suscipiatur, potius operæ locatio nuncupatur.

OBLIGATIONES MANDANTIS

1° Adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas; non autem id quod ultra mandatum confectum est, nisi expresse vel tacite ratum habuerit.

2° Ea præstare mandatario debet, quæ ad mandati executionem necessaria sunt, eique legitimos sumptus, quos fecit occasione mandati, refundere, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit.

3° Indemnem præstare tenetur mandatarium ratione damnorum quæ, præcisa culpabili imprudentia, occasione mandati passus fuerit; nemo

enim tenetur nec censetur velle alteri beneficium cum proprio dispendio conferre.

OBLIGATIONES MANDATARIII

847. — 1° Tenetur mandantis negotium diligenter ac velut proprium gerere. Unde saltem de dolo, et incuria theologicè culpabili tenetur.

2° Intra mandati limites se continere debet. Unde nihil pluris emere vel minoris vendere potest, quam ipsi præscriptum sit; secus enim vi mandati non ageret.

3° Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel ipse eam antea petierit, nec ei licet suam operam occulte compensare.

4° Non potest *per se* sibi retinere lucrum, si vendat, nec pretii excessum, si infra pretium determinatum emat, nisi dominus consentiat. *Per accidens* tamen potest mandatarius seu proxeneta sibi retinere pretii excessum, 1° si res speciali ejus industria et indebito labore melior evaserit; 2° si tacite convenit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium seu valorem determinatum; 3° si in meram ipsius gratiam venditor pretium imminuerit, vel emptor majorem summam obtulerit. — *S. Lig. n. 825. — V. Casus, n. 885 et seq.*

Mandatum tribus modis scinditur: 1° revocatione mandati, quam mandans pro libitu facere potest; 2° renuntiatione mandatarii tempore debito notificata; 3° morte naturali vel civili, aut interdictione sive mandantis, sive mandatarii.

II. — *De negotiorum gestione.*

848. — *Gestio negotiorum* est quidam *quasi-contractus*, quo quis absentis et ignorantis negotium utiliter gerendum suscipit, sine mandato expresso, sed ex ejus commissione rationabiliter præsumpta.

1° Gestor negotii, perinde ac mandatarius, tenetur alterius rem administrare tanquam bonus paterfamilias, et damna absenti illata ex suo dolo, negligentia vel culpa resarcire. In pluribus tamen circumstantiis temperari potest, etiam in foro externo, obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia vel negligentia gestoris, qui rem alterius in defectu peritioris gerendam sumpserit.

2° Absens, cujus negotium geritur, tenetur conventiones a gestore rite factas servare, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit.

Gestor *probabilis* jus habet ad mercedem congruentem; secus enim pauci invenientur, qui negotia absentis gerenda sponte suscipiant. — *Ita Antoine, c. IV, in fine, et alii. — V. Casus, n. 889.*

CAPUT VI

DE MUTUO

Agendum 1° de natura contractus mutui; — 2° de lucro ex mutuo percepto, seu de usura; — 3° de titulis ab usura excusantibus.

ARTICULUS I

DE NATURA CONTRACTUS MUTUI

849. — Vox *mutuum* juxta vim nominis significat aliquid *ex meo tuum fieri*. Aliquando sumitur pro ipsa re mutuo tradita; aliquando vero, et sæpius, pro contractu quo ea res alteri utenda traditur. In postremo hoc sensu hic accipitur.

Mutuum definiri solet *contractus* quo res primo usu consumptibilis alteri traditur, cum obligatione rem similem reddendi statuto tempore, atque in eadem specie et bonitate.

Res autem primo usu consumptibiles censentur ea omnia, quæ natura sua destruuntur et consumuntur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, vinum, oleum, sal, fructus, etc. Secundum Jura autem (*L. 2 ff. De rebus creditis*) ejusmodi censentur *quæcumque pondere, numero vel mensura constant*.

Hinc mutuum differt a commodato, locato et deposito: 1° quia in mutuo res debet esse primo usu consumptibilis, secus in aliis; 2° quia res non in individuo, sed in specie tantum eadem reddenda est; 3° quia in mutuo transfertur rei dominium, et non in aliis; 4° quocirca in mutuo res perit accipienti, in cæteris tradenti.

Ratio porro, quare in mutuo stricto et proprie dicto transferatur rei dominium, est, quia cum res mutua sit primo usu consumptibilis, ejusmodi usus non esset licitus sine dominio ipso. Hinc expensæ omnes et rei traditæ pericula cedunt mutuatario, utpote vero domino.

Principia.

850. — I. Datur præceptum strictum mutuandi respectu pauperum qui in extrema necessitate versantur, et habituri sunt quo restituant. Ratio est, quia adest stricta Caritatis obligatio subveniendi proximo in ea necessitate posito, juxta regulas et principia statuta ubi de Caritate erga proximum.

Sæpius abest præceptum mutui erga pauperes, eo quod non præsumantur habituri unde æquivalens reddere valeant. Sed tunc urget præceptum eleemosynæ *alicujus* ipsis erogandæ. Dico *alicujus*; quia non teneris tantum eleemosynæ præstare, quantum pauper mutuo efflagitabat. Sunt enim etiam alii qui opitulari possunt et tenentur.

II. Datur præceptum concedendi mutuum etiam divitibus qui ob pecularem circumstantiam eo summe indigeant, non tamen illis divitibus qui ad augendas opes idem postulent. Ratio 1^{mi} est, quia præceptum Caritatis nos obstringit erga omnes homines, etiam divites, et exigit ut hoc libenter præstemus, quod in pari casu nobis præstari vellemus, saltem si absque incommodo ipsis per mutuum succurrere possimus. Ratio autem 2^{di} est, quia hujusmodi divites in nulla necessitate constituuntur, nec proinde ullum erga eos urget Caritatis præceptum.

Quæsitæ.

851. QUÆR. 1° *Quæ sint obligationes mutuatoris et mutuatarii?*

Resp. ad 1^{um}: Obligationes mutuatoris sunt sequentes:

1° Tenetur mutuatarium monere de vitio rei traditæ, si quod sit; item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis, nisi gratis quoad hæc etiam mutuari velit: alias hic non consentit, et, si restitutio exigatur, sustinet injuriam, quam reparare tenebitur mutuans.

2° Tenetur non repetere rem ante tempus aliquod iudicio prudentum definiendum, consideratis circumstantiis et fine ob quem res mutuo data est. Tenetur tamen rem recipere, si afferatur ante, quia in gratiam mutuatarii tempus concessum est.

3° Tenetur, *per se*, non plus recipere, quam res mutuata valuerit, quando mutuo data est; quia mutuum per se est contractus gratuitus hoc sensu, quod aliud onus mutuatario non imponat, quam ut reddat in specie, debito tempore, id quod accepit. — *S. Lig. n. 755.*

Resp. ad 2^{um}, quoad obligationes mutuatarii:

1° Utcumque res mutuata forte pereat, mutuatarius non liberatur, donec mutuator mutuum vel per se vel per alium designatum receperit; ratio, quia rei mutuatæ dominium habet, quæ si pereat, ipsi perit.

2° Rem debet reddere præstito tempore, et in eadem specie physica, mensura, numero, pondere. Quoad pecuniam vero, quæ moraliter tantum perire censetur, sufficit (nisi de eadem pecuniæ specie reddenda conventum fuerit), ut juxta eundem valorem restituatur: quia in pecunia potius ad valorem quam ad speciem attenditur; quinimo plures negant pecuniam esse rem primo usu consumptibilem, quando divitibus seu mercatoribus mutuo ad commercium peragendum traditur; unde etiam negant mutuum hinc haberi proprie dictum; secus vero in aliis.

852. — QUÆR. 2° *An possis rem mutuatam in eadem mensura et quantitate recipere, si mutui tempore crescat ejus pretium? An plus repetere, si decrescat?*

Resp. 1°: Si quando res mutuo traditur, æquale sit utrinque dubium, an tempore restitutionis res valitura sit pluris vel minoris, licet pacisci, ut servata eadem bonitate et mensura reddi suo tempore debeat, etsi pretium ejus valde sit auctum. Ratio est, quia cum utrinque æquale fuerit periculum, eo ipso jam æqualitas servatur. — *S. Lig. n. 782.*

Resp. 2° Licitum non est *per se* pactum prædictum, si certo constet, vel longe probabilius sit, tempore solutionis valorem auctum iri. Ratio est quia sic non servatur æqualitas, sed plus exigitur, quam detur tempore mutui. Hinc si modius tritici nunc valeat tribus francis, et valiturus sit quatuor tempore restitutionis, non licet pacisci, ut tantumdem solvatur. Excipe tamen, nisi statueris rem servare in tempus pretii aucti; quia tunc plus exigitur ratione lucri cessantis. — *Lacroix, n. 910 et seq. S. Lig. n. 782, etc.*

Resp. 3°: Si prævideas valoris seu pretii imminutionem, tantum potes repetere, et mutuatarius solvere debet, quanti res valebat cum mutuo tradita est; quia revera non plus exigis quam dedisti. — *S. Lig., ibid. — Reuter, etc.*

ARTICULUS II

DE USURA, SEU DE LUCRO PERCEPTO EX MUTUO

Usura, lato sensu sumpta, dicitur omne *lucrum* perceptum ex mutuo, vel illius occasione, sive cum titulo sive absque titulo legitimo. Usura autem

sensu strictiori et in malam partem accepta, est lucrum immediate proveniens ex mutuo, id est præcise vi mutui, et absque justo alio titulo. De hac præsertim nunc agimus.

Usura alia est *explicita, formalis, aperta*, de qua fit expressa conventio; alia *implicita, virtualis, palliata*, de qua fit conventio, sed per consensum virtualiter et implicite dumtaxat manifestatum, vel sub specie contractus a mutuo diversi. — Item, alia est *realis*, quæ vi pacti expliciti vel impliciti exigitur; alia *mentalis*, quæ, sine ullo pacto explicito vel implicito, animo usurario, id est tanquam ex justitia propter mutuum immediate debita percipitur.

Usuræ tamen crimen non adest, si quis exspectet pro mutuo aliquid, non ut debitum, sed ex mera benevolentia (dummodo non subsit usura implicita), vel si exigat rem aliunde jam ex justitia debitam, cum sic de facto nullum onus novum imponatur. — *S. Lig. n. 774, 777 et seq.*

Principia.

853. — I. Omnis usura proprie dicta, id est omne lucrum ex mutuo, præcise ratione mutui, remoto quocumque extrinseco titulo, susceptum, jure naturali, divino et ecclesiastico prohibetur. — « Hæc perpetua fuit et est catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensu firmata, » inquit *Benedictus XIV, de Syn. diœc., l. X, c. IV, n. 2*. Et revera ipsemet, ejusmodi lucrum omnino illicitum esse, solemniter definivit in bulla *Vix pervenit*. — Ratio autem propter quam jure etiam naturali dicatur usura prohiberi, est, prout docet S. Thomas, 2. 2., q. 78, a. 1, quia usus rei consumptibilis, cum sit ipsa rei consumptio, distinctus non est ab ejusdem dominio, ideoque translato jam dominio per mutuum, præter atque ultra valorem ipsius rei ejusve domini injuste venditur.

II. Usura poterit ab omni injustitia excusari, si adsit titulus justus, v. gr. *damni emergentis*, etc. Ratio est, quia tunc lucrum non vi mutui accipitur, sed ratione extrinseci tituli. Licet enim tituli accipere quantum tradidisti; porro si ex datis centum nummis decem perdas, erogas aliquo modo centum et decem: ergo centum et decem accipere potes.

III. Usurarii eorumque cooperatores ex justitia ad restitutionem tenentur, quippe qui justitiam commutativam lædunt haud secus ac ipsi fures; iis igitur regulæ, in *tractatu de Restitutione* traditæ, applicandæ sunt.

Quæsitæ.

854. QUÆR. 1° *An in dubio, utrum mutuarius dederit aliquid supra sortem gratis vel non, possit id retinere?*

Resp. Affirm. Cum sententia communi et probabiliori, si bona fide acceperis; si autem in dubio acceperis, restituere teneris saltem pro rata dubii juxta dicta *de possessore dubiæ fidei, n. 652*, nisi ex circumstantiis præsumatur donatio, quæ tamen non facile præsumi debet. — *S. Lig. n. 761.*

QUÆR. 2° *An mutuans retinere possit quod mutuarius dedit ex timore, ne alias mutuum sibi denegetur?*

Resp. Affirm. probabilis. Ratio est, quia requiritur ad usuram, ut detur

ex vi pacti, sive ut debitum ex justitia. — *Ita communius.* — *S. Lig., n. 763, in hanc sententiam inclinat.*

855. — QUÆR. 3^o *An sit usura, si mutues ea lege, ut mutuatarius sibi necessaria justo pretio in tua officina emat?*

Resp. Affirm., si hoc in pactum deducatur. Ratio est, quia onus mutuatario imponitur, et ipsius libertas restringitur, quod est pretio æstimabile. — *S. Lig. n. 780, etc.*

QUÆR. 4^o *An possit in pactum deduci donatio antidoralis, seu quæ ex animo grato fiat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ex pactis necessario oritur justitiæ titulus, non vero donatio mere ex animo grato erogata. — *S. Lig., n. 764, et alii communiter.* — *Attende ad prop. 42 ab Innoc. XI damn.*

ARTICULUS III

DE TITULIS AB USURA EXCUSANTIBUS

Quinque præcipui numerantur, scilicet: 1^o damnum emergens; 2^o lucrum cessans; 3^o periculum sortis; 4^o pœna conventionalis; 5^o lex civilis.

Quatuor priores communissime admittuntur; de postremo lis agitatur. De singulis pauca dicemus.

I. — *De damno emergente.*

856. — Damnum *emergens* est detrimentum, quod patitur mutuans occasione mutui proximo præstiti.

I. Si mutui causa mutuans damnum patitur, legitimus est titulus aliquid supra sortem accipiendi. Ratio est, quia æquum non est ut damnum ex mutuo feras; nemo enim tenetur cum damno proprio beneficium præstare, nisi in proximi necessitate. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 768.*

II. Ad hoc vero condiciones sequentes requiruntur: 1^o ut mutuuum sit causa damni; 2^o ut nihil præter compensationem exigatur; 3^o ut auctarium ab initio in pactum deducatur. — *S. Lig. n. 769.*

Quæsitæ.

857. — QUÆR. 1^o *An mutuans compensationem damni emergentis exigere possit, si ipse ultro se ad mutuandum offerat?*

Resp. Affirm. probabilius, cum *S. Lig. n. 769, etc.* Ratio est, quia etiam tunc mutuatarius, cum mutuuum acceptat, est vera causa damni emergentis. Mutuans enim non offert absolute, sed conditionate, nempe sub conditione compensationis obtinendæ.

QUÆR. 2^o *An liceat mutuantibus ab initio pacisci de certo lucro percipiendo, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?*

Resp. Affirm., dummodo proportio juxta damni probabilitatem servetur. — *S. Lig. n. 770. — Salmant. c. III.*

Dum ista de damno emergente statuimus, omnino præscindimus a titulo legis civilis, et variis contractibus, vi quorum ex pecunia alteri mutuata forte legitimari lucrum aliquod posset, ut ex dicendis patebit. Quæ quidem

animadversio etiam pro aliis titulis mox exponendis lucri cessantis, etc., valere debet.

II. — De lucro cessante.

858. — I. *Lucrum cessans* est id quod mutuans servata re vel pecunia sua lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset.

Lucrum cessans legitimus est titulus aliquid supra sortem exigendi. Ratio est : 1° quia tunc vere *damnum emergens* habetur ; 2° quia spes lucri est mutuo extrinseca, et simul pretio æstimabilis.

II. *Conditiones requisitæ* : 1° eadem sunt ac in titulo præcedenti ; 2° debet mutuans mentem habuisse pecuniam suam in negotiationem impendendi ; secus enim lucrum non cessaret. — *S. Lig., Hom. apost., n. 149 et seq.*

QUÆR. *An aliquid exigere possis ratione lucri cessantis ob pecuniæ mutuum, si aliam pecuniam otiosam serves?*

Resp. 1° Affirm. certo, si hanc reservaveris ad usum familiæ, vel ne tuum statum periculo exponas, quia non teneris ratione mutui tuam rem negligere. — *S. Lig. n. 771.*

Resp. 2° Affirm. probabiliter etiam in cæteris casibus, quia mutuum est vera causa cur lucrum cesset. — *S. Lig., ibid.*

III. — De periculo sortis.

859. — *Periculum sortis* est timor prudens, ne sors recuperari nequeat. *Periculum sortis*, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, est legitimus alicujus lucri titulus. Ratio est, tum quia, si abdicata spes lucri pretio est æstimabilis, æstimabile erit a fortiori periculum damni *probabilis*; tum quia pluris æstimantur res in tuto, quam in periculo positæ; tum etiam quia constat ex decisione *Sacr. Congreg. de Propaganda* pro Missionariis Sinensibus ab Innoc. X approbata, anno 1645. — *Vide S. Lig., num. 765.*

Excipe : 1° Si mutuatarius sit pauper, quia tunc præceptum mutui ex Caritate urget ; 2° si mutuatarius sortem per pignus assecuret, quia sic periculum cessat. — *S. Lig., ibid.*

860. — *Objicies* : Vel sors peribit, vel non : si *prius*, nihil mutuans accipiet, neque sortem scilicet, neque auctarium stipulatum ; si *posterius*, nullum de facto patietur detrimentum : ergo nihil exigere debet.

Resp. 1° : Etiam si sors peritura sit, non sequitur necessario mutantem nihil omnino accepturum ; nam fieri potest, ut sors non statim pereat, et tunc *interesse*, quod interea solvitur, ut quædam compensatio pro sorte habeatur.

Resp. 2° : Quamvis nullum damnum de facto patiatur mutuans, nihilominus aliquid supra sortem percipere potest ; nam periculum pretio æstimabile vere subit. Pari profecto jure qui pro navi assicuranda de pretio cum alio convenit, illud sane exigere potest, licet de facto navis non perierit. Ergo *a pari*, etc.

IV. — *De pœna conventionali.*

861. — Pœna *conventionalis* consistit in hoc, quod mutuatarius se obliget ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore præfixo illam non restituat.

I. Pœna *conventionalis* legitimus est titulus accipiendi præter sortem id, de quo conventum est. Ratio est, quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii præcavetur. — *S. Lig. n. 766, etc.*

II. Conditiones requisitæ sunt, 1° ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis; 2° ut pœna sit moderata et culpæ proportionata. — *S. Lig. n. 766, et alii communiter.*

Vide plura, si placet, de titulis præcedentibus apud auctores. Perpauca tantum delibavimus, quia, accedente legis titulo, cæteri jam rarius in praxi occurrent, ut ex dicendis patebit.

V. — *De titulo legis civilis.*

862. — Olim jam existebant apud varios populos leges, vi quarum lucrum certum ex mutuo percipi poterat, præsertim inter Romanos, et recentius inter Germanos. *Vide Mastrofni, c. IV, VIII, IX.* — Nostris autem temporibus hujusmodi leges apud plerosque populos usu generali receptæ sunt. Ex iis porro sat communiter permittitur lucrum annuum ex mutuo pecuniæ percipiendum ea conditione, ut quinque pro singulis centenis *in materia civili*, et sex *in materia commercii* percipi possint. In Gallia vero lucrum conceditur sive pecuniæ, sive frumenti, sive alterius rei mutuatae. Lege autem 3 Septemb. 1807, statutum est, ne lucrum ex mutuo percipiendum excedat 5 pro 100 in re civili, et 6 pro 100 in re ad commercium spectante. Ex eadem lege si quis convincatur, quod statutam taxam violaverit, ad excessum restituendum damnatur. Quod si sæpius id fecerit, mulcta plectendum decernitur¹.

¹ At vero fere ubique nunc abolita est taxa legalis de lucro ex mutuo percipiendo, et arbitrio partium relictum est ut in singulis conventionibus illud statuatur quod voverint. In Gallia per legem 14 Jan. 1886, retenta obligatione non excedendi 5 pro 100 in re civili, omnimoda mutuandi libertas in rebus ad commercium spectantibus concessa est. Porro quid, ita cessante titulo legis civilis, agendum sit, ex sequentibus responsionibus liquet pro Italia datis, ubi permittuntur a lege *fructus conventionales*, seu conventionie privata determinati.

Cum in diœcesi Arianensi vix reperirentur, qui, sive propter crescentia continuo tributa publica, sive propter tributum in ipsos mutuatae sortis fructus impositum, pecuniam cum lucro tantum 5 % mutuare vellent; sed multi 6, aut etiam 8 % exigerent, postulavit a S. I. C. Vicarius Generalis: an tuta essent conscientia qui altius ejusmodi lucrum percipiebant. Respondit S. C. Fer. 1v, 18 Dec. 1872: *Dummodo sint parati stare mandatis S. Sedis, non esse inquietandos.* — Quærenti pariter episcopo Marsicensi et Potent. quodnam esset iudicium ferendum de lucro 8 vel 10 % frequentissime in sua diœcesi a mutuantiis etiam bonis et piis percepto, respondit S. Pœnitentiaria, die 18 Apr. 1889: *Cum fructus pecuniæ taxare per modum regulæ periculosum sit, VEN. IN CHRISTO PATER EPISCOPUS ORATOR IN SINGULIS CASIBUS REM DECERNAT JUXTA PRAXIM COMMUNEM SERVATAM AB HOMINIBUS TIMORATÆ CONSCIENTIÆ RESPECTIVIS IN LOCIS ET TEMPORIBUS.* In his autem rescribendis omnino videtur Sac. Pœnitentiaria ad anteriores plures S. Inq. C. decisiones respexisse, quas refert Scavini, l. IV, Append., xxxii, n. 241, edit. Mediolan., 1869, et ex quibus constat defi-

An vero illa lex creet legitimum titulum in foro conscientiae ad lucrum ex mutuo percipiendum, disputatur. Sententia affirmativa *probabilior* et *communior* est. Hinc sequens

PROPOSITIO

Titulus legis civilis probabilius est ratio justa et honesta aliquid supra sortem exigendi, secluso etiam quocumque alio titulo.

863. — *Prob. 1° ex ratione.* Etenim titulus legis de medio illud tollit, quod seclusa lege usuram sapere posset, cum ad hoc sufficiat ut legislator auctarium supra sortem justum ac legitimum faciat. Atqui res ita se habet; namque id eum et *posse*, et *velle*, ac proinde etiam facere, liquido constat.

1° *Potest.* Nam vi *alti domini* potest Princeps, postulante id bono communi, aliqua bona subditorum de uno in alium, seu in Reipublicae utilitatem transferre, aut saltem, ut omnes fatentur, imperare potest, ut unus alteri aliquid cedat de bonis suis: sic, v. gr., juste tributa, etiam quandoque extraordinaria, vel operarum moderatam praestationem requirit. Quare ergo non poterit subditis jus concedere, ut, boni communis causa, aliquid a se invicem, v. gr., auctarium moderatum, non ex mutuo vel propter mutuum, sed occasione mutui, si velint, exigant? Talis enim dispositio nunc saltem magnae utilitatis, imo et forte moralis necessitatis est in societate; siquidem spectatis maxime nostrorum temporum adjunctis minus floreret, imo fere interiret commercium, ac languesceret industria, nisi pecuniae praestatio foveretur: quippe omnes procul dubio suam pecuniam servare mallent, quam sine ullo lucro eam aliis mutuo tradere. Insuper tali lege subvenitur viduis, pupillis, famulis, ancillis, et aliis, qui negotiari non possunt, et alioquin modicas pecunias suas consumere cogerentur. — Nec justitia distributiva tali statuto laeditur, cum lex pro futuro feratur, et omnibus successive favere possit. Si onus tibi hodie incumbat, cras commodum favebit. *Hodie mihi, cras tibi.* Unde vera compensatio in societate generatim spectata tribuitur. Ergo nulla injustitia in tali lege.

Uno verbo, posita lege, auctarium supra sortem perceptum non jam vi mutui, nec immediate ex mutuo percipitur, sed mediate tantum, ex mera mutui occasione provenit: statutum enim Principis mutuo prorsus extrinsecum est; aliunde lex bono societatis non nocet, sed ei potius plurimum favet. Ergo auctarium justum et legitimum facit. — Imo, si quid forte desit juri Principis, id suppleri voluntate subditorum dicendum est. Nam lex illa est universaliter acceptata in communitate, et a viris etiam timoratis in praxim deducta; ergo includit voluntariam juris sui cessionem ex parte subditorum.

2° *Vult.* Etenim voluntas jus tale subditis conferendi manifeste in ipso legis facto includitur. Legislator enim vult quidquid ab ejus voluntate pendet, et ad necessariam legis efficaciam et honestatem requiritur, si qui-

ciente alicubi taxa legali, aut lege immoderatum lucrum ex mutuo permittente, de singulis casibus in particulari providendum esse, spectatis facti circumstantiis, et praxi quam in similibus adjunctis tenent viri timoratae conscientiae. — Cf. *Ferraris, V° Usura.*
n. 121.

dem vult legem honestam et efficacem statuere. Ergo voluntas illa dominium lucri transferendi implicite in ipsa lege existit.

864. — *Prob. 2° ex auctoritate S. Sedis.* Etenim S. Sedes, sæpius interrogata, nostris hisce temporibus, utrum deneganda foret absolutio iis qui lucrum lege concessum accipiunt, absque ullo alio titulo, semper respondit: *Non sunt inquietandi, donec S. Sedes aliquid circa hoc definiverit.* Ergo concludere licet ex præfatis responsis, sententiam legi consentaneam esse saltem probabilem. Quomodo enim S. Sedes respondere potuisset, *non sunt inquietandi*, nisi vere saltem probabile esset, legem esse justam et honestam? Si enim probabile non est, inquietari debent. Fatendum tamen est, Sacras Congregationes sic respondendo noluisse hac de re definitivam ferre sententiam circa rem adeo arduam. Sufficit autem vera et solida probabilitas, ut fideles juxta legem lucrum ex mutuo percipientes a peccato et restitutionis onere sint immunes.

Hinc concludit *Bouvier*: « Resolutiones S. Sedis, licet a SS. Pontificibus « Pio VIII et Gregorio XVI approbatæ, et sibi perfecte concordæ, definiti- « vam non continent S. Sedis decisionem, ut patet ex earum forma, natura « et terminis; attamen qui consuetam agendi rationem Ecclesiæ Romanæ « norunt, persuasum habere debent, S. Sedem contrarias decisiones nun- « quam edituram esse... His omnibus momentis ductus firmiter persuasum « habeo, lucrum lege taxatum ex mutuo Caritate non debito, nunc prohi- « bendum non esse, ac timoratos sapienter esse dirigendos, ne ex sua sim- « plicitate et nimia Confessarii rigiditate detrimentum patiantur. » *Bouvier, Append. ad Tract. de Contractibus.*

Præter *Bouvier* modo citatum, hanc tenent sententiam communius recentiores theologi cum *Goussset*, n. 823. — *Rousselot*, in edit., etc. Jam prius sic sentiebant *Wirceburgenses*, de *Contr.*, n. 201; — *Sættler*, de *Contr.*, p. II, c. IV; — *Reuter*, n. 201, — et multi alii a *Wirceburgensibus* citati, præsertim *Zech*, *Ledesma*, *Tannerus*, *Hauholdus*, *Toletus*, etc.

Objectiones.

865. — *Objic. 1°*: Legislator vi alti domini proprietatem privatorum auferre nequit absque debita compensatione; atqui nulla datur compensatio in præfata lege: ergo...

Resp. 1° Dist. ant. Quando compensatio fieri potest, *conc.*, secus *neg.* Quomodo igitur rerum proprietas in lege præscriptionem statuente transferatur? Quænam compensatio in eo casu erogatur?

Resp. 2° Neg. min. Datur vera compensatio in hoc, quod lex omnibus sit valde utilis, etiam illis qui auctarium solvunt, cum facilius invenire possint pecuniam qua indigent. Aliunde qui hodie solvit fœnus, cras vicissim illud recipere poterit.

866. *Objic. 2°*: Princeps nequit facere licitum, quod de se illicitum est; atqui usuræ sunt illicitæ de jure naturali et divino, utpote ab utroque jure prohibitæ: ergo:

Resp. 1° Dist. ant. Si non possit Princeps apponere conditionem quæ injustitiam tollat, si qua sit, *conc.*, secus, *neg.* Porro Principem hujusmodi conditionem apponere posse, ex dictis patet.

Resp. 2^o Dist. min. Usuræ sunt prohibitæ jure naturali et divino, si sint usuræ *proprie dictæ*, seu provenientes ex mutuo vi ipsius mutui, *conc.*: secus *neg.* — Etenim si omne lucrum ex mutuo perceptum jure naturali et divino prohibitum sit, quomodo S. Sedes id ignorat, et statuit fideles et beneficio legis utentes non esse inquietandos?

867. — *Objic. 3^o*: Pecunia est *sterilis ex natura sua*; ergo fructum producere nequit; ergo non licet lucrum ex ea requirere.

Resp. 1^o Trans. ant. et primum cons. — *Dist. secundum cons.* Non licet lucrum ex ea requirere præcise ratione mutui, seu fœcunditatis pecuniæ. *conc.*; ratione tituli legis civilis, *neg.* — Alii alio modo respondent, sic:

Resp. 2^o Dist. ant. Pecunia est *sterilis ex se sola, transeat*; adjuncta hominis opera seu industria, *neg.* Consulantur, inquiunt, de hoc mercatores. Nonne etiam ager est ex se sterilis et infructuosus, nisi excolatur?

Quinimo plures, præsertim recentiores, non solum contendunt pecuniam non esse sterilem, sed prædictos omnes titulos in pecuniæ mutuo inuixos rejiciunt utpote inutiles, et horum loco titulum universalem *fœcunditatis pecuniæ* substituunt. Pecunia juxta ipsos fructum producere potest. Hinc concludunt circa pecuniam, nisi pauperibus tradatur, non semper dari verum mutuum. Ipsorum autem rationes sequentibus capitibus continentur.

1^o Mutuum, juxta omnes, fieri nequit, nisi de re primo usu consumenda, quod ex ipsius mutui natura evincitur. Porro pecunia primo usu non consumitur, nisi præbeatur pauperi illam impensuro ad suam sustentationem. Etenim in traditione pecuniæ solus valor transfertur, et est contractus objectum; valor autem non perit, quando in augendam mutuatarii fortunam impenditur. Ergo...

2^o Hinc contractus, quo traditur pecunia diviti, non est mutuum proprie dictum, sed potius commodatum, vel locatum, prout gratis vel pretio datur, et proinde dominium pecuniæ non transfertur.

3^o Contractus ille locationis pecuniæ est in se licitus, nam juste pretium exigitur pro re quæ valorem intrinsecum habet; atqui usus pecuniæ, quæ primo usu non consumitur, habet valorem intrinsecum, qui pretio æstimari potest, et in commercio humano causa evadit multorum emolumentorum. Ergo auctarium sortis est justum pretium illius usus.

4^o Pecunia, ut constat experientia mercatorum, fructum producit, et multiplicatur *per se*, independenter ab humana industria; ergo non omnino sterilis reputanda est. Etenim idem mercator, in iisdem circumstantiis et cum eodem industriæ gradu, multo majus lucrum facit, si multo majorem summam impendere in commercium possit; ergo facultas pecuniam impendendi in commercio est vere pretio æstimabilis.

5^o Illud auctarium sortis potest non solum haberi ut pretium locati valoris, sed etiam ut pretium venditi lucri quod ex inita societate sperabatur; mutuum enim commercii assimilatur triplici contractui societatis (de quo infra, n. 919) et assecurationis tum sortis tum lucri. Triplex autem ille contractus probabiliter censi potest legitimus juxta Benedictum XIV, S. *Ligor.*, et alios.

Hanc doctrinam tenent *Mastrofini*, — *Muffei*, — *Rossignol*, — *Card. de la Luzerne*, et alii, quibus assentiunt recentiores non pauci.

868. — *Objic. 4^o*: Christus Dominus in lege nova omne lucrum ex mutuo

prohibuit; dixit enim: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Luc. VI, 35.

— Ergo...

Resp.: Hæc verba non sunt certo intelligenda de præcepto rigoroso, saltem quoad omnes homines et omnes casus. Etenim in capite citato plura referuntur, quæ meri sunt consilii, v. gr., sequentia: *Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Luc. VI, 30.

869. — *Objic.* 5^o: *Benedictus XIV*, in Epistola encyclica *Vix pervenit*, damnavit ut usurarium omne lucrum ex mutuo perceptum. Ergo...

Resp. 1^o: Non constat inter theologos de vero sensu Benedictinæ Constitutionis, teste controversia de hoc adeo agitata apud auctores.

Resp. 2^o: *Benedictus XIV* non reprobavit nisi lucrum ex mutuo, *vi mutui* perceptum, præscindendo a variis titulis. Ergo ex hac Constitutione nihil contra lucrum ex aliquo titulo perceptum deduci potest. Adde, quod Pontifex aperte declaravit, se nolle dirimere controversias in scholis agitas, v. gr., de liceitate trini contractus.

Resp. 3^o: Si præclarus Pontifex quidpiam definivisset, nonne a S. Sede cognosci deberet melius quam ab aliis? Et si verum foret, quomodo Pontifices *Pius VIII* et *Gregorius XVI* decisionem oppositam ferre potuissent? Numquid *inquietandi* non forent illi qui contra dogmaticam Constitutionem summi Pontificis agerent?

Quæsitæ.

870. — QUÆR. 1^o *Quibusnam licet percipere 6 pro 100 ratione commercii, juxta legem civilem?*

Resp. 1^o: Licet certo mercatoribus pecuniam aliis mercatoribus mutuantibus, quia omnino de commercio agitur.

Resp. 2^o: Licet etiam mercatoribus respectu aliorum non mercatorum, quia lex favere commercio intendit; favet autem permittendo mercatoribus, ut majorem censum ex mutuata pecunia percipiant.

Resp. 3^o: Si agatur de aliis non mercatoribus respectu mercatorum, *controvertitur*. Negant *communius* licere, et afferunt talem esse tribunalium decisionem. Ratio est, quia lex, quæ mercatoribus favere intendit, ipsis potius nociva foret, si interesse majus solvere deberent.

Plures tamen etiam inter jurisperitos affirmant. Ratio autem horum est: 1^o quia verba legis sunt generalia: *in materia commercii*; nec constat qualis sit sensus genuinus illorum verborum; 2^o quia expedit commercio ut ita lex intelligatur: sic enim multo facilius mercatores pecuniam reperiunt cum majori sua et commercii utilitate, etc. — Sed, aiunt merito, non ideo posse quemlibet non mercatorem etiam ab alio non mercatore 6 exigere, sub prætextu quod mercatori mutuare potuisset, quia nullo modo in commercio pecuniam reponit; nec ratione damni emergentis inniti valeret, cum lex unice intendat commercio favere.

871. — QUÆR. 2^o *An vel quatenus requiratur bona fides ad lucrum ex mutuo percipiendum titulo legis civilis?*

Resp. 1^o: *Respectu peccati vitandi*, requiritur bona fides, quæ consistit in bono conscientiæ testimonio, seu in conscientia efformata saltem ex probabilibus et solidis rationibus, vel ex auctoritate theologorum. Hanc

igitur bonam fidem pœnitentibus suis interrogantibus præbere potest ipsemet Confessarius, eos docendo de controversia theologorum non facile dirimenda, necnon de responsis *Sanctæ Sedis*. Hoc constat tum ex natura rei, tum ex ipsis responsis, infra referendis.

Resp. 2^o : Respectu justitiæ, quæstio bonæ fidei est quid mere indifferens. Quemadmodum enim præter causam præscriptionis jus bona fide intrinsece conferri nequit, cum possessor bonæ fidei nullatenus a restitutione eximi possit; ita etiam jus mala fide contrahentis adimi nequit; siquidem mala fides efficere non potest ut contractus, qui in se saltem probabiliter justus est, usurarius evadat. Nec dicas, neminem posse inire possessionem cum mala aut dubia fide, nec possessionem hanc retinere. Nam ubi de contractibus agitur, omnis conventio, quæ certo non est in se injusta, sed *probabiliter* justa, consensu partium *certo* justa evadit. Constat insuper ex responsione *Sancti Officii* ad Episcopum Nicæensem. — *Ita etiam DD. Devie, Episc. Bell.*, in Epistola encyclica de *Mutuo*. — *Gousset, n. 822.*

872. — QUÆR. 3^o *An liceat excedere taxam legalem in mutuo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?*

Resp. 1^o Neg. respectu pauperum vel aliorum qui in necessitate mutuum petunt, et qui auctario majori opprimerentur. Non tamen teneri videris cum magno tuo incommodo ad mutuum eis concedendum.

Resp. 2^o : Si pecunia in utilitatem, non vero in necessitatem alterius tradatur, *controvertitur*, et duplex fertur sententia. *I^a Sententia affirmat* ratione indemnitas seu justæ compensationis. *Ita* inter alios *Kenrich* et *Pagès Lugdunensis*, etsi in materia usuræ notissimus severitatis fama evaserit. — *II^a Sententia neg.* Ratio est, quia compensationes damnorum ex obligatione pecuniaria provenientium exigi tantum possunt juxta taxam legalem. Quæ quidem sententia locum habere potest, si mutuator cogat aut obliget alium ad mutuum a se accipiendum; secus non apparet ratio, cur mutuator emergentis damni detrimentum in gratiam alterius subire debeat.

873. — QUÆR. 4^o *An liceat percipere interesse ex ipso interesse (les intérêts des intérêts)?*

Resp. 1^o Affirm. ex lege civili. Sed requiritur: 1^o ut terminus contractus ab uno saltem anno elapsus fuerit; 2^o ut adfuerit conventio specialis, vel petitio judiciaria. Imo reditus elapsi locationum aut censuum, sive perpetuorum sive vitalitiorum, producant fœnus ab ipso die petitionis vel conventionis.

Resp. 2^o : Affirmandum etiam videtur pro foro interno: si præcesserit conventio, sive explicita sive implicita; quia reditus, elapso termino, summæ capitali adjiciuntur; idem enim omnino est, quod debitori pecuniam meam, quam jam habet ex mutuo, relinquam, vel ei aliam tradam; 2^o si ex dilatione solutionis damnum creditori obveniat. — *Gousset, Cod. Civ. commenté, art. 1154.*

QUÆR. 5^o *An liceat percipere auctarium legale, ubi excedit 5 vel 6 pro 100.*

Resp. Affirm., si lex, perpensis omnibus circumstantiis, videatur justa, id est, appareat æqualitas inter lucrum lege permissum et valorem usus pecuniæ aut pericula sortis, etc. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias, necnon ad pecuniæ

raritatem, ex qua ejus pretium et proinde usus crescit, ut in Africa, in India, etc.

874. — QUÆR. 6^o *Quid dicendum de institutionibus, quæ vulgo dicuntur ARCE PARCIMONIÆ (Caisse d'épargne)?*

Resp.: Non tantum tolerandæ, sed et laudandæ sunt ejusmodi institutiones, quippe quæ subveniunt viduis, famulis, ancillis et pauperibus, dum modica eorum pecunia quodammodo accipitur mutuo, et census ipsis reppenditur.

Resolves.

875. — 1^o Absolvi possunt, imo absolvendi sunt, qui taxam legis civilis non excedunt ratione lucri ex mutuo percepti; cum minime constet eos injustitiæ reos esse, proinde nec ad restitutionem ullam faciendam obligari possunt.

2^o Quamvis igitur unusquisque oppositam opinionem circa lucrum ex mutuo proveniens, ut *probabiliorē speculative* defendere possit; adversam tamen sententiam damnare nequit, ut doctrinæ catholicæ contrariam, nec restitutionem, denegata secus absolute, exigere. Imo qui urgeret pœnitentem ad restitutionem, ipse ad damnum pœnitentis resarciendum adigendus foret; siquidem ex doctrina communiter recepta Confessarius indebitam restitutionem temere præscribens, damnum illatum tenetur reparare. — *Ita expresse et recte Bouvier, de Contr. p. II, c. VIII, art. 4.*

3^o Nec sunt obligandi ad restitutionem illi pœnitentes, qui lucrum acceperunt juxta legem cum mala fide, id est, putantes se tale lucrum percipere non posse; quia ex eo quod peccaverint agendo contra conscientiam, non sequitur eos fuisse injustitiæ reos.

4^o Pœnitentes, ex clausula in plerisque responsis *S. Congregationis* adjecta, semper parati esse debent iudicio S. Sedis se submittere; sed non sunt necessario interrogandi a Confessario de tali dispositione: 1^o quia hoc non exigitur in præfatis responsis; 2^o quia Confessarius præsumere debet, pœnitentem, utpote bonum Catholicum, in tali dispositione versari, nisi de contrario constet. *Ita Bouvier, ibid.* Imo, ait *Kenrich*, hanc conditionem S. Sedes jam consuevit omittere, et addit (*t. I, de Usura, n. 101*): *Quotiescumque conscientia peccati hac in re quis non tenetur, nec male audit apud alios, nec aliquis de injustitia sibi facta queri noscitur, non videtur inquietandus, cum bona fide et communi agendi et sentiendi ratione possit excusari, et alioquin vix speretur fructus ex correptione; nec enim Confessario mores invalescentes reprobanti facile assentiatur.*

876. — 5^o Non est damnandum de injustitia lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam pauperi, qui gravem necessitatem non patitur, quique non temere sperat, se ope istius pecuniæ adeo divitem evasurum, ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit. Nam præceptum mutuandi gratuito tunc non urget, et pecunia etiam tunc utilitatem et suum pretium retinet.

6^o Si nihil lucri debeat percipi ex pecunia pauperi ad sustentationem mutuata, hoc fit, non quia pecunia tunc pretium suum amittit, sed quia mutuans vi præcepti Caritatis tenetur velle pecuniam a se mutuatam applicari ad solam pauperis sustentationem.

7° *Lucrum excedens taxam legis civilis est illicitum et injustum, proindeque restitutioni obnoxium. Excipe, nisi ratio majoris damni emergentis vel lucri cessantis aliud suadeat, ut diximus n. 872. Ita communiter recentiores theologi.*

877. — 8° *A fortiori* duplum exigi nequit lucrum propter alium præter legis civilis titulum, v. gr., si lucrum ex mutuo cessans sit tibi pro quinque, decem exigere non potes ob accedentem legis titulum; quia, juxta omnes, saltem quando lucrum cessans vel damnum emergens non excedit taxam legalem, nihil præter hanc accipi potest, cum hoc evidenter fini et intentioni legis adversetur.

9° Pariter qui mutuo accipit pecuniam juxta taxam legis, non ideo eandem pecuniam alteri remutuando exigere decem potest; quia deficit titulus ad quinque superflua accipienda. Plures tamen permittunt nummulariis (*banquiers*), qui ex statu suo mutuum frequenter accipiunt, ut remutuare valeant exigendo aliquid ultra taxam legis, v. gr., 1 pro 100 ratione laboris, temporis, impensarum, etc.: unde juxta illos possent accipere 7 pro 100; considerantur enim ut mercatores, et ut tales jam 6 pro 100 accipere possunt. Ipsis saltem favet multorum locorum consuetudo. Item non videtur contra legem civilem aut naturalem, *per se*, quod quis mutuo accipiat pecuniam pro 3 vel 4, et eandem remutuet pro 5 in 100.

10° Nihil prorsus exigi potest a pauperibus ex necessitate mutuum petentibus, non obstante legis civilis titulo; et proinde, si quid lucri perceptum fuerit, restituendum est; quippe lex civilis, quæ juris naturalis obligationem perimere nequit, hunc casum comprehendere non censetur, atque adeo nec dominium lucri in mutuatarium transferre. — *V. Casus, n. 890 et seq.*

DECRETUM

S. CONGR. S. OFFICII, DIE 31 AUG. 1830, A S. P. PIO VIII APPROBATUM
SUPER SEQUENTIBUS DUBIIS

878. — 1° « Utrum Confessarius possit, in conscientia, denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis? »

2° « Utrum debeat? »

« Resp. ad utrumque : *Non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subicere; adeoque nihil ob stare eorum absolutioni in Sacramento Pœnitentiæ.* »

Plures alias ejusmodi decisiones sive *S. Pœnit.* sive *S. Officii* prætermittimus, tum quia satis notæ sunt, tum quia eandem omnino doctrinam referunt.

APPENDICULA

DE MONTIBUS PIETATIS

879. — *Mons Pietatis* vocatur pecuniæ aliarumve rerum mutuabilium cumulus ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, quæ sibi sunt necessaria ex eo accipere mutuo possint.

I. Ejus conditiones hæ sunt: 1° quidquid ex eo mutuo datur, ad certum tempus, v. gr., ad annum dari debet, nihil vero ad tempus indeterminatum; 2° pauperibus tantum ex Monte Pietatis mutuum dare licet, nisi adeo abundans sit, ut sine pauperum damno aliis etiam satisfieri possit; 3° mutuatarius debet aliquid supra sortem dare ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administrationem necessarios; 4° debet etiam pignus rei mutuatæ æquivalens tradere, quod, nisi accepta statuto tempore reddat, vendendum est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 756 in fine.*

II. Montes istis conditionibus instituti liciti sunt, nec ullo modo usurarii independenter a quocumque alio titulo ad lucrum. Ratio est, quia etiam independenter a quocumque alio titulo nullam usuræ labem sapiunt; siquidem satisfieri debet expensis Montis et ministris, quorum labor et cura est vere pretio æstimabilis. — *S. Lig., ibid.*

880. — QUÆR. *An Montes Pietatis institui possint a privatis?*

Resp. Affirm. probabilius cum Lessio. Ratio est, quia parvi refert ad rationem usuræ, utrum institutio sit publica an privata, dummodo privatus non amplius accipiat, quam quod necessarium est ad se indemnem servandum.

SECTIO II

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

Nimirum: 1° de venditione et emptione; 2° de societate et trino contractu; 3° de locatione et conductione; 4° de cambio; 5° de censu; 6° de fidejussione, pignore et hypotheca; 7° de assecuratione, sponsione, sortione seu loteria et ludo.

CAPUT I

DE VENDITIONE ET EMPTIONE

Dicetur: 1° de natura venditionis et emptionis; 2° de justo pretio; 3° de præcipuis venditionum et emptionum speciebus.

ARTICULUS I

DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS

881. — Contractus venditionis et emptionis definitur: mutatio pretii cum merce, aut vice versa; vel contractus onerosus dandi determinatum et justum pretium pro merce, aut vice versa. — *Ita Jus utrumque, Romanum et Gallicum.*

Principia.

I. *Ex Jure Romano.* Venditio solo partium consensu perficitur, nisi partes de conficienda scriptura convenient. Dominium autem rei non transit ad emptorem, nisi facta traditione. Imo nec transfertur dominium rei etiam emptori traditæ, donec ab emptore pretium solvatur, vel offeratur,

aut saltem præstetur vel fidejussio, vel fides de illo. Hinc antea emptori jus ad rem tantum, non vero in re competit. — *S. Lig. n. 795 et 796.*

II. *Ex Jure Gallico.* 1° Quælibet venditio solo partium consensu perficitur, absque ulla legali formalitate. Tria igitur requiruntur et sufficiunt, scilicet: res, pretium, et consensus; scriptura, si quæ exigatur, non nisi ad probationem requiritur. Dominium vero statim et ante rei traditionem transfertur, nisi agatur de rebus quæ juxta mensuram venduntur, aut gustari solent; tunc enim venditio perfecta non est, nisi res mensurata aut gustata fuerit. 2° Cum venditio summam 150 fr. excedit, ut in foro externo probari possit, scriptum authenticum vel privatum requirit (*art. 1341*).

Quæsitæ.

882. — QUÆR. 1° *An venditor teneatur rei defectus manifestare?*

Resp. : Distinguendum est; defectus enim sunt: 1° substantiales, vel accidentales tantum; 2° occulti, vel manifesti; 3° insuper vel de iis venditor interrogatur, vel non. Hinc

Dico 1°: Venditor, in omni casu, tenetur manifestare omnia vitia rei substantialia tam in se quam relative ad finem notum emptoris, seu ea omnia quæ rem aliam faciunt, vel eam noxiam, aut notabiliter inutilem reddunt; secus de pretio tenetur. — Ita ex omni Jure.

Dico 2°: Venditor, interrogatus, tenetur omnia vitia occulta manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non reddant; secus enim dolum committeret. Proinde si dolus fuit vera causa emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuerit incidens tantum, ita ut emptor, vitio cognito, etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum quanti minus emisset emptor; quia secus nulla fere venditio fieri posset. — Si autem venditor non sit interrogatus, et vitium occultum non reddat rem inutilem, pro ratione vitii pretium minuere debet. Ratio est, quia aliter res pluris venderetur, quam valeat.

*Dico 3°: Venditor non tenetur per se ostendere vitia rei accidentalialia de se manifesta, modo imminuat pretium pro rata defectus. Ratio est, quia tunc non fit injuria emptori, nec ratione pretii, quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet. Excipe tamen, nisi emptor sit valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum. Excipe etiam, si venditor specialiter interrogetur de tali defectu. — *S. Lig. n. 823.**

883. — QUÆR. 2° *An venditor teneatur de omnibus damnis ex vitio rei venditæ sequentibus?*

Resp. : Non tenetur, nisi de damnis prævisis; quia non potuit suscipere obligationem quoad ea, quæ ne in confuso quidem prævidit, ut constat ex dictis in tract. de Justitia, n. 638.

QUÆR. 3° *Ad quid teneatur venditor quoad rei traditionem?*

Resp. : 1° Rem et accessoria tradere emptori debet loco et modo, de quibus in contractu conventum est; 2° rem tradat statuto tempore, secus emptor rescissionem contractus aut indemnitatem petere potest; 3° tenetur tradere rem vacuum ab alterius possessione et aliis oneribus inconsuetis.

884. — QUÆR. 4^o *Ad quid teneatur venditor, si res pereat ante vel post traditionem?*

Resp. 1^o : Ad nihil tenetur, si res pereat ante traditionem ex casu fortuito. Ratio est, ex *Jure Gallico*, quia res perit domino, id est emptori. *Ita* etiam (nisi aliter conventum fuerit) tenendum est ex *Jure Romano*, licet venditor servet rei dominium donec tradita fuerit; quia res, quæ nondum est emptoris, ipsi tamen est obligata, et servatur tradenda. — *S. Lig. n. 828.*

Resp. 2^o Si res pereat ante traditionem ex culpa venditoris, tenetur de pretio et sumptibus contractus, quia rem ut suam custodire debebat.

Resp. 3^o : Si res pereat post traditionem ex vitio intrinseco, quod tempore traditionis existebat, tenetur pariter restituere emptori pretium acceptum, et solvere expensas contractus, si quæ sint. Ratio est, quia vendidit rem inutilem, seu nullius valoris: ergo adfuit in emptore error circa substantiam contractus; ergo contractus nullus est defectu consensus et ipsius materiæ, quæ nullo pretio erat æstimabilis.

885. — QUÆR. 5^o *Quænam sint obligationes speciales emptoris, seu ad quid teneatur ratione pretii, ejus fœnoris, vel expensarum?*

Resp. 1^o Tenetur solvere pretium loco, tempore et modo determinato in contractu, secus venditor potest contractus rescissionem petere, vel, si mavult, ad solutionem pretii cogere.

Resp. 2^o : Tenetur solvere fœnus pro pretio non soluto a die quo rem possidet, si res sit frugifera, licet per accidens nullos fructus dederit a tempore venditionis, nisi venditor dilationem ad solvendum emptori dederit; quia non est æquum, ut emptor simul rem et pretium habeat. Si vero res non sit fructifera, non tenetur ad fœnus solvendum, nisi in mora culpabili fuerit, nec aliter conventum sit.

Resp. 3^o : Tenetur solvere expensas factas pro asportatione rei venditæ, pro scripturis aut actibus authenticis; item pro sumptibus necessariis ad rei conservationem a die venditionis, nisi alio modo pactum fuerit.

886. — QUÆR. 6^o *An valeat emptio rei mobilis alteri venditæ, sed nondum ipsi traditæ?*

Resp. 1^o Affirm., si res secundo emptori tradatur, modo hic bonæ fidei fuerit. *Ita ex omni Jure.* Sed tunc venditor tenetur de damnis, si quæ sint priori domino illata. — *S. Lig. n. 827.*

Resp. 2^o Neg., si emptor fuerit malæ fidei, vel si res non adhuc tradita sit secundo emptori. Ratio patet ex ipsis legis terminis, ex qua secundus emptor bonæ fidei non potest prævalere priori, nisi ratione possessionis. — *S. Lig., ibid. — Cod. civ. 1141.*

887. — QUÆR. 7^o *Quam vim arrhæ venditioni addant?*

Resp. 1^o : Si apponantur promissioni venditionis tantum, non confirmant contractum, sed unusquisque e contrahentibus resilire potest. Verum, in hoc casu, si resiliat is qui arrhas alteri tradidit, eas simpliciter amittit; contra si resiliat is qui eas accepit, duplum restituere debet, id est arrhas acceptas, et insuper valorem illis æqualem.

Resp. 2^o : Si apponantur ipsimet venditioni, non faciunt eam conditionalem, sed argumentum sunt venditionis contractæ; pro parte enim pretii computantur, vel in securitatem solutionis dantur: unde nullus ex contra-

hentibus, altero invito, resilire potest. In dubio autem an promissioni contractus, vel ipsimet contractui adjectæ fuerint, pro minimo standum est, seu soli promissioni venditionis adjectæ censentur. *Ex Jure Gallico* promissio venditionis non distinguitur ab ipsa venditione.

QUÆR. 8^o *An et quomodo vendi possint jura incorporea certa, vel incerta, seu litigiosa?*

Resp. ad 1^{um} : Jura *incorporea*, ut chirographa, credita, ususfructus, jus ad hæreditatem apertam, si *certa sint*, vendi vel quocumque alio titulo ad alium transmitti possunt, sicut cætera jura. Eorum autem traditio fit remittendo chirographa, aut alia scripta authentica.

Resp. ad 2^{um} Jura *litigiosa*, seu circa quæ lites moventur, pariter vendi possunt pro rata probabilitatis fortunæ secundæ. — *Ita omnes.*

888. — QUÆR. 9^o *Quandonam venditor teneatur de evictione rei?*

Resp. 1^o : Tenetur de *evictione*, quoties emptor juridice deturbatur a possessione rei emptæ. Excipe nisi aliter in contractu conventum fuerit. Ratio est, quia venditor dominium rei transferre nequit (1626).

Resp. 2^o : Tenetur etiam ad pretium emptori refundendum, quando deprehenditur rem venditam pertinere certo ad tertium hic et nunc reclamantem : eadem autem est ratio; venditor enim non potuit transferre rei dominium quod ipse non habebat. Verum ad hoc non tenetur in conscientia ante sententiam judicis, nisi omnino certo ipsi constet rem revera esse illius tertii; nec tenetur fidem facile præbere aliis ita esse asserentibus, cum præsumptio ipsi faveat, nec aliunde sententia judicis intervenerit. — *Recole dicta de evictione in tract. de Just., n. 638.*

ARTICULUS II

DE JUSTO PRETIO

889. — Duplex est : 1^o *legale*, quod a lege determinatur; 2^o *naturale* seu *vulgare*, quod valori rei respondet juxta communem hominum æstimationem.

Pretium autem naturale est : 1^o *summum*, supra quod res æstimari non solet; 2^o *infimum*, infra quod res generatim non æstimatur; 3^o *medium*, quod inter utrumque interponitur.

Principia.

890. — I. Pretium *legale*, seu auctoritate civili constitutum, habendum est ut adæquatum valori rei, et ideo servandum est sub onere restitutionis. Ratio est, quia ad auctoritatem civilem pertinet statuere quidquid ad commercium publicum attinet, cum leges pro bono communi condere possit. — *Ita omnes.*

Aliquando tamen licet a pretio legali recedere, scilicet : 1^o si a majore hominum parte non servetur, Principe tacente; 2^o si mutatis circumstantiis taxa evadat injusta; 3^o si merces sint notabiliter solito pretiosiores, vel deteriores.

II. Deficiente pretio legali, illud solum habendum est ut justum, quod tale determinatur æstimatione communi, si agatur de merce quæ apud mul-

titudinem appretiationem habeat; quia pretium adæquatum ejusmodi rerum ex ipsarummet utilitate ad communes usus deducitur. Porro appretiatio talis utilitatis nequit melius haberi, quam per communem æstimationem. — *Ita omnes.*

Si vero res vulgarem æstimationem non habeant, ut sunt gemmæ, tabellæ pretiosæ, etc., *probabilius* æstimandæ sunt juxta judicium peritorum in ea materia, attentis circumstantiis, spectata rei novitate, antiquitate, raritate, etc. Ratio est, quia ipsi in rebus ejusmodi reputantur judices idonei prout vulgus in vulgaribus. Opposita tamen sententiâ ut *probabilis* apparet, quia in eo casu justum videtur pretium, de quo contrahentes conveniunt. Sic quoad utramque sententiam *S. Ligor., n. 807.* — In praxi non sunt inquietandi illi, qui bona fide et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt. — *Ita Salmant. — Gousset, n. 842. A fortiori* justum reputandum est illud pretium, de quo pars utraque convenit, si pretium prorsus ignoretur, quia utraque tunc periculo exponitur. — *S. Lig. n. 802, in fine.*

Quæsitæ.

891. — QUÆR. 1^o *An venditor rem carius vendere possit ob specialem affectum quem erga eam experitur, vel commoditatem quam ex ea percipit?*

Resp. ad 1^{am} : Affirm. Ratio est, quia affectus domini ad rem suam est vere pretio æstimabilis, cum privatio rei sit pro ipso major. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 807.*

Resp. ad 2^{am} Affirm., etiam a fortiori; siquidem privatio specialis commodi reddit rem multo pretiosorem venditori, et æquum est, ut pretium augeat ratione majoris jacturæ quam patitur. — *S. Thomas, 2. 2., q. 77, art. 1. et seq., et alii communissime.*

892. — QUÆR. 2^o *An venditor rem possit carius vendere ob affectum vel utilitatem specialem emptoris?*

Resp. : Negant communiter theologi, quia major utilitas vel affectus non est venditoris, et proinde ab ipso vendi nequit, alioquin venderet quod suum non est. — *Ita S. Thomas. q. 77, art. 1 : Si aliquis multum juvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendidit non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis: nullus autem debet vendere quod suum non est.* — *Consonat S. Lig. n. 806, et Carrière. n. 692.*

Affirmant tamen quidam, eo quod venditor emptori illud commodum procuret; sed hæc ratio prorsus debilis videtur, ut ex doctrina *S. Thomæ* evidenter patet.

893. — QUÆR. 3^o *An liceat vilius emere in gratiam venditoris emptorem quæritantis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia res ultroneæ vilescunt, et pretium rei decrescit, quando res est parum utilis emptori, et hic in gratiam venditoris emit. — *Ita communiter cum S. Lig., n. 802.*

QUÆR. 4^o *An etiam liceat vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem?*

Resp. Affirm. probabiliter. Ratio est, quia res ultronea juxta communem

æstimationem pretio decrescit. Inopia autem venditoris non efficit ut communis æstimatio mutetur. Negant tamen alii *probabiliter*.

894. — QUÆR. 5° *An liceat carius vendere ob dilationem solutionis pretii, aut vilius emere ob anticipatam solutionem?*

Resp. Affirm., saltem nunc *probabiliter*, modo non excedatur taxa legalis pro mutuo, aut ratio justi tituli. Ratio patet ex dictis supra de usura, n. 863 et seq.

QUÆR. 6° *An etiam chirographa et credita possint vilius emi ob anticipatam solutionem?*

Resp. 1° Affirm. omnino, si sint incertæ vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt.

Resp. 2° Affirm. probabiliter, etiamsi sint certæ et facilis solutionis. Ratio est : 1° quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo censetur justum pretium illud, quod communiter pro talibus chirographis solvitur. — *Ita S. Lig. n. 829*, etc.; 2° quia æquivalent pecuniæ mutuatae; proinde ex eadem ratione ac in mutuo licet percipere lucrum moderatum, juxta taxam legalem. — *Ita nunc praxis communis*.

895. — QUÆR. 7° *An possit quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilis in se, si propter circumstantiam sibi specialem soluta fiant facilia?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re quæ venditur, sed ab ipso emptore; valor autem alicujus rei a communi æstimatione, non vero a circumstantia particulari ementis determinatur. — *S. Lig., n. 829*.

QUÆR. 8° *An possis pretio currente vendere rem, quam scis mox minoris valuturam?*

Resp. Affirm. probabilius et verius. Ratio est, quia pretium præsens est justum et nondum immutatum, modo tamen scientia hæc sit privata; si enim communis esset, jam pretium mutaretur. Aliquando tamen peccare potes contra Caritatem. — *S. Thomas*. — *S. Lig. n. 824; Hom. apost. n. 188*.

896. — QUÆR. 9° *An possis pretio currente vendere rem mixtam cum alia viliori?*

Resp. : Distinguendum est, scilicet : 1° si commixtio sit noxia vel reddat rem *notabiliter* deteriore aut minus utilem, peccas contra justitiam, ut patet; 2° si res tua sit extraordinariæ bonitatis, potes probabiliter illam cum viliori mixtam pretio communi vendere; 3° si materiam viliori ita per industriam meliori admisceas, ut melius temperetur, potes vendere eam consueto pretio. At in praxi hoc non est facile permittendum ob hallucinationis periculum. — *S. Lig. n. 820-823*.

897. — QUÆR. 10° *An teneantur ad restitutionem mercatores, qui fraude vel mendacio inducunt emptores ad merces suas emendas majori pretio quam emissent, licet summum pretium non excedant?*

Resp. 1° Quoad fraudem, *affirm.* Ratio est, quia fraus est causa efficax et injusta damni quod emptor palitur: unusquisque autem jus habet strictum, ut fraude vel dolo non inducatur ad damnum quodpiam patiendum. Ergo...

Resp. 2° : Quoad mendacium, *per se* idem dicendum foret, cum etiam illud sit de se causa injusta damni. Attamen ordinarie mendacia vel etia

perjuria, quibus mercatores affirmant merces tanti sibi valuisse, vel tale pretium sibi oblatum fuisse, habenda non sunt ut fraudes realiter damnificativæ; ratio est, quia hæc adeo inter illos sunt frequentia, ut eis fidem fere nemo adhibeat. Excipiendum tamen est, si quando ob specialem fiduciam in venditorem mendacium censi debet causa contractus. — *S. Lig. n. 805.* — *Lacroix, n. 956.* — *Reuter, n. 223.*

898. — QUÆR. 11° *An vel quomodo peccent mercatores qui, interrogati de pretio mercium, illud notabiliter exaggerant?*

Resp. 1° : Si revera intendant hoc pretio vendere, peccant contra justitiam inique alienum appetendo; et ad restitutionem tenentur, si de facto pretium illud ipsis solvatur.

Resp. 2° : Si vero intendant tantum dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad justum pretium deveniant, excusantur, quia notum est et consuetum, mercatores ita loqui, ut emptores ad justum pretium perducant.

QUÆR. 12° *An peccent contra justitiam, qui rem venditam infimo pretio, ante traditionem imminuunt vel adulterant?*

Resp. Affirm., quia agunt contra pactum cum emptore initum. Quamvis enim liceat summo pretio vendere, non licet tamen mercatori, qui infimo vel mediocri pretio vendat, occulte sibi comparare pretium mediocre vel summum, imminuendo qualitatem mercis, aut de mensura vel de pondere detrahendo; secus inutiles prorsus forent conventiones.

899. — QUÆR. 13° *An peccent contra justitiam mercatores Europæi, qui maximo pretio vendunt apud Indos cultellos, specula, et alia ejusmodi, quæ apud nos vilioris pretii habentur?*

Resp. Neg., quia hæc licet viliora sint in nostris regionibus, communiter tamen magni æstimantur ab Indis vel Sinensibus, etc.; pretium autem vulgare ex communi æstimatione hominum regionis determinatur. Ergo... — *Carrière, n. 699.*

900. — QUÆR. 14° *An peccent contra justitiam, qui vili pretio emunt res pretiosas, quando venales exponuntur apud veteramentarios?*

Resp. Neg., quia res illæ censentur amisisse pretium antiquum et aliud accipere consuetudine, seu contrahentium conventionem. Unde res ejusmodi ratione pretii maximam recipiunt latitudinem. — *S. Lig. n. 807.* — Sic aliquando emuntur paucis assibus libri, qui quinque vel decem francis vendi potuissent. Idem dicendum de emptione mobilium veterum, quæ dicuntur gallice *de rencontre*, quia hæc minoris valoris communiter habentur. — *Carrière, n. 695, 699.*

Resolves.

901. — 1° Mercatores, qui minutatim vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui vendunt in magna quantitate; quia debent majores labores et expensas, majusque tempus impendere ad eas conservandas, atque emptoribus distribuendas... Sic ab injustitia excusantur caupones, stabularii, etc., qui avenam, fœnum, paleas et alia carius vendunt. — *S. Lig. n. 809.*

2° Potest etiam carius vendi, si pretium ab emptore sit tradendum tem-

pore quo res sit pluris valitura. Sic pariter potest vilius emi, si res tradenda sit tempore quo minus valebit.

3° Si venditor et emptor ignorent pretium rei, et de certo pretio contrahant, valet contractus, modo uterque ex æquo et bono procedat; quia si uterque pretium justum ignoret, uterque æquali periculo damni se exponit, et voluntarie de jure suo cedit.

4° Res ultra justum pretium non ideo vendi potest, quod venditor eam ex sua ignorantia vel imprudentia aut etiam ex casu fortuito majori pretio emerit, vel subierit majores sumptus, quam vulgo alii solvant aut subeant. Ratio est, quia pretia rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc quod uni vel alteri accidit, sed ex eo quod communiter contingit. Neque ex eo quod aliquis privatus mercator fuerit furtum passus vel naufragium, in æstimatione vulgi adaugeri solet pretium rerum: sicut neque crescere solet pretium frumenti, eo quod unus vel alter rusticus fatali grandine fructus agrorum suorum perdiderit. — Secus autem dicendum foret, si multi mercatores in naufragio suas merces perdidissent, quia merces rariores factæ eo ipso pretio crescerent. — *Elbel, n. 587.*

902. — 5° Non probanda est praxis mercatorum vel artificum qui, ut ad suam officinam plures attrahant, solent munera dare ancillis, famulis, filiisfamilias, etc.; postea vero hujusmodi expensas tacite compensare nituntur adaugendo pretium rerum ultra justitiam. Sic enim secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes injuste refundendas. — *Elbel, n. 583.* — Secus vero si cum ipsis justum pretium servant.

6° Pariter reprobanda est praxis eorum mercatorum, qui merces suas vilissimo pretio venales exponunt, ut emptores ad se attrahant; deinde vero pondus aut mensuram corrumpunt, etc. Ratio est, quia sic emptores decipiuntur injuste. *Elbel, n. 523.* — *Lugo, d. xxvi, sect. 8, etc.*

7° A fortiori reprobanda est praxis eorum qui res alienas, bona fide emptas, domino comparenti restituere nolunt, nisi prius pretium pro iisdem expensum refuderit. — *Elbel, n. 691.* Excipe tamen quoad Galliam, nisi res in foro publico vel a mercatore talia vendente empta fuerit (*art. 2280*). — *Vide supra, n. 644.*

8° Generatim in restitutione facienda ob læsionem justii præteritii hæc sunt tenenda: 1° si de venditore agatur, excessus injustus computandus est a summo pretio, quia hoc pretio vendere potuit; unde emptor non fuit læsus, nisi in eo quod pretium supremum superat, 2° si vero de emptore agatur, defectus pretii computandus est a pretio infimo, quia potuit emere tali pretio; unde venditor tantum læsus fuit in eo quod est infra hoc pretium. Dixi generatim; quia si lucrum fraude obtentum fuerit, esset restituendum, etiamsi pretium summum non excederet, vel infimum attingeret, juxta dicta supra, n. 897. — *V. Casus, a n. 900 ad n. 944.*

ARTICULUS III

DE PRÆCIPUIS VENDITIONUM SPECIEBUS

Scilicet: 1° de retrovenditione; 2° de venditione sub hasta, seu per licitationem; 3° de monopolio; 4° de venditione per proxenetas.

§ I. De retrovenditione et mohatra.

903. — *Retrovenditio* est contractus quo venditor sibi reservat jus rem suam redimendi, sub conditione quod sumptus, meliorationem, vel similia resarciat.

Mohatra est species retrovenditionis, seu contractus quo quis rem majori pretio credito vendit, cum pacto ut emptor ipsi minori pretio, numerata pecunia, retrovendat. — *Vide infra Quær.* 3^o.

Dico I: Licitus omnino est contractus retrovenditionis. Illud constat ex Scriptura sacra, quæ testatur tale pactum fuisse Judæis impositum (*Lev. xxv, 24*). — Deinde nihil habet, quod juri naturali contradicat: dummodo enim vera emptio fiat, nec usura palliata intercedat, liberum est venditori de re sua, prout vult, disponere: nec injuriam ullam emptori infert, cum hic libere de retrovenditione conveniat, nec aliunde damnum in hoc patiatur, *S. Ligor., n. 812, et alii omnes.*

Dico II: *Conditiones ad hoc requisitæ sunt:* 1^a ut pretium minuatur juxta æstimationem gravaminis quod emptori imponitur; 2^a ut non sit pactum de retrovenditione pretio majori vel minori facienda: licitum est pactum ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur; 3^a ne pacto exigatur, ut periculum rei venditæ cedat in damnum venditoris, cum illud *per se* ad emptorem spectet; nisi tamen pretium juxta æstimationem periculi augeatur; 4^a ut res retrovendatur sicut traditur, vacua vel cum fructibus; adde *ex Jure Gallico*, ut non fiat ultra quinquennium. — *Cod. civ., 1660.*

Quæsitæ.

904. — QUÆR. 1^o *Quanto descrescere debeat pretium in retrovenditionis contractu?*

Resp.: Regula præcisa determinari non potest, sed decisio plerumque a variis circumstantiis pendet; hinc auctores in hoc dissentiunt; alii enim dicunt pretium decrescere usque ad quartam partem, alii usque ad tertiam, alii melius ad arbitrium prudentum. — *Vide S. Lig., n. 812.*

905. — QUÆR. 2^o *An sit licitum pactum rem redimendi ad arbitrium emptoris?*

Resp. Affirm. probabilius, dummodo adsit verus animus emendi et vendendi, emptorque majus pretium solvat juxta oneris istius æstimationem, et non obligetur venditor redimere pretio majori quam receipt. — *S. Lig., ibid. — Lugo, d. xxvi, n. 200.*

906. — QUÆR. 3^o *Quid sentiendum sit de mohatra?*

Resp.: Est contractus *per se* usurarius, adeoque illicitus et injustus. Hinc ab Innocentio XI proscriptus est in damnatione *prop. 40^a*, quæ sic jacet: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Ratio autem damnationis est, quia in eo contractu usura palliata latet; si vero res sine ullo prævio pacto retrovendatur etiam pretio infimo eidem venditori, non est, *per se*, illicitum.

Non est tamen damnandus ille contractus, si lucrum inde perceptum

taxam legalem pro mutuo non excedat, quia tunc in legitimum mutuum recideret. — *V. Casus, n. 945.*

Occurrit recens quaedam mercatoria operatio, quæ ad retrovenditionem refertur; dicitur *relatio* (*report*). Consistit imprimis in vendendis pretio currenti (*au comptant*) titulis (*titres, valeurs*) quibuscumque, qui in foro argentario (*la bourse*) veneunt, iisdemque statim redimendis ad terminum (*à terme*) altiori ac determinato pretio. Cum igitur prior venditio fictitia sit, utpote conjuncta cum retrovenditione, tota hæc operatio videtur revocanda ad contractum mutui, cujus auctarium supra sortem sit ipsemet excessus altioris ac determinati pretii *ad terminum* solvendi, supra venditionis *au comptant* pretium. Proinde hæc retrovenditionis species *per se* damnanda non videtur, dummodo prædictus excessus non superet taxam legalem. Facile tamen usuræ labem incurreret, atque *mohatram* redoleret, nisi his justis constringeretur limitibus. — *Ita probabilius.* Sunt tamen qui non improbabiler hos limites magis relaxant. — *V. Casus, n. 947.*

§ II. De venditione sub hasta, seu per licitationem.

907. — Venditio *sub hasta* est ea quæ fit per præconem, et in qua ultimæ licitationi res adscribitur.

Licita est, sive fiat, consentiente sive invito domino, seu per auctoritatem publicam, sive infra infimum pretium ematur, aut supra summum vendatur: quia potestas publica approbat ut justum pretium publice constitutum ex emptorum concursu. Hinc si emptores concurrant, res fit æstimabilior; si non concurrant, vilior habetur. — *S. Lig. n. 808 (Cod. civ., art. 1686).*

Quæsitæ.

908. — QUÆR. 1^o *An venditor possit rem suam retrahere, incepta licitatione, si minus pretium offeratur?*

Resp. Neg. per se. Ratio est, quia emptores publice convocati ad auctionem, acquirunt quoddam jus ad rem venalem, quatenus fit stipulatio tacita ut cedat plus offerenti. Attamen videtur temperandus hujus doctrinæ rigor, ubi forte vigeat contraria consuetudo, vi cujus contrahentes in hoc consentiant. Durum enim videtur damnare injustitiæ praxim universalem, quam docti et etiam pii absque ullo scrupulo tenent. — *Ita Billuart, etc.*

QUÆR. 2^o *An possit venditor mittere fictos licitatores, ut pretium rei crescat?*

Resp. : Negandum videtur. Ratio est, quia hoc apparet nimis fraudulentum ut excusari possit, cum tendat ad decipiendos emptores sinceros, atque adeo iis injuriam inferat, dum causa sunt ut pretium crescat ex fraude, non vero ex concursu naturali rerum, ex emptorum scilicet libero concursu. — *S. Lig., n. 808; Hom. apost., n. 175.*

909. — QUÆR. 3^o *An ille, cujus bona venduntur in gratiam creditorum, mittere possit amicos ad ea suo nomine emenda?*

Resp. 1^o Affirm. saltem attento usu communi, si licitatio sit voluntaria, quia hoc sequi videtur ex eo quod venditor possit rem suam retrahere.

Resp. 2^o affirm. a fortiori si licitatio sit coacta, seu si fiat auctoritate

publica; nam ille, cujus bona venduntur, deterioris conditionis esse non debet. Aliunde ipse non est proprie vendens, cum venditio ipso invito fiat. Ergo...

910. — QUÆR. 4^o *An emptor possit pactum facere cum aliis, ne licitent, aut ne plus offerant?*

Resp. Neg. saltem in casu coactæ subhastationis. Ratio est, quia venditor jus habet, ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum. *S. Lig. n. 808.* — Contrarium tamen sentire videtur *Card. de Lugo, d. xxvi, n. 175*, cum Diana et aliis, quoad reatum saltem injustitiæ; nam tales contra Caritatem peccare, fatetur esse communem Doctorum sententiam.

Excipiunt tamen plures, si emptores sint societate conjuncti, vel quasi conjuncti, ut fratres, amici, etc., quia faciunt quasi unam personam moralem, nec potest exigi ut adversum se licitent. Excipiunt etiam probabiliter alii, si vigeat usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur: quia, si ipse potest impedire ne pretium sit nimis exiguum, æquitas etiam postulat ut non conqueratur, si emptores convenient de pretio non nimis augendo. — *Bouvier, etc.*

911. — QUÆR. 5^o *An emptor rogare possit alios, ne licitent?*

Resp. Affirm., quia in hoc non violatur venditoris jus, siquidem libertas licitandi non tollitur, et emptor sua utitur diligentia, ut sibi consulat. Attamen preces importunæ esse non debent. — *Vide S. Lig., ibid.* — *V. Casus, n. 951 et seq.*

§ III. — De monopolio.

912. — *Monopolium* est potestas vendendi penes unum aut paucos tantum existens; vel est agendi ratio, qua unus vel plures efficiunt ut ipsi soli aliquid vendant aut emant. Aliud est *legale*, quod auctoritate publica ex rationabili causa conceditur; aliud *privatum*, quod opera unius aut plurium mercatorum exercetur.

Dico I: *Monopolium legale* licitum est, modo cum justo pretio fiat. Ratio est, quia ob justam boni publici causam Princeps illud ceu privilegium, vel ad tributum a mercatoribus exigendum, concedere potest.

Dico II: *Monopolium privatum* illicitum est in sequentibus casibus: 1^o si mercator impediatur fraude vel mendacio ne aliæ merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum communi detrimento; 2^o si unus vel pauci merces omnes emant, ut deinde illas carius vendant; 3^o si opifices vel artifices convenient ut non doceant artem suam, nisi pretio injusto, vel ut nullus perficiat opus ab aliis inceptum. — *S. Lig. n. 815.*

Quæsitæ.

913. — QUÆR. 1^o *An peccent contra justitiam et Caritatem mercatores qui conspirant, ne merces suas vendant nisi summo, licet justo pretio?*

Resp. 1^o Quoad justitiam, duplex est sententia probabilis.

I^a Sententia affirmat, quia hujusmodi mercatores per medium injustum alios pretio supremo emere cogunt. — *Laymann, etc.*

II^a Sententia probabilior negat, quia si alii coguntur ad emendum pretio

summo, non coguntur a venditoribus, sed sua necessitate, quæ vera coactio ex parte venditorum dici nequit. Pretium tamen summum debet intelligi, quod esset absque monopolio, non quod e monopolio nascitur. — *S. Lig. n. 817. — Lugo, n. 173, etc.*

Resp. 2°: Quoad Caritatem, affirm., quia licet Caritate non obligeris ad vendendum infra pretium summum, videris tamen obligari ad non dissuadendum aliis ne minori pretio vendant. Ita licet Caritate non tenearis ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen alios dissuadere, si qui eam largiri volunt: ergo a pari... — *S. Lig., ibid.*

914. — *QUÆR. 2° An peccent contra justitiam vel contra Caritatem mercatores qui, tempore messis aut vindemiæ, omne triticum vel vinum regionis pretio vili tunc corrente emunt, ut postea carius vendant?*

Resp. 1° Neg. probabilius, ut videtur, quoad justitiam, modo non vendant supra pretium summum quod secluso monopolio curreret. Ratio, quia nullius jus violant. — *Ita Lugo. — S. Lig. n. 816.*

Resp. 2° Neg. etiam probabiliter quoad Caritatem, modo alios ad carius vendendum non inducant, nec ipsi vendant supra pretium summum quod præciso monopolio locum haberet, quia jure suo utuntur; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum evitet, cum illud avertere non obligetur. — *Lugo. — Lessius, etc., contra alios.*

QUÆR. 3° An facto semel monopolio cum pretio injusto ab aliquibus mercatoribus, liceat aliis merces eodem pretio vendere?

Resp. Neg., quia pretium ex injustitia auctum semper manet injustum, nec æstimatio communis dici debet, sed fraus et deceptio. — *Ita communiter cum S. Lig., n. 817. — Vide Casus, 958 et seq.*

§ IV. — De venditione per proxenetas.

Venditio per proxenetas ea est, quæ non fit immediate ab eo ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione, et hi proxenetæ dicuntur. Proxenetæ autem possunt esse vel tantum amici, vel speciali mercede ad hoc conducti, vel ad diversa opera pretio annuo locati.

Quæsitæ.

915. — *QUÆR. 1° An proxeneta, qui vendit supra, aut emit infra pretium sibi designatum, possit excessum pretii retinere?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, quia nullum habet titulum aliquid retinendi. Etenim: 1° non ratione rei; quia illius non est, sed domini; 2° nec ratione laboris et industriæ saltem stricto justitiæ titulo debitiæ, quia si stipendio sit conductus, ad nihil aliud jus habet; si vero industriam gratuito præstet, jam mercedi renuntiavit. — *S. Lig. n. 825, et alii communiter.*

Excipe: 1° si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali, rem meliorem fecerit; 2° si dominus expresse aut æquivalenter declaraverit se nihil ultra pretium determinatum exigere; tunc enim excessus retineri potest; 3° si dominus agendi rationem proxenetæ noverit et ratam habeat. — *Sic communiter theologi.*

916. — QUÆR. 2^o *An possit proxeneta rem, pretio sibi determinato vendendam, pro seipso emere, et postea eandem rem tanquam suam majori pretio vendere?*

Resp. Affirm., positis duabus conditionibus, scilicet: 1^o ut adhibita morali diligentia emptorem non inveniatur, qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; 2^o ut rem sibi non fecte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim æquitas non servatur. — *Ita communiter.*

QUÆR. 3^o *An proxeneta possit sibi retinere ea quæ vendens solo ejus intuitu gratis donat?*

Resp. Affirm., si constet de vera donatione: quia mercator *absolute loquendo* aliquid cedere potest de lucro suo alicui proxenetæ, ut eum ad officinam suam adducat; sed ad hoc requiritur, ut sit revera dispositus ad vendendum alteri cuilibet pretio superiori, et reapse sic ordinarie vendat. Confessarius autem non facile fidem adhibere debet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus. — *S. Lig. n. 825; Hom. apost., num. 189.*

CAPUT II

DE SOCIETATE ET TRINO CONTRACTU

ARTICULUS I

DE SOCIETATE

917. — Contractus societatis est conventio de re aliqua in communi possidenda ad commune bonum, aut lucrum pro rata parte percipiendum.

Dico I: Omnis societas fieri debet de re licita et honesta, necnon ad commune bonum contrahentium. Singuli autem socii in societatem afferre debent pecuniam, aut merces, aut industriam, vel operam. — *Ita ex omni Jure.*

Dico II: Contractus societatis est modus legitimus negotiationem faciendi. Constat: 1^o ex legibus civilibus omnium nationum; 2^o ex usu universali omnium populorum; 3^o ex jure naturali: non enim minus licitum est pluribus conjunctim quam singulis ex suis rebus lucrum facere, modo debita æqualitas servetur.

Dico III: Conditiones requisitæ sunt: 1^o ut sit æqualitas, id est, divisio lucri pro rata rei collatæ; 2^o ut ad certum tempus incatur societas, et ante non liceat suum repetere; 3^o ut periculum sortis spectet ad dominum, nisi aliter pactum initum fuerit; 4^o ut quisque subeat onus damnorum et expensarum quæ intuitu societatis adveniunt; 5^o ut quisque diligentiam eandem adhibeat in societate, ac in negotiatione privata. — *S. Lig. n. 905.*

Quæsitæ.

918. — QUÆR. 1^o *Quomodo solvatur societas?*

Resp.: Contractus societatis solvitur: 1^o lapsu temporis ad quod factus est; 2^o interitu rei, vel fine negotiationis; 3^o morte naturali vel civili unius

e sociis; 4^o interdictione alterutrius socii, vel decoctione seu bonorum subversione; 5^o impossibilitate rem promissam præstandi.

QUÆR. 2^o *Quid, si quis invito socio ante tempus e societate recedat?*

Resp. : Tenetur damnum compensare, nempe solvere lucrum cessans pecuniæ ab ipso præstandæ, aut reddere lucra industriæ suæ. — *V. Casus, n. 981 et seq.*

ARTICULUS II

DE TRINO CONTRACTU

919. — Contractus trinus est, quo quis pecuniam conferens pascitur cum alio socio, ut, quidquid eveniat, summa integra sibi restituatur cum lucro certo, minore tamen eo lucro quod sperare probabiliter poterat; vel est contractus societatis, cui adjunguntur duo alii contractus, nempe assecurationis sortis et assecurationis lucri, seu venditionis spei lucri majoris percipiendi pro minore lucro certo et assecurato. Sic autem instituitur: Contraho, v. gr., cum *Petro*, pecuniæ summam ei tribuendo ad negotiandum. Sed cum spes lucrandi 15 pro 100 mihi affulgeat, et timeam ex alia parte, ne sortem amittam, in eo secundum contractum cum *Petro*, ei 5 pro 100 erogando, si assecurationem sortis in se suscipere velit. Inito hoc secundo contractu, jam 10 tantum pro 100 mihi lucrandi supersunt. Verum lucrum adhuc minus at certum malle, quam majus et incertum. Igitur propono socio meo, ut mihi 5 tantum pro 100 tribuat, sed certo refundat, quidquid superventurum sit. Hinc triplex datur contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri.

QUÆR. *An trinus contractus sit licitus?*

Resp. : Duplex est sententia *probabilis* inter theologos.

I^a Sententia neg. Ratio est: 1^o quia sic destruitur societas, cujus natura est, ut pericula sint communia; ergo est verum mutuum; ergo deficit titulus seu fundamentum lucri percipiendi, saltem supra taxam legis pro mutuo; 2^o quia, aiunt, opposita doctrina a *Sixto V* reprobata est per Bullam *Detestabilis*, anno 1586. — *Collet.* — *Habert*, etc.

II^a Sententia communiter affirmat (modo pecunia in negotiatione impendatur). Ratio est: 1^o quia hi singuli contractus separatim et cum diversis personis sunt de se liciti et justii; ergo etiam si fiant simul et cum eodem; 2^o quia nihil est contra æqualitatem: nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam æquivalenter sustinetur; 3^o quia *Benedictus XIV* declarat, in opere *de Synod. diæces.*, lib. X, c. vii, posse defendi opinionem quæ asserit contractum trinum a *Sixto V* non esse damnatum. Et in *Encyclica Vix pervenit* dicit, se nolle damnare contractus de quibus inter theologos disputatur. — *Vide S. Lig. n. 908.*

CAPUT III

DE LOCATIONE

920. — Locatio est contractus quo usus, vel fructus rei, aut personæ opera pro certa mercede ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur.

Qui rem tradit in usum vel utilitatem alterius, dicitur *locator*: alter *locatarius* seu *conductor* nuncupatur. Porro variæ numerantur locationis species: 1° locatio ædificiorum; 2° agrorum; 3° animalium; 4° laboris et famulatus. — *Cod. civ. Gall., art. 1711.*

Ad contractum locationis aliquatenus accedunt emphyteusis et feudum. *Emphyteusis* est contractus quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, vel in perpetuum, vel saltem ad 10 annos cum onere solvendi pensionem annuam domino directo. *Feudum* vero est contractus emphyteusi similis, seu traditio rei immobilis ad dominium utile, cum onere exhibendi domino directo obsequium seu fidelitatem. Differunt tamen emphyteusis et feudum a locatione, quia nequeunt constitui nisi in re immobili, nec ad brevius tempus quam ad decennium.

I. — *Regulæ locationis generales.*

Principia.

921. — 1° Locatio fieri potest scripto aut verbo; at si verbo solum fiat, probatio per testes non admittitur in *Jure Gallico*, nisi executio jam incepta fuerit: juramentum tamen a parte negante exigi potest. — 2° Locatarius potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat. — 3° Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad hæredes transit. — 4° Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat juxta locorum consuetudinem, et rei locatæ naturam. — 5° Si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus.

II. — *Obligationes locatoris.*

922. — 1° Tenetur aperire vitia noxia rei locandæ. — 2° Præstare debet ut locatarius tranquille ea fruatur. — 3° Expensas necessarias rei locatæ reparandæ sustinere ipsi incumbit. Non tenetur tamen ad expensas minutas, ut mox dicitur. — 4° Formam rei locatæ absque consensu locatarii mutare nequit. Reparationes tamen necessarias, modo usum rei non omnino impediunt, etiam invito conductore, facere potest, nec damnum inde exurgens compensare tenetur, nisi earum reparationum tempus ultra 40 dies protrahat (*art. 1724*).

III. — *Obligationes locatarii.*

923. — 1° Debet uti re locata tanquam bonus paterfamilias, ad solum finem locationis. — 2° Tenetur ea reficere vel reparare, quæ culpa ipsius perierunt, aut deteriora facta sunt. — 3° Imo in foro externo tenetur de omnibus damnis quæ subit res locata, nisi ea, seclusa sua vel subditorum culpa, evenisse probaverit. — 4° Modicæ reparationes, quæ dicuntur *locativæ*, ad ipsum spectant, v. gr., reficere vitra, etc.

Quæsitæ.

924. — QUÆR. 1^o *Quid juris, si domus locata incendio pereat?*

Resp. 1^o: In foro conscientiæ locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla ejus culpa etiam juridica fuerit incensa; imo *probabiliter* etiamsi ex sola culpa juridica perierit.

Resp. 2^o: In foro externo locatarius de damno tenetur, nisi probet illud accidisse citra ullam, etiam juridicam, suam culpam, ut supra dictum est (*art. 1733*).

QUÆR. 2^o *Quid speciatim de locatione operum?*

Resp. 1^o: Locator famuli vel operarii tenetur cum eo de justa mercede convenire, qualis est quæ communiter talibus dari solet.

Resp. 2^o: Si determinatio mercedis fuit relicta ad conductoris arbitrium, hic justam, saltem infimam, dare debet. Herus autem famulum ante tempus dimittens sine sufficienti causa, damnum inde emergens resarcire tenetur.

Resp. 3^o: Si famulus vel operarius ultro sese offerat, tuque eo non egeas, sed ex Caritate tantum suscipias, quid ei dare debeas, *recole dicta de Justitia, n. 623, et vide S. Lig., n. 522.*

925. — QUÆR. 3^o *An locatarius agrorum teneatur integram pensionem solvere in casu sterilitatis ob grandinem, vel aliud infortunium extraordinarium?*

Resp. Neg. Licet enim videatur in rigore justitiæ de jure naturali ad id teneri, attamen consuetudine generali introductum est, ut, si ingens sit jactura, aliquid remittatur, et damnum ex æquo ab utroque subeatur. Excipe, nisi ex fructibus per alios annos perceptis æqua detur compensatio. — *S. Lig. n. 860; et ex utroque Jure Romano et Gallico confirmatur.*

QUÆR. 4^o *An tributum solvendum sit a locatore, an a locatario?*

Resp. 1^o: *Per se*, seclusa speciali conventionione, locator tributa solvere debet; quia non solum est rei dominus, sed ne usumfructum quidem transulit, nisi modo successivo et de die in diem. Secus autem de usufructu pleno et proprie dicto, ut dictum est supra, *n. 593.*

Resp. 2^o: *Ex Jure Gallico*, locator solvit tantum tributa fundo imposita. Tributa autem pro januis et fenestris a locatario solvenda sunt; sed, non solvente eo qui solvere debet, fiscus actionem in alterum habet, salvo tamen recursu posterioris in priorem.

926. — QUÆR. 5^o *An nuntius, proficiscens in certum locum, licite possit a pluribus integram accipere mercedem?*

Resp. 1^o: De aurigis nulla difficultas, quia talis est consuetudo. — *Ita communiter theologi.*

Resp. 2^o: De nuntio, duplex est sententia probabilis. — *Recole dicta supra, n. 757. — V. Casus, n. 973 et seq.*

CAPUT IV

DE CAMBIO

927. — Cambium est permutatio pecuniæ cum aliquo lucro camporis. Cambium tamen in genere idem sonat, ac permutatio sive in pecunia, sive in aliis rebus.

Cambium varium distinguitur, scilicet :

1° Cambium *manuale* seu *minutum*, et cambium *locale*, seu *per litteras*. Prius fit, cum permutatur pecunia unius formæ vel materiæ cum pecunia alterius formæ aut materiæ. Posterius autem locum habet, quando pecunia præsens commutatur cum pecunia absente et alio loco solvenda.

2° Cambium *reale* seu *verum*, et cambium *factum* seu *siccum*. Prius illud est, quo pecunia cum alia reapse commutatur. Posterius vero illud est, quo permutatio fingitur, sed non est aliud nisi mutuuum palliatum, uti, v. gr., cum datur pecunia tanquam in alio loco recipienda, quæ tamen in hoc ipso loco recipitur.

3° Cambium *factum* sic fieri solet : v. gr., *Titius*, indigens pecunia in hoc præsentem loco, 100 nummos a campore postulat. Campsor autem non aliter dat, nisi in loco distantem solvendo, petitque ab eo pretium quod pro locis similibus exigitur. *Titius* vero pecuniam accipit, et tamen non cogitat de pecunia in tali loco reddenda, idque campori manifestum est. Unde contractus ille est merum mutuuum palliatum.

Principia.

928. — I. Licitum est cambium *reale*, sive *minutum*, sive *locale*, modo servetur æqualitas, aut lucrum non excedat justum pretium determinatum lege vel locorum consuetudine. Ratio est, quia sunt varii tituli ex quibus campsor lucrum percipere potest, scilicet : 1° pecuniæ assecuratio usque ad locum assecurationis ; 2° locatio operæ et officii ad numerandam et transmittendam pecuniam ; 3° damnum emergens ex infortuniis debitorum ; 4° expensæ et curæ in detinendo telonio. — *S. Lig.*, n. 851, 852, et alii.

II. Illicitum est *per se* cambium *factum*. Ratio patet ; nullus enim est in eo titulus lucrum accipiendi, cum nullum fiat cambium proprie dictum, siquidem nulla est realis pecuniæ translatio, sed tantum ficta, unde non est nisi mutuuum palliatum. — *Ita omnes*. — *S. Lig.* n. 853. — Dixi, *per se*, quia ratione mutui licet sequi hujus contractus leges, juxta dicta supra, n. 863.

S. Pius V in Bulla de cambiis varias apposuit restrictiones circa cambium : *Haunoldus* tamen eam in paucis locis vigere, saltem quoad omnia in ea contenta, testatur. De ea loquitur *S. Lig.*, n. 852.

Quæsitæ.

929. — QUÆR. 1° *An licitum sit cambium eis qui officium publicum cambiendi non habent ?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia eadem militant rationes ; quisque enim

ius habet ad lucrum pro labore et industria sua. Sed cavere debent isti campsores, ne lucrum majus æquo exigant. — *Ita S. Lig., n. 851. — Salamant., c. IV, n. 8. — Carrière, n. 1038.*

QUÆR. 2^o *An licitum sit cambium vulgo dictum Francofurtense, in quo campsor dat pecuniam in proximis nundinis reddendam, ita ut lucrum majus pro majori dilatione exigatur?*

Resp. 1^o Affirm., si sit titulus lucri cessantis, damni emergentis, etc. — S. Lig. n. 854.

Resp. 2^o : Secus controvertitur; sed probabiliter leges civiles pro mutuo in hoc sequi licet, juxta dicta superius, ubi de Usura, n. 863.

930. — QUÆR. 3^o *Quid campsores recipere possint ratione mutui?*

Resp. : Recipere possunt 6 pro 100, juxta taxam legalem pro mercatoribus, quia quamdam mercaturam pecuniæ exercent. Ordinarie enim campsores multa pecunia, ut tali officio fungi possint, multisque ministris indigent, ac variis periculis exponuntur. Imo in variis locis permittitur ipsis accipere 7 pro 100, ob pericula et labores quos subire debent ad pecuniam alio transferendam eamque assecurandam. — V. Casus, n. 988 et seq.

CAPUT V

DE CENSU

931. — Censu est jus pensionem annuam percipiendi ex re vel persona. Censu potest esse multiplex, scilicet :

1^o *Reservativus*, id est pensio annua percipienda ex re quoad fundum alienata.

2^o *Consignativus*, id est pensio annua percipienda ex re vel ex persona ex titulo emptionis.

3^o *Realis*, vel *personalis*, prout pensio in re frugifera constituitur, vel in personæ labore et industria.

4^o *Temporarius*, vel *perpetuus*, aut *vitalitius*, prout constituitur ad tempus, v. gr., ad 20 annos, vel in perpetuum, vel ad vitam hominis.

5^o *Redimibilis* ex una vel utraque parte, prout ad nutum alterutrius vel utriusque redimi potest : vel *irredimibilis*, si ex pacto venditor seu censuarius se liberare non possit per capitalis restitutionem : tunc emptor seu censualista necessario jus suum in censum servat.

Principia.

932. — I. Quilibet censu reservativus est licitus; quia quilibet rei suæ proprietatem transferens potest partem fructuum illius sibi reservare, modo pro rata reservationis pretium imminuat.

II. Censu consignativus realis, tum fructuarius, tum pecuniarius, est licitus, quia jus ad partem aliquam ususfructus, vel ad pensionem annuam vendere et emere licet.

III. Conditiones eadem generatim ad censum requiruntur de jure naturali, ac ad venditionem, scilicet : 1^o bona fides; 2^o assecuratio sufficiens ex parte censuarii erga censualistam; 3^o pretium justum, quod lege vel æstimatione communi determinatur.

Quæsitæ.

933. — QUÆR. 1^o *An census consignativus personalis sit licitus?*

Resp. Affirm. saltem de jure naturali, modo serventur debitæ conditiones; quia jus recipiendi pensionem ex alterius labore, industria, etc., tam est pretio æstimabile, quam jus illam percipiendi ex re frugifera. — *Ita communiter.* — *S. Lig.*, n. 839, contra alios negantes, quia persona vendi nequit. Ex *Jure Gallico* nemo operas obligare potest, nisi ad tempus, vel pro negotiõ determinato (1780).

QUÆR. 2^o *An census REDIMIBILIS sit licitus?*

Resp. Affirm. saltem ex parte censuarii, sicut retrovenditio licita esse potest. — In *Jure Gallico* omnis census est essentia sua redimibilis; sed pacisci licet, ne redimi queat ante 30 annos, sicut pretium vel conditio alienationis rei immobilis (530, 1911).

934. — QUÆR. 3^o *An possit esse redimibilis ex utraque parte?*

Resp. Affirm. probabilius, quia est vera venditio, et emptor non debet esse deterioris conditionis ac venditor, modo sit bonæ fidei, et aliunde æqualitas servetur. — *S. Lig.* n. 843. — *Less.* — *Laym.*, contra alios.

QUÆR. 4^o *An liceat emere currente pretio census annuos in Gubernio fundatos, vel actiones a nummulario publico (gallice actions de la Banque)?*

Resp. Affirm. Venduntur enim ut merces; pretio crescunt vel decrescunt juxta communem æstimationem.

935. — QUÆR. 5^o *An licitus sit census vitalitius?*

Resp. Affirm. Est enim contractus aleatorius, nec ullatenus juri naturali repugnat, et a lege civili approbatur.

Sequentes autem conditiones requiruntur :

1^o Habenda est ratio ætatis vel sanitatis personæ.

2^o Pretium se extendere ordinarie non debet ultra 15 pro 100.

3^o Censuarius non potest se redimere, nisi ex voluntate censualistæ: nec censualista capitale repetere potest, nisi in quantum censuarius promissas securitates non præbeat.

4^o Census non exstinguitur morte civili censualistæ, sed transit ad ejus hæredes usque ad ejus naturalem mortem (1982, 1983). — *V. Casus*, n. 1005.

CAPUT VI

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS, SEU DE FIDEJUSSIONE
PIGNORE ET HYPOTHECA

Contractus isti dicuntur subsidiarii, quia adhibentur ad securitatem alterius contractus. De singulis breviter dicemus.

ARTICULUS I

DE FIDEJUSSIONE

936. — Fidejussio est contractus quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis.

Regulæ fidejussionis.

937. — 1° Nemo fidejussor esse potest, nisi liberam bonorum administrationem habeat. Ex *Jure Gallico* requiritur insuper, ut fidejussor habitet in territorio curiæ regiæ, ubi fidejussio præbenda est (*art. 2018*).

2° Qui principaliter obligari non possunt, fidejubere non valent: tales sunt pupillus, minor, Religiosus, uxor, saltem sine consensu tutoris, curatoris, Superioris, mariti.

3° Fidejussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris, sed solummodo in illius defectu, seu impotentia et quidem juridice probata.

4° Fidejussor qui pro debitore solvit, omnibus creditoris juribus subrogatur, et proinde recursum in eundem debitorem habet, ut ab eo repetat quidquid ejus loco solvere coactus fuit.

5° Obligatio fidejussoris ad ipsius hæredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero mere personalis. — *V. Casus, n. 1007.*

ARTICULUS II

DE PIGNORE

938. — Pignus est contractus quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti. — Pignoris nomine venit etiam res oppignorata.

Regulæ pignoris.

I. Ex parte *debitoris* pignus tradentis. Debet: 1° tradere creditori pignus idoneum; 2° refundere creditori impensas necessarias quæ factæ fuerint ad rei conservationem; 3° pignus non repetere priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

II. Ex parte *creditoris* pignus accipientis. Debet: 1° non uti re sibi credita, nisi de consensu debitoris; 2° diligenter pignus custodire; secus, de damno tenetur; 3° fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad æqualitatem scilicet servandam; 4° non vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit. Ita de jure naturali et positivo.

Pignori accedit contractus qui *antichresis* nuncupatur. Est autem *antichresis* pignoris species, qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris usquedum debitum solvatur. — *S. Lig. n. 916.* — *V. Casus, n. 1010.*

ARTICULUS III

DE HYPOTHECA

939. — Hypotheca est contractus quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit.

Triplacis generis distinguitur hypotheca: nempe legalis, judicialis, et conventionalis.

1° Hypotheca *legalis*, quæ etiam *implicita*, seu *tacita* dicitur, ea est quæ

vi solius legis, et absque ulla speciali conventionē instituitur : sic uxor hypothecam habet in cunctis bonis mariti pro dote recuperanda.

2° Hypotheca *judicialis* illa est, quæ ex iudicis decreto statuitur in gratiam eorum qui causam obtinuerunt : si, v. gr., iudex aliquem damnat ad certum damnum resarciendum, vi illius sententiæ cuncta bona immobilia damnati, præsentia et futura, pro damno hoc reparando hypotheca gravantur. Requiritur autem ut hæc iudicis sententia apud hypothecarum conservatorem inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim obtinet.

3° Hypotheca *conventionalis*, seu quam partes mutua conventionē inter se statuunt, est contractus solemnis, quo persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat in debiti determinati assecurationem et solutionem. Debet igitur fieri coram notario, cum certis formalitatibus sub pœna nullitatis in foro saltem externo, et a persona ad contrahendum habili, seu quæ liberam habeat honorum suorum administrationem ; hinc minores, interdicti, uxores non possunt aliquid in hypothecam tradere (*art. 2124 et seq.*). — *V. Casus, n. 1015.*

CAPUT VII

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS

940. — Varii sunt generis : assecuratio, sponsio, sortitio seu loteria, et ludus. Dicuntur aleatorii, quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii.

ARTICULUS I

DE ASSECURATIONE

Assecuratio est contractus quo unus periculum alicujus rei in se suscipit, et alter ad pretium pro suscepto hujusmodi periculo se obligat. Sic variis in urbibus existunt societates quæ assecurant, v. gr., domos contra incendium, navigia contra naufragia, etc.

Quæsitæ.

941. — QUÆR. 1° *An sit licitus assecurationis contractus ?*

Resp. Affirm. Æqualitas enim servatur, concurrentibus debitis conditionibus, ut fatentur communiter theologi, et praxis quotidiana confirmat.

QUÆR. 2° *Quænam sint conditiones ad assecurationem requisitæ ?*

Resp. : Sunt sequentes : 1° ut pretium sit periculo proportionatum ; 2° ut periculum sit verum, et utrique parti æqualiter notum ; 3° ut assecuratus servet omnes contractus condiciones ; 4° ut assecurator habeat unde solvere possit. — *S. Lig. n. 911.* — *V. Casus, n. 1012.*

ARTICULUS II

DE SPONSIONE

Sponsio est contractus quo plures, de veritate aut de eventu rei alicujus

contententes, aliquid sibi invicem spondent, vel apud aliquem deponunt, ut sit ejus qui verum dixerit.

Quæsitæ.

942. — QUÆR. 1^o *An contractus sponsionis sit licitus?*

Resp. Affirm., positis ponendis; nihil enim inhonesti præ se fert. — *S. Lig.*, n. 869, et alii communiter.

QUÆR. 2^o *Quænam sint conditiones, ut sponsio sit licita?*

Resp. : 1^o Ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; 2^o ut sit animus se obligandi et solvendi quod spondetur; 3^o ut eventus sit utrique incertus. — *V. Casus*, n. 1017.

ARTICULUS III

DE SORTITIONE, SEU LOTERIA

Loteria est contractus quo plures aliquid deponunt in commune, ut jus habeant sortiendi rem in medio exhibitam. Quidam totum, quidam partem, quidam denique nihil habent.

Quæsitæ.

943. — QUÆR. 1^o *An loteria sit contractus licitus?*

Resp. Affirm., dummodo adsint requisitæ conditiones. Ratio est, quia loteria spectari potest ut emptio rei incertæ, seu ut contractus quo pecunia emitur jus sortiendi et acquirendi id, quod per sortem acciderit. Porro licet emere rem incertam, sicut pro rei alicujus periculo pacisci.

QUÆR. 2^o *Quænam sint conditiones requisitæ, ut loteria fiat contractus in se licitus?*

Resp. : Sunt : 1^o ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo præmio quod obtigerit; 2^o ut dominus loteriæ in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret. Attamen majus potest esse luerum, si in bonum opus vel utilitatem publicam instituta sit loteria. — *Ita communiter.*

ARTICULUS IV

DE LUDO

944. — Ludus est contractus quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat pretium quod exposuerunt. — Triplex est ludus : 1^o *industrialis*, qui potissimum regitur industria ludentium, ut ludus pilæ et discorum; 2^o *aleatorius*, qui præcipue pendet a casu; 3^o *mixtus*, qui partim ab industria, partim etiam a casu pendet, ut, v. gr., ludus chartarum, saltem plerumque.

Quæsitæ.

945. — QUÆR. 1^o *An licita sit omnis species ludi recensita?*

Resp. : Nullus ex tribus præfatis ludis ex se illicitus est, si servantur con-

ditiones debitæ. Ratio est, quia ludus, *per se*, 1^o non repugnat moribus, cum sit honesta recreatio; 2^o nec justitiæ, cum quisvis possit bonorum suorum dominium transferre cui et quomodo voluerit.

Olim ludi aleatorii Jure canonico omnibus, præsertim Clericis, prohibebantur; sed hæc leges quoad laicos et etiam quoad Clericos in desuetudinem fere abierunt.

946. — QUÆR. 2^o *Quænam sint conditiones requisitæ, ut ludus sit licitus?*

Resp. : Requiritur : 1^o ut ludens liberam habeat rerum, quas exponit, administrationem; 2^o ut a ludo exsulent fraus et dolus; 3^o ut utrinque moraliter æquale sit perdendi periculum; 4^o ludus sit honestus in se, nec lege prohibitus; 5^o ut absit coactio, qua ad ludendum quis inducatur; 6^o ut non exponatur ingens summa, adeo ut familia et creditores inde damnum pati possint.

947. — QUÆR. 3^o *An teneatur restituere victor qui multo peritior est in ludo, ita ut certo præsciat se victorem fore?*

Resp. Affirm., multo *probabilius*; quia deest æqualitas inter ludentes requisita, et proinde justitia læditur. Hinc notabiliter peritior a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario remittere. — *Ita communius, contra nonnullos.*

Attamen in praxi restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur; vel etiam quando adversarius sufficienter præmonitus nihilominus pertinaciter ludere voluisset; quia tunc nulla deceptio intercessisset.

948. — QUÆR. 4^o *An teneatur ad restituendum victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus?*

Resp. ad 1^{um} Neg.; quia contractus non declaratur a lege *irritus*, sed tantum *illicitus*. — *S. Lig. n. 887.* — *Antoine, q. 5.* — *Lugo, d. xxxi, n. 60.* — *Lacroix, n. 1086, et alii communiter.*

Resp. ad 2^{um} : Controvertitur. 1^a Sententia negat; quia lex, talem ludum prohibendo, videtur ipso facto obligationem naturalem solvendi in pœnam victoris sustulisse. — *Ita Lugo, d. xxii, n. 300.* — *Salmant., c. iv, n. 62.*

II^a Sententia affirmat, quia contractus fuit jure naturali validus, et proinde victus huic stare debet, donec judicialiter restitutionem petat. Utraque sententia probabilis videtur. Primam tamen *probabiliorem* dicit *S. Lig., num. 890.*

949. — QUÆR. 5^o *An sit validus ludus, si magna pecuniæ summa una vice exponatur?*

Resp. Affirm., *per se, probabilius*, si conditiones requisitæ serventur, id est præsertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant, sine detrimento familiæ, creditorum, etc., quia ludentes æque periculum subeunt scientes et volentes; ac proinde nulla est injustitia. Sed facile deficient præfatæ conditiones; et aliunde, etiamsi talis ludus non esset contra justitiam, saltem honestati adversatur : unde prudens Confessarius per modum satisfactionis injungere posset, si opportunum videatur, pœnitenti victori, ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. — *Antoine, c. xi, q. 5.* — *Bouvier.* — *Gousset, n. 889.*

Attamen, cum hæc sententia non sit certa, non videntur inquietandi in tribunali Pœnitentiæ illi, qui nollent solvere magnam summam quam amisissent. — *Ita recte Gousset, ibid.*

950. *Conclusio.* — Licet ludus plerumque sit in se licitus, et honestæ recreationi inserviat, debita moderatio in ejus usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusus deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobatur quotidiana et lugenda nimis experientia! Quot enim, heu! cernuntur miserrimi juvenes, necnon cujuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integræ fortunæ paucis diebus vel horis jacturam faciunt, familiam ærumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satagant igitur pro viribus Parochi et Confessarii, ut subditos et pœnitentes ab hujusmodi ludendi furore avertant, atque solliciti sint ne obtemperare renuentes ad Sacramenta admittant. — Sic recte concludit *Gousset, n. 891.* — *V. Casus, n. 1021 et seq.*

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS

INDEX

TOMI I COMPENDII THEOLOGIÆ MORALIS

Monitum editoris.	I
Præfatio P. Gury ad lectorem.	1
Index scriptorum.	2
Series chronologica propositionum damnatarum.	21
Adnotanda.	89
Præmium.	91

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

CAP. I. — <i>De notione actuum humanorum.</i>	93
CAP. II. — <i>De principiis actuum humanorum.</i>	94
Art. I. — De voluntario.	95
§ I. — De voluntario in genere.	<i>ibid.</i>
§ II. — De voluntario in specie.	97
De voluntario indirecto, seu in causa.	<i>ibid.</i>
Art. II. — De libero.	100
Propositio I.	101
Propositio II.	102
Art. III. — De oppositis voluntario et libero.	<i>ibid.</i>
§ I. — De ignorantia.	<i>ibid.</i>
§ II. — De concupiscentia.	103
§ III. — De metu.	105
§ IV. — De vi, seu violentia.	106
CAP. III. — <i>De moralitate actuum humanorum.</i>	108
Art. I. — De essentia moralitatis.	<i>ibid.</i>
Art. II. — De fontibus moralitatis.	110
§ I. — De objecto.	<i>ibid.</i>
§ II. — De circumstantiis.	111
§ III. — De fine.	<i>ibid.</i>
Appendix. — De merito actuum humanorum.	116

TRACTATUS DE CONSCIENTIA

CAP. I. — <i>De conscientia recta et erronea.</i>	118
CAP. II. — <i>De conscientia certa et dubia.</i>	119
Art. I. — De conscientia certa.	<i>ibid.</i>
Art. II. — De conscientia dubia.	120

CAP. III. — <i>De conscientia scrupulosa et laxa</i>	122
Art. I. — <i>De conscientia scrupulosa</i>	<i>ibid.</i>
I. — <i>Causæ scrupulorum</i>	<i>ibid.</i>
II. — <i>Signa scrupulorum, seu conscientiæ scrupulis obnoxie</i>	123
III. — <i>Damna scrupulorum</i>	124
IV. — <i>Remedia scrupulorum</i>	<i>ibid.</i>
V. — <i>Regulæ pro scrupulosis</i>	125
VI. — <i>Regulæ pro Confessariis</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De conscientia laxa</i>	<i>ibid.</i>
CAP. IV. — <i>De conscientia probabili et improbabili</i>	126
Art. I. — <i>De natura probabilitatis</i>	<i>ibid.</i>
<i>Varia systemata circa probabilitatem</i>	127
Art. II. — <i>De efficacia probabilitatis ad conscientiam efformandam</i>	128
I ^a Thesis	129
II ^a Thesis	130
III ^a Thesis	<i>ibid.</i>
IV ^a Thesis	131
I. — <i>Argumentum ex ratione</i>	<i>ibid.</i>
II. — <i>Argumentum ex auctoritate</i>	132
III. — <i>Argumentum ex consecrariis</i>	134
Art. III. — <i>De usu probabilitatis, et de regulis specialibus ad conscientiam in dubiis efformandam</i>	137

TRACTATUS DE LEGIBUS

PARS PRIMA

DE LEGIBUS IN GENERE

CAP. I. — <i>De natura et proprietatibus legis</i>	143
CAP. II. — <i>De auctore legis, seu de legislatore</i>	144
CAP. III. — <i>De objecto et subjecto legis</i>	147
Art. I. — <i>De objecto legis</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De subjecto legis</i>	148
CAP. IV. — <i>De promulgatione et acceptatione legis</i>	151
Art. I. — <i>De promulgatione legis</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De acceptatione legis</i>	152
CAP. V. — <i>De obligatione legis</i>	153
Art. I. — <i>De vi obligationis</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De modo satisfaciendi obligationi legis</i>	155
Art. III. — <i>De causis a lege excusantibus</i>	157
§ I. — <i>De natura eorum quæ deobligant</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De appositione voluntaria causarum deobligantium</i>	158
CAP. VI. — <i>De interpretatione legis et epikeia</i>	159
§ I. — <i>De interpretatione legis</i>	<i>ibid.</i>
<i>Regulæ interpretationis</i>	160
§ II. — <i>De epikeia</i>	<i>ibid.</i>
CAP. VII. — <i>De dispensatione legis</i>	<i>ibid.</i>
Art. I. — <i>De potestate dispensandi</i>	161
Art. II. — <i>De causis ad dispensandum requisitis</i>	162
Art. III. — <i>De cessatione dispensationis</i>	164
CAP. VIII. — <i>De cessatione legis</i>	<i>ibid.</i>

PARS SECUNDA

DE SPECIEBUS PRÆCIPUIS LEGUM

CAP. I. — <i>De lege naturali et divina.</i>	165
Art. I. — De lege naturali	<i>ibid.</i>
Art. II. — De lege divina positiva	166
CAP. II. — <i>De lege ecclesiastica et civili.</i>	167
Art. I. — De lege ecclesiastica	<i>ibid.</i>
Art. II. — De lege civili	172
CAP. III. — <i>De lege pœnali et irritante.</i>	173
Art. I. — De lege pœnali	<i>ibid.</i>
Art. II. — De lege irritante	174
CAP. IV. — <i>De lege non scripta, seu de consuetudine.</i>	175
CAP. V. — <i>De lege favorabili, seu de privilegio.</i>	177

TRACTATUS DE PECCATIS

PARS PRIMA

DE PECCATIS IN GENERE, SEU DE NATURA, GRAVITATE ET DISTINCTIONE
PECCATORUM

CAP. I. — <i>De natura peccati.</i>	179
I. — De advertentia mentis	180
II. — De consensu voluntatis	181
CAP. II. — <i>De gravitate peccati, præsertim de peccato mortali et veniali.</i>	182
Propositio I.	183
Propositio II.	<i>ibid.</i>
Propositio III.	184
CAP. III. — <i>De distinctione peccatorum.</i>	187
Art. I. — De distinctione specifica	<i>ibid.</i>
Art. II. — De distinctione numerica	189

PARS SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE

CAP. I. — <i>De peccatis internis.</i>	193
CAP. II. — <i>De peccatis capitalibus.</i>	197
I. — De superbia	<i>ibid.</i>
II. — De avaritia	<i>ibid.</i>
III. — De luxuria	198
IV. — De invidia	<i>ibid.</i>
V. — De ira	<i>ibid.</i>
VI. — De acedia	<i>ibid.</i>
VII. — De gula	199
Appendix. — De ebrietate	<i>ibid.</i>

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS

CAP. I. — <i>De fide.</i>	202
Art. I. — De necessitate Fidei	203
I. — Quoad actum internum	<i>ibid.</i>
II. — Quoad actum externum	<i>ibid.</i>

Art. II. — De objecto Fidei	206
§ I. — De necessario sciendis et credendis necessitate medii	<i>ibid.</i>
§ II. — De necessario sciendis et credendis necessitate præcepti	207
Punctum I. — De sciendis ad recte credendum, seu de Symbolo Apostolorum	<i>ibid.</i>
Explicatio brevis singulorum Symboli articulorum	<i>ibid.</i>
Punctum II. — De sciendis ad recte agendum	209
1. — De Præceptis Decalogi et Ecclesiæ	<i>ibid.</i>
2. — De Sacramentis	210
3. — De Oratione Dominica	<i>ibid.</i>
Art. III. — De vitiis Fidei oppositis	<i>ibid.</i>
§ I. — De infidelitate, in genere	<i>ibid.</i>
§ II. — De hæresi	211
CAP. II. — De Spe	213
CAP. III. — De Caritate	215
Art. I. — De amore Dei	<i>ibid.</i>
Art. II. — De amore proximi	216
§ I. — De præcepto amoris proximi in se	<i>ibid.</i>
Punctum I. — De præcepto Caritatis erga omnes in genere	<i>ibid.</i>
Regulæ speciales ordinis Caritatis	217
Punctum II. — De præcepto Caritatis erga inimicos in particulari	219
§ II. — De operibus misericordiæ	221
Punctum I. — De eleemosyna	<i>ibid.</i>
Punctum II. — De correctione fraterna	223
§ III. — De vitiis Caritati proximi oppositis	225
Punctum I. — De scandalo	<i>ibid.</i>
Sect. 1. De scandalo in genere	<i>ibid.</i>
Sect. 2. De scandalo in particulari	228
1. — Circa luxuriam	<i>ibid.</i>
2. — Circa pravos libros	229
3. — De choreis	230
4. — De spectaculis	232
Punctum II. — De cooperatione	233
Sect. 1. — De cooperatione in genere	<i>ibid.</i>
Sect. 2. — De cooperatione in particulari	235
1. — Quoad famulos	<i>ibid.</i>
2. — Quoad operarios	234
3. — Quoad mercatores	236
4. — Quoad caupones	237

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS DECALOGI

DE I DECALOGI PRÆCEPTO	238
CAP. I. — De actibus virtutis Religionis	<i>ibid.</i>
Art. I. — De adoratione	<i>ibid.</i>
Adnotanda de cultu et reliquiis sanctorum	239
Art. II. — De oratione	<i>ibid.</i>
CAP. II. — De vitiis Religioni oppositis	241
Art. I. — De superstitione	<i>ibid.</i>
§ I. — De idololatria	<i>ibid.</i>
§ II. — De vana observantia	242
§ III. — De divinatione	243
§ IV. — De magia et maleficio	245
Appendix I. — De tabulis rotantibus (<i>Tables tournantes</i>)	246
Appendix II. — De magnetismo animali	247
Epistola encyclica S. Rom. Inquisit. adversus magnetismi abusum	251
SCHOLIUM. De hypnotismo	252
Appendix III. — De consultatione spirituum, seu de <i>spiritismo</i>	253

Art. II. — De irreligiositate	254
§ I. — De tentatione Dei.	<i>ibid.</i>
§ II. — De sacrilegio.	253
§ III. — De simonia	258
DE II DECALOGI PRÆCEPTO.	264
CAP. I. — <i>De vana usurpatione nominis Dei et blasphemia</i>	265
Art. I. — De vana sancti Nominis Dei usurpatione	<i>ibid.</i>
Art. II. — De blasphemia	266
CAP. II. — <i>De juramento</i>	269
Art. I. — De conditionibus juramenti.	<i>ibid.</i>
I. — De requisitis ad essentiam juramenti.	<i>ibid.</i>
II. — De requisitis ad liceitatem juramenti.	270
Art. II. — De obligatione juramenti promissorii	272
Appendix. — De adjuratione	275
CAP. III. — <i>De voto</i>	276
Art. I. — De conditionibus ad votum requisitis	<i>ibid.</i>
§ I. — De intentione ad votum requisita.	<i>ibid.</i>
§ II. — De materia voti.	278
Art. II. — De obligatione voti.	279
Art. III. — De cessatione voti.	281
§ I. — De irritatione votorum	<i>ibid.</i>
§ II. — De dispensatione votorum.	283
§ III. — De commutatione votorum	284
DE III DECALOGI PRÆCEPTO.	285
CAP. I. — <i>De iis quæ diebus festis præcipiuntur</i>	286
Art. I. — De iis quæ generatim diebus festis præstanda sunt	<i>ibid.</i>
Art. II. — De auditione Missæ in particulari.	287
§ I. — De iis quæ ad Missam rite audiendam requiruntur.	<i>ibid.</i>
Punctum I. — De præsentia corporis.	<i>ibid.</i>
Punctum II. — De attentione mentis.	289
Punctum III. — De loco debito	291
1. — Quoad oratoria privata	<i>ibid.</i>
2. — Quoad Missam parochialem	292
§ II. — De causis a Missa excusantibus.	293
CAP. II. — <i>De iis quæ diebus Dominicis et festis prohibentur</i>	294
Art. I. — De operibus quæ diebus festis prohibentur	<i>ibid.</i>
Art. II. — De causis ob quas opera servilia die festo permitti possunt	298
DE IV DECALOGI PRÆCEPTO.	299
CAP. I. — <i>De obligationibus filiorum erga parentes</i>	<i>ibid.</i>
I. — Amor	<i>ibid.</i>
II. — Reverentia	300
III. — Obedientia	301
CAP. II. — <i>De obligationibus parentum erga filios</i>	303
I. — Amor	<i>ibid.</i>
II. — Educatio.	304
I. — Educatio corporalis	<i>ibid.</i>
II. — Educatio spiritualis	305
CAP. III. — <i>De obligationibus conjugum</i>	306
CAP. IV. — <i>De obligationibus aliorum Superiorum et inferiorum</i>	308
Art. I. — De obligationibus dominorum et famulorum	<i>ibid.</i>
§ I. — De obligationibus dominorum	<i>ibid.</i>
§ II. — De obligationibus famulorum	309
Art. II. — De obligationibus magistrorum et discipulorum	310
Art. III. — De obedientia et reverentia civium erga temporalem auctoritatem.	<i>ibid.</i>

DE V. DECALOGI PRÆCEPTO	311
CAP. I. — <i>De occisione sui, seu de suicidio</i>	312
CAP. II. — <i>De occisione proximi</i>	314
Art. I. — <i>De occisione rei, seu malefactoris.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De occisione injusti aggressoris.</i>	315
Art. III. — <i>De occisione innocentis.</i>	317
§ I. — <i>De occisione innocentis in genere.</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De procuratione abortus.</i>	318
CAP. III. — <i>De duello</i>	321
CAP. IV. — <i>De bello</i>	322
DE VI ET IX DECALOGI PRÆCEPTIS	324
CAP. I. — <i>De peccatis luxuriæ non consummatis.</i>	326
Art. I. — <i>De osculis et tactibus impudicis.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De aspectibus obscenis.</i>	328
Art. III. — <i>De sermonibus et lectionibus impudicis.</i>	329
CAP. II. — <i>De peccatis luxuriæ consummatis.</i>	330
Art. I. — <i>De peccatis consummatis juxta naturam</i>	<i>ibid.</i>
§ I. — <i>De fornicatione.</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De adulterio.</i>	331
§ III. — <i>De incestu.</i>	<i>ibid.</i>
§ IV. — <i>De sacrilegio.</i>	<i>ibid.</i>
§ V. — <i>De stupro.</i>	332
§ VI. — <i>De raptu.</i>	333
Art. II. — <i>De peccatis consummatis contra naturam</i>	<i>ibid.</i>
§ I. — <i>De pollutione.</i>	334
§ II. — <i>De sodomia.</i>	336
§ III. — <i>De bestialitate.</i>	<i>ibid.</i>
DE VII ET X DECALOGI PRÆCEPTIS	337
DE VIII DECALOGI PRÆCEPTO	<i>ibid.</i>
CAP. I. — <i>De mendacio</i>	338
Art. I. — <i>De mendacio in genere.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De restrictione mentali.</i>	339
CAP. II. — <i>De detractioe</i>	340
Art. I. — <i>De vitio detractiois.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De restitutione famæ.</i>	346
CAP. III. — <i>De contumelia.</i>	348
CAP. IV. — <i>De judicio temerario, suspicione et dubitatione temeraria</i>	349
Appendix. — <i>De violatione secreti.</i>	350

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIE

DE I ET II ECCLESIE PRÆCEPTIS, SEU DE OBSERVATIONE FESTORUM	353
DE III ECCLESIE PRÆCEPTO, SEU DE ANNUA CONFESSIOE	355
DE IV ECCLESIE PRÆCEPTO, SEU DE COMMUNIONE PASCHALI	357
DE V ECCLESIE PRÆCEPTO, SEU DE ABSTINENTIA A CARNE EXTRA JEJUNIUM	359
DE VI ECCLESIE PRÆCEPTO, SEU DE JEJUNIO ECCLESIASTICO	361
CAP. I. — <i>De essentia et obligatione jejunii.</i>	363
Art. I. — <i>De unica refectione et refectioneula.</i>	<i>ibid.</i>
§ I. — <i>De unica refectione.</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De collatione serotina.</i>	364

Art. II. — De abstinentia carnis in jejunio	365
Art. III. — De hora refectiois	367
CAP. II. — De causis a jejunio excusantibus	368
Responsa circa jejunium et abstinentiam a carnibus	370

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE

PARS PRIMA

DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIÆ ET JURIS

CAP. I. — De notionibus generalibus justitiæ et juris	374
Art. I. — De natura justitiæ	<i>ibid.</i>
Art. II. — De natura juris	376
Art. III. — De principiis generalibus juris et justitiæ	<i>ibid.</i>
§ I. — De principiis generalibus juris	<i>ibid.</i>
Propositio I	<i>ibid.</i>
Propositio II.	377
Propositio III.	<i>ibid.</i>
§ II. — De principiis generalibus justitiæ	379
Propositio I	<i>ibid.</i>
Propositio II	380
CAP. II. — De præcipuis juris speciebus	381
Art. I. — De dominio	<i>ibid.</i>
§ I. — De objecto domini	<i>ibid.</i>
§ II. — De subjecto domini	383
Punctum I. — De dominio filiorumfamilias	<i>ibid.</i>
Punctum II. — De dominio uxorum	385
1. — Dispositiones Juris Romani	<i>ibid.</i>
2. — Dispositiones Juris Gallici	386
Punctum III. — De dominio Clericorum	389
Punctum IV. — De dominio auctororum	392
§ III. — De acquisitione domini	393
Punctum I. — De occupatione	<i>ibid.</i>
Punctum II. — De inventione	396
Punctum III. — De præscriptione	398
1. — Res præscriptibilis	399
2. — Possessio	<i>ibid.</i>
3. — Titulus	<i>ibid.</i>
4. — Tempus requisitum	<i>ibid.</i>
5. — Bona fides	402
Punctum IV. — De accessione	403
Art. II. — De usu et usufructu	404
Art. III. — De servitute	405

PARS SECUNDA

DE VIOLATIONE JURIS, SEU DE INJURIA

CAP. I. — De injuria in genere	406
CAP. II. — De injuria in specie, seu de peccatis contra justitiam	409
Art. I. — De natura furti	<i>ibid.</i>
Art. II. — De causis a furto excusantibus	413
§ I. — De necessitate a furto excusante	414
§ II. — De occulta compensatione	416

PARS TERTIA

DE RESTITUTIONE

SECTIO I. — DE RESTITUTIONE IN GENERE

CAP. I. — <i>De obligatione restitutionis.</i>	418
CAP. II. — <i>De radicibus restitutionis.</i>	422
Art. I. — <i>De acceptione rei alienæ.</i>	<i>ibid.</i>
§ I. — <i>De possessore bonæ fidei.</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De possessore malæ fidei.</i>	428
§ III. — <i>De possessore dubiæ fidei.</i>	431
Art. II. — <i>De injusta damnificatione.</i>	433
Art. III. — <i>De injusta cooperatione.</i>	441
§ I. — <i>De jubente.</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De consulente.</i>	442
§ III. — <i>De consentiente.</i>	444
§ IV. — <i>De palpone.</i>	445
§ V. — <i>De recursu, seu de receptante, vel recursum præbente.</i>	<i>ibid.</i>
§ VI. — <i>De participante.</i>	446
§ VII. — <i>De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperantibus negativis.</i>	447
CAP. III. — <i>De circumstantiis restitutionis.</i>	450
Art. I. — <i>Quantum sit restituendum?</i>	<i>ibid.</i>
<i>De solidaritate.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>Cui sit restituendum?</i>	452
Art. III. — <i>Quo ordine sit restituendum?</i>	453
§ I. — <i>De ordine restitutionis inter cooperatores.</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De ordine restitutionis quoad creditores.</i>	454
Art. IV. — <i>Quomodo sit restituendum?</i>	456
Art. V. — <i>Quando sit restituendum?</i>	458
CAP. IV. — <i>De causis a restitutione excusantibus.</i>	460

SECTIO II. — DE RESTITUTIONE IN SPECIE

CAP. I. — <i>De restitutione ob damnum in bonis animi.</i>	463
CAP. II. — <i>De restitutione ob damnum in bonis corporis.</i>	464
Art. I. — <i>De restitutione ob homicidium.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De restitutione propter stuprum et fornicationem.</i>	465
Art. III. — <i>De restitutione propter adulterium.</i>	466
CAP. III. — <i>De restitutione ob damnum in bonis fortunæ in casibus particularibus.</i>	468
Art. I. — <i>De tributis.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De damno occasione militiæ illato.</i>	472
Art. III. — <i>De direptione bonorum tempore perturbationis Galliæ.</i>	473
§ I. — <i>De bonis ecclesiasticis.</i>	<i>ibid.</i>
§ II. — <i>De bonis privatorum.</i>	474

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

CAP. I. — <i>De requisitis ad contrahendum.</i>	477
Art. I. — <i>De materia contractus.</i>	<i>ibid.</i>
Art. II. — <i>De subjecto contractus.</i>	480
§ I. — <i>De minoribus.</i>	<i>ibid.</i>
I. — <i>Ex Jure Romano.</i>	<i>ibid.</i>
II. — <i>Ex Jure Gallico.</i>	481

§ II. — De uxoribus	481
I. — Ex Jure communi	<i>ibid.</i>
II. — Ex Jure Gallico	482
§ III. — De civiliter mortuis	483
§ IV. — De interdictis et prodigis	<i>ibid.</i>
Art. III. — De consensu requisito	<i>ibid.</i>
§ I. — De dotibus legitimi consensus	<i>ibid.</i>
§ II. — De vitiis consensui oppositis	485
Punctum I. — De errore et dolo	<i>ibid.</i>
Punctum II. — De metu	487
CAP. II. — De obligatione contractus	490
CAP. III. — De contractuum modificationibus	492
Art. I. — De juramento contractui adjecto	<i>ibid.</i>
Art. II. — De modis contractui præfinitis	493
Art. III. — De conditionibus contractui appositis	494

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

SECTIO I. — DE CONTRACTIBUS GRATUITIS


CAP. I. — De promissione	495
CAP. II. — De donationibus	497
Art. I. — De donationibus in genere	<i>ibid.</i>
§ I. — De conditionibus donationis	<i>ibid.</i>
§ II. — De casibus in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum	499
Art. II. — De variis donationum speciebus	500
§ I. — De donatione inter vivos	<i>ibid.</i>
§ II. — De testamentis	502
Punctum I. — De natura, divisione et forma testamentorum	<i>ibid.</i>
1. — Ex Jure communi	<i>ibid.</i>
2. — Ex Jure Gallico	503
Conditiones testamentorum	<i>ibid.</i>
Punctum II. — De testatoribus et hæredibus	505
Punctum III. — De dispositionibus testamentariis, seu de codicillo et legato	509
Punctum IV. — De revocatione testamentorum	510
Punctum V. — De exsecutore testamenti	511
§ III. — De donatione mortis causa	<i>ibid.</i>
§ IV. — De substitutione et fideicommissis	512
CAP. III. — De commodato et precario	514
Obligationes commodatarii	<i>ibid.</i>
Obligationes commodantis	515
CAP. IV. — De deposito et sequestro	<i>ibid.</i>
I. — De deposito	<i>ibid.</i>
Obligationes depositarii	<i>ibid.</i>
Obligationes deponentis	516
II. — De sequestro	<i>ibid.</i>
CAP. V. — De mandato et negotiorum gestione	<i>ibid.</i>
I. — De mandato	<i>ibid.</i>
Obligationes mandantis	<i>ibid.</i>
Obligationes mandatarii	517
II. — De negotiorum gestione	<i>ibid.</i>
CAP. VI. — De mutuo	<i>ibid.</i>
Art. I. — De natura contractus mutui	518
Art. II. — De usura, seu de lucro percepto ex mutuo	519
Art. III. — De titulis ab usura excusantibus	521
I. — De damno emergente	<i>ibid.</i>

II. — De lucro cessante	522
III. — De periculo sortis	<i>ibid.</i>
IV. — De poena conventionali	523
V. — De titulo legis civilis	<i>ibid.</i>
Propositio	524
Decretum S. Congregationis S. Officii	530
Appendicula. — De Montibus Pietatis	<i>ibid.</i>

SECTIO II. — DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

CAP. I. — <i>De venditione et emptione.</i>	531
Art. I. — De natura venditionis et emptionis	<i>ibid.</i>
Art. II. — De justo pretio	534
Art. III. — De præcipuis venditionum speciebus	538
§ I. — De retrovenditione et mohatra	539
§ II. — De venditione sub hasta, seu per licitationem	540
§ III. — De monopolio	541
§ IV. — De venditione per proxenetas (<i>entremetteurs, courtiers, commissionnaires</i>)	542
CAP. II. — <i>De societate et trino contractu.</i>	543
Art. I. — De societate	<i>ibid.</i>
Art. II. — De trino contractu	544
CAP. III. — <i>De locatione.</i>	545
I. — Regulæ locationis generales	<i>ibid.</i>
II. — Obligationes locatoris	<i>ibid.</i>
III. — Obligationes locatarii	546
CAP. IV. — <i>De cambiò.</i>	547
CAP. V. — <i>De censu.</i>	548
CAP. VI. — <i>De contractibus subsidiariis, seu de fidejussione, pignore et hypotheca.</i>	549
Art. I. — De fidejussione	<i>ibid.</i>
Art. II. — De pignore	550
Art. III. — De hypotheca	<i>ibid.</i>
CAP. VII. — <i>De contractibus aleatoriis.</i>	551
Art. I. — De assecuratione	<i>ibid.</i>
Art. II. — De sponsione	<i>ibid.</i>
Art. III. — De sortitione, seu loteria	552
Art. IV. — De ludo	<i>ibid.</i>

FINIS INDICIS TOMI I



1758
G8
1890
v.1

Gury, J.P.
Compendium theologiae
moralis

331654

BX
1758
G8
1890
v.1

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall

GTU Library



3 2400 00266 9418

